ORATORUM ROMANORUM

FRAGMENTA.

ORATORUM ROMANORUM

FRAGMENTA

AB APPIO INDE CAECO ET M. PORCIO CATONE

USQUE

AD Q. AURELIUM SYMMACHUM.

COLLEGIT ATQUE ILLUSTRAVIT

HENRICUS MEYERUS

TURICENSIS.

EDITIO AUCTIOR ET EMENDATIOR

TURICI

TYPIS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM.

1842.

GODOFREDO HERMANNO

PRINCIPI PHILOLOGORUM

HUNC LIBRUM SACRUM ESSE VOLUIT

EDITOR.

Praefatio editionis secundae.

Cum ante hos decem annos Oratorum romanorum edidissem fragmenta, tantum abfuit, ut librum meum absolutum esse opinarer, ut aliquando sperarem et numerum eorum multiplicatum argumentaque causarum, quarum plerasque adhuc ignorabam, repetita cura nec intermissis studiis explicatum iri. Sic factum est, ut aliis quamvis deditus studiis huic potissimum rei operam sedulo darem et quotidie fere aliquid addiscerem multaque quae antea scripseram, emendarem vel delerem. Itaque cum editio secunda paranda mihi esset, id potissimum curavi, ut oratorum, quos orationes reliquisse constat, augeretur numerus, cum multos intellexissem praetermissos; deinde ut aetates eorum probe distinguerentur, et magistratus atque honores, quos singuli obtinuerant, accurato annorum ordine enarrarentur, praesertim cum multae causae, quas vel in senatu vel in foro aut apud populum agebant, inde lucem acciperent. Ceterum explorare conabar (quantum quidem fieri poterat), quo singuli oratores anno fuerint nati. nec frustra (opinor), cum verissimam lex annalis indicet viam. ea enim lege constitutum est, quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque. Ideoque omnium fere Romanorum, quos aliquando magistratum gessisse in annalibus proditum est, annus natalis definiri potest: eaque lex diu valuit nec ante bella civilia Caesaris atque Octaviani

extincta est. Ceterorum autem oratorum, qui postea vixerunt, cum in imperium unius transiisset respublica, aetates plerumque incertae. sunt enim multi, de quibus nihil quidquam constat, nec quando sint nati quandove mortui, relatum est. Porro operam dedi, ut causarum ab oratoribus actarum argumenta diligentius explorarentur et ex memoria repeterentur veterum temporum. Qua re factum est, ut haec editio multum a priore discedat, cum singulae causae (quantum fieri potest) breviter sint enarratae. optoque vehementer, ut et maior et melior eruditoque orbe dignior liber evaserit. Ceterum si haec editio aliis quoque emendatior atque auctior esse videbitur, id non mihi solum arrogaverim: nam multi qui nuper prodierunt libri plurimam attulere utilitatem, quorum potissimum Orellii Onomasticon, Drumanni vitas Romanorum, Weichertii opuscula atque Westermannum, qui de oratoribus latinis scripsit, nomino. nec silentio praetereundus Fridericus Dübnerus, qui, cum librum meum (me inscio) a. 1837 Parisiis repeteret, pauca quaedam adiecit.

Praefatio.

Habent sua fata non solum libelli, sed etiam auctores. Quum anno 1826 scriptiunculam de L. Pomponio Bonon. ederem lectorique promitterem, me omnibus, quae veteres de Atellanis tradidissent, collectis copiosam quaestionem de hac poeseos specie habiturum esse, speravi fore, ut non ita multo post promisso stare mihi daretur. Sed paulo post opusculum editum magistri publici munus a me susceptum est, quod me ab antiquitatis studio, cui ad hoc tempus animo morem gerens vacaveram, adeo avocavit, ut literarum veterum curam, cui omne meum tempus dicare in votis erat, dira necessitas intra angustos otii fines cogeret. Ita factum est, ut tum aliis operibus edendis occupatus, tum variis casibus distractus, sero demum ad pensum diu neglectum nuper denuo redirem. Sed moram lucro potius fuisse opusculo nostro, benevolus lector facile intelliget. De materia enim a me tractata passim egerunt etiam alii viri docti, quaeque ab iis prolata sunt, eo minus in disceptationem ac controversiam vocare dubitavi, quo clariorem lucem rei dubiae certamen ab invidia alienum afferre solet. Etenim in arenam me quo-

dammodo vocavit Dr. Car. Ern. Schober, vir eruditissimus, auctor Dissertationum de Atellanarum Exodiis, et de loco Velleii II, 9 contra meas sententias scriptarum. Cuius viri, etsi neque nunc quidem ab eius partibus stare possum, doctrinam et humanitatem tamen lubens agnosco. Magno emolumento mihi in elaborando hoc opere fuit Fr. Dübneri doctissima censura libelli mei de L. Pomponio in Ephemeridibus criticis, quibus nomen est: *Jahrbücher für Philologie und Pädagogik* ed. M. Ioh. Chr. Iahn 1830 p. 431 sqq., qua incitatus sum, ut ea, quae adumbraveram tantum, fusius explicarem, quae praetermiseram supplerem, quae minus recte protuleram emendarem. Itaque non possum, quin Viro humanissimo, quum aliter fieri non possit, hac occasione oblata, has grates publicas referam. Opinionem meam de lingua Osca in Atellanis non usurpata, cui adversari videtur Dübnerus p. 434, non solum non mutavi, sed defendere pluribus argumentis conatus sum. Confirmatur etiam iis, quae nuper de lingua Osca egit Dr. G. F. Grotefend in Rudimentis Linguae Oscae. Docemur enim ab hoc viro docto, linguam Oscam, cuius variae erant dialecti, Latinae veteri quidem fuisse similem (l. c. p. 48), sed Oscae linguae specimina, quae ex monumentis affert, a seriori Latino sermone tantopere recedunt, ut non videamus, qui fieri potuisset, ut Romana plebs actores Osce loquentes intelligeret, quum vel viri eruditi, ut Horat. Epist. II, 1, 56 et Quinctil. I, 6, 40, etiam Latina ab ultimis et iam obliteratis repetita temporibus, qualia sunt Saliorum carmina, vix sacerdotibus suis satis intellecta esse confiteantur. Tabulae

etiam Bantinae bilingues, quarum in altera parte Latino sermone repetitum fuit, quod in altera Oscis verbis compositum legitur, documento sunt, vulgus Romanum ne ea quidem, quae Osce scripta essent, intellexisse.

Atellanarum fragmenta auctiora dedi, quam qui ante me ea collegerant (Heur. Stephanus, Delrio, Maittaire, Collect. Pisaur., Bothe); quod lector comparatione facta facile animadvertet, nec non studui, quam emendatissima ea in lucem prodere. Sed quum maxima eorum pars a Nonio Marcello petenda sit, cuius sordibus removendis ne Hercules quidem sufficiat, veniae mihi erit, si hic illic mei etiam conatus irriti fuerint. Usus sum his editionibus: Nonius Marcellus, Festus Pompeius, Varro. Impraessum Venetiis apud Magistrum Antonium de Gusago Brixiensem anno domini 1498, fol. (easdem lectiones et mendas praebet ac Brixiens. 1483 et Mediolanens. 1510; Dübner l. c. p. 438). — Non. Marc. de proprietate sermonis — ope vetustissimorum codd. et industria Hadr. Iunii. Antverp. ex officina Christ. Plantini 1565, 8. — Non. Marcell. de propr. serm. Parisiis apud Aeg. Beys 1583. — Nonius Marcellus — adiectae sunt notae Dionys. Gothofredi. Paris. Arnold Sittard 1586, 8. — Non. Marcell. in Gothofredi Auctor. Lat. ling. — Nonii Marcelli nova editio. Additus est libellus Fulgentii et notae (Ios. Merceri) in Non. et Fulg. Sedani Henr. Perrier 1614, 8 (eadem est ac Parisiensis edit. eiusdem anni: Fabricii Bibl. Lat. Tom. III, p. 336 ed. Ernest.). — De Nonii editionibus cf. Hermannus in praefat. ad Plaut. Trinumm. p. VII: „omnino cavendum est, ne quis Parisien-

„sem Non. edit. anni 1614 a Mercero curatam, quae optima „habetur, consuluisse satis habeat. Vehementer enim dis„sentiunt multasque meliores lectiones continent tum Vene„tae veteres seculi XV, tum Plantin. anni 1565 et Paris. „anni 1583.“ — Locos citatos secundum ed. Sedan. recensui.

Iam his praemissis restat, ut opusculum meum qualecunque lectorum benevolentiae atque indulgentiae vehementissime commendem.

Scripsi Vratislaviae Calendis Maiis anni MDCCCXL.

INDEX ORATORUM.

ERRATA ET ADDENDA.

p. 14. De Catonis vita] v. Drumanns Geschichte Roms T. 5. p. 97. quod volumen tum demum Turicum allatum est, cum iam dimidia fere laboris mei pars typis impressa esset.

p. 37. l. 7. ab inf. *indicat* leg. *iudicat*.

» 64. l. 18. *innominatis* leg. *inominatis*.

» 45. l. 1. ab inf. *Τμηθέντον* leg *Τμηθέντων*.

» 46. l. 1. *ὀρκέων* leg. *ὀρκίων*.

» 69 l. 11. *sacellos* leg. *saccellos*.

» 191. l. 10. *iudicariam* leg. *iudiciariam*.

» 441. C. *Salustius Crispus*, Add. *Oratio, quam Ventidio scripsit.*

Hanc orationem Salustius Ventidio imperatori a. 716 (38) scripserat: tum enim Ventidius, ut in Fastis Triumphalibus legitur, egit triumphum ex Tauro monte et Parthis orationemque habuit. Fronto ad Verum Imperat. p. 181. *Ventidius ille, postquam Parthos fugit fugavitque, ad victoriam suam praedicandam orationem a C. Salustio mutuatus est.*

p. 495. l. 9. *Asinius Figulus* leg. *Clsinius Figulus*.

p. 527, l. 26. *Actam* leg. *actam*.

I. *Appius Claudius Crassus Caecus.*

Extat vetus inscriptio apud Orellium t. 1. p. 146. N. 539. (de cuius fide minime dubitandum censet Niebuhrius Hist. Rom. t. 3. p. 430), in qua omnes Appii magistratus enarrantur:

Appius Claudius C. F. Caecus censor, consul bis, dictator, interrex ter, praetor bis, aedilis curulis bis, quaestor, tribunus militum ter, complura oppida de Samnitibus cepit, Sabinorum et Tuscorum exercitum fudit, pacem fieri cum Pyrrho rege prohibuit. In censura viam Appiam stravit et aquam in urbem adduxit, aedem Bellonae fecit.

Natus esse videtur circa annum 400 (354 a. Ch.): senex enim contra Pyrrhum regem a. 474 (280) dixit.

Censor fuit a. 442 (312), consul a. 447 (307), et a. 458 (296) (tempus ceterorum magistratuum incertum). Eius vitam descripsit Niebuhr t. 3. p. 344 sequ. et Drumannus Geschichte Roms t. 2. p. 170.

Appius primus omnium Romanorum auctor esse traditur, nec orationem tantum sed carmina quoque et libros de iure reliquit.

Cicero in Bruto 16, 61. *Nec vero habeo quemquam antiquiorem cuius quidem scripta proferenda putem*, (quam Catonem), *nisi quem Appii Caeci o r a t i o h a e c i p s a d e P y r r h o et nonnullae mortuorum laudationes forte delectant.*

Isidorus Originum lib. 1, 27, 2. *Apud Romanos Appius Caecus* (in edit. Lindemanni A p p i u s G r a e c u s male legitur) *adversus Pyrrhum solutam orationem primus exercuit.*

Livius l. 10, 19 eximiam fuisse Appii eloquentiam scribit.

Dictio Appii rudis erat, et ea, ut Ciceronis temporibus

nemo pene eum legeret: attamen fuerunt nonnulli, qui nimio antiquitatis amore magni eum usque aestimare solebant. Testis est

Seneca Epist. 114. *Multi ex alieno seculo petunt verba, duodecim tabulas loquuntur, Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt, ad Appium usque et ad Coruncanium redeunt.*

Gracchus] intelligo Caium Gracchum, L. Licinium Crassum, C. Scribonium Curionem avum et Tiberium Coruncanium.

Tacitus Dial. de Orat. 18. *Num dubitamus inventos, qui prae Catone Appium Caecum magis mirarentur?*

ibid. c. 21. *Asinius, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse.*

Asinius] Asinius Pollio.

I. Oratio de Pyrrho rege.

Ea est habita a. 474 (280).

Livii epitome l. 13. *Cineas, legatus a Pyrrho ad senatum missus, petiit, ut componendae pacis causa rex in urbem reciperetur; de qua re cum ad frequentiorem senatum referri placuisset, Appius Claudius, qui propter valetudinem oculorum iamdiu consiliis publicis se abstinuerat, venit in curiam, et sententia sua tenuit, ut id Pyrrho negaretur.*

Cicero Catone maiore c. 6, 16. *Ad Appii Claudii senectutem accedebat etiam, ut caecus esset, tamen is cum sententia senatus inclinaret ad pacem cum Pyrrho foedusque faciendum, non dubitavit dicere illa, quae versibus persecutus est Ennius*

Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant
antehac, dementes sese flexere viai?

ceteraque gravissime: notum enim vobis carmen est, (int. Ennii) et ipsius Appii extat oratio. Atque haec ille egit septem et decem annis post alterum consulatum, cum inter duos consulatus anni decem interfuissent, censorque ante superiorem consulatum fuisset: ex quo intelligitur Pyrrhi bello grandem sane fuisse, et tamen sic a patribus accepimus.

septem et decem annis] consul iterum fuit a. 458 (296). 458 + 17 = 475. Unde suspicatur St. Allais (l'art de vérifier les dates. Vol. 5. p. 436), item Fischer (römische Zeittafeln ad h. a.) orationem Appii a. 475 (279) esse habitam, non a. 474 (280), ut vulgo putatur.

Valerius Max. 8. 13, 5. *Appius fessus iam vivendo, lectica se in curiam deferri iussit, ut cum Pyrrho deformem pacem fieri prohiberet.*

Suetonius Tiberio 2. *Appius Caecus societatem cum rege Pyrrho ut parum salubrem iniri dissuasit.*

Ovid. Fasti 6, 203.

Appius est auctor, Pyrrho qui pace negata
multa animo vidit, lumine captus erat.

Orationem ipsam non amplius habemus, sed imaginem eius ex Plutarcho (vita Pyrrhi c. 19) et Appiano (de rebus Samniticis l. 3. fragm. 10, 2) adumbrare licet. Incertum autem est, an horum scriptorum verba aliquid contineant, quod ex ipsa Appii oratione fluxerit, imo potius veri simile, utrumque nihil aliud retulisse nisi quod Dionysius Halicarnassensis in historia sua tradidisset (Niebuhr Hist. t. 3. p. 571). Deinde Niebuhrius quoque Appii orationem imitari conatus est t. 3. p. 570—578.

Librorum Appii de iure facta est mentio apud Pomponium Digestorum l. 1. 2, 36. *Appius Claudius de Pyrrho in urbe non recipiendo sententiam tulit: hunc etiam actiones scripsisse traditum est, primum de usurpationibus, qui liber non extat.*

Carmina quoque Saturnia condidisse videtur, extantque eorum fragmenta apud Cic. Tuscul. 4, 2, 4. Pseudo-Salustius in Epist. ad Cæsarem de republica c. 1. Priscian. t. 1. p. 370. ed. Krehl. Festus p. 317. ed. O. Müller. (Sed ipse Müllerus p. 316. dubitat, an fragmentum, quod Festus ex Appii sententiis attulit, ex carmine sit sumtum, verum sententias in iure pronuntiatas potius intelligendas esse censet.) Conf. praeterea de Appii carminibus Santenius ad Terentianum p. 177. Ulrici Geschichte der Historiographie p. 88. Spalding ad Quintilianum l. 12, 9, 9. Wolfii

Scholae in Cic. Tuscul. 4 § 4. ed. Orelli. Niebuhr Gesch. v. Rom T. 2. p. 9., T. 3. p. 366. Krause Gesch. d. röm. Litteratur p. 115. Duentzer et Lersch de versu Saturnio p. 60.

II. *Q. Fabius Maximus Verrucosus Cunctator.*

Is quinquies consul erat, a. 521 (233), 526 (228), 539 (215), 540 (214), 545 (209). Mortuus est a. 551 (203). Livius l. 30, 26.

Cicero Brut. c. 14. *Q. etiam Maximus Verrucosus orator habitus est temporibus illis.*

Ibid. c. 19. 77. *Cum hoc Catone grandiores natu fuerunt C. Flaminius, C. Varro, Q. **Maximus**, Q. Metellus, P. Lentulus, P. Crassus.*

1. Laudatio funebris Quinti filii.

Q. Fabius Maximus filius consulatum gessit a. 541 (213), sed quo deinde anno diem supremum obierit, incertum est.

Cicero Cato Mai. 4, 12. *Multa in Q. Fabio praeclara cognovi, sed nihil est admirabilius, quam quomodo ille mortem filii tulit, clari viri et consularis. **Est in manibus laudatio**, quam cum legimus, quem philosophum non contemnimus?*

Plutarchus vita Fabii c. 1. *Ὁρῶν δὲ καὶ τῆς πολιτείας τὸ μέγεθος καὶ τῶν πολέμων τὸ πλῆθος, ἤσκει τὸ μὲν σῶμα πρὸς τοὺς πολέμους ὥςπερ ὅπλον σύμφυτον, τὸν δὲ λόγον ὄργανον πειθοῦς πρὸς τὸν δῆμον, εὖ μάλα πρεπόντως τῷ βίῳ κατακεκοσμημένον. Οὐ γὰρ ἐπῆν ὡραϊσμὸς οὐδὲ κενὴ καὶ ἀγοραῖος χάρις, ἀλλὰ νοῦς ἴδιον καὶ περιττὸν ἐν γνωμολογίαις σχῆμα καὶ βάθος ἔχων, ἃς μάλιστα ταῖς Θουκυδίδου προςεοικέναι λέγουσι. Διασώζεται γὰρ αὐτοῦ λόγος, ὃν εἶπεν ἐν τῷ δήμῳ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ μεθ᾽ ὑπατείαν ἀποθανόντος ἐγκώμιον.*

Ibid. c. 24. *Τοῦ δὲ Φαβίου τὸν υἱὸν ἀποθανεῖν συνέβη, καὶ τὴν μὲν συμφορὰν ὡς ἀνήρ τε φρόνιμος καὶ πατὴρ χρηστὸς ἤνεγκε μετριώτατα, τὸ δ᾽ ἐγκώμιον, ὃ ταῖς ἐκκομιδαῖς τῶν ἐπιφανῶν οἱ προςήκοντες ἐπιτελοῦσιν, αὐτὸς εἶπε καταστὰς ἐν ἀγορᾷ, καὶ γράψας τὸν λόγον ἐξέδωκεν.*

Fragmentum quoddam huius laudationis sive orationis funebris extare videtur apud Priscianum T. 1. p. 368: *Fabius Maximus: amitti quam apisci passive sunt prolata.*

apisci] i. e. obtineri. Alii hæc verba ex annalibus *Q. Fabii Maximi Serviliani* excerpta esse putant, sed oratori magis quam historico propria esse videntur.

III. *P. Cornelius Scipio Africanus maior.*

Natus a. u. 519 (235), si Livio (l. 26, 18.), Valerio Maximo (l. 3, 7, 1. 4, 3, 1.) et Orosio fides adhibenda est (l. 4, 18.), vel a. u. 516 (238), ut Polybio videtur l. 10, 6.

A. u. 536 (218) interfuit pugnae ad Ticinum, annos septemdecim natus. Livius l. 21, 46. l. 38, 50. Polyb. 10, 3. Florus 2, 6.

A. u. 538 (216) iam tribunus militum ad Cannas. Livius l. 22, 53.

A. u. 542 (212) ante legitimum annum aedilis curulis creatur. Livius l. 25, 2.

A. u. 543 (211) in Hispaniam cum imperio missus. Tum annos natus viginti et quatuor erat, auctore Livio (l. 26. 18.), Valerio Maximo et Orosio l. 4, 18. Sed Polybius l. 10, 6. scribit, Scipionem, septem et viginti annos natum, proconsulatum Hispaniae obtinuisse, unde patet, eum a. 516 (238) esse natum.

A. u. 548 (206) ex Hispania rediit.

A. u. 549 (205) consul fit, triginta annos natus.

A. u. 550 (204) provinciam Siciliam obtinet, indeque cum classe in Africam traiecit, et Hannibalem a. 552 (202) ad Zamam vicit.

A. u. 553 (201) triumphum duxit de Poenis, Hannibale et rege Numidarum Syphace, et Africanus appellatus est.

A. u. 555 (199) censor.

A. u. 560 (194) consul iterum: a censoribus princeps senatus nominatur, tribus deinceps lustris. Livius l. 34, 43. 44. l. 38, 28. l. 39, 52.

A. u. 561 (193) legatus in Africam mittitur. Livius l. 34, 62.

A. u. 564 (190) gratia sua effecit, ut Lucio fratri bellum Antiochenum mandaretur, ipseque legati munus suscepit.

A.u.565 (189) confecto bello rediit, sed de praeda atque pecunia capta multae inter Scipiones et Catonem potissimum lites et inimicitiae ortae, et P. Scipio, ut invidiam effugeret, rus secessit.

De anno, quo mortuus est, dissentiunt scriptores. Valerius Antias scribit, eum obiisse diem a. 567 (187), Livius (l. 39, 50. 52.) et Cicero in Catone maiore c. 6. anno 569 (185), Polybius et Rutilius a. 571 (183).

Conf. Visconti in Iconografia romana T. 1. p. 55. et Pauly Real-Encyclopädie, Lieferung XXIV. p. 654. et Gerlachii commentatio: P. Cornelius Scipio und M. Porcius Cato im Schweizerischen Museum 1837. J. 1. H. 3.

Quamvis sit verisimile, nihil scriptum reliquisse Scipionem superiorem, non omisi eum, quia sub eius nomine oratio quaedam ferebatur.

Cicero Bruto 19, 77. *Ipsum Scipionem accepimus non infantem fuisse.*

non infantem] non rudem eloquentiae.

Cic. de officiis 3, 1. *nulla eius* (Africani) *ingenii monumenta mandata litteris, nullum opus otii, nullum solitudinis munus extat.*

1. Oratio P. Scipionis Africani maioris adversus M. Naevium tribunum plebis.

Ea dicta ferebatur anno u. 569 (185). *Naevius enim in magistratuum libris*, ut Livius ait libro 39, 52., *erat tribunus plebis P. Claudio L. Porcio coss.* a. 570 (184), *sed inierat tribunatum Ap. Claudio M. Sempronio coss.* a. 569 (185).

Argumentum orationis tale. M. Naevius tribunus plebis Africanum in ius vocavit Catone instigante, tamquam ab rege Antiocho pecunia et largitione corruptus, pacem molliorem icisset. Scipio, tribuni contemnens iniuriam, magnifica et generosa usus est oratione.

Gellius 4, 18. *Cum M. Naevius tribunus plebei accusaret Africanum ad populum, diceretque accepisse ab rege Antiocho pecuniam, ut conditionibus gratiosis et*

mollibus pax cum eo populi romani nomine fieret, et quaedam item alia crimini daret indigna tali viro, tum Scipio pauca praefatus, quae dignitas vitae suae atque gloria postulabat, „Memoria, inquit, Quirites, repeto, „diem esse hodiernum, quo Hannibalem Poenum impe- „rio vestro inimicissimum magno praelio vici in terra „Africa, pacemque et victoriam vobis peperi insperabi- „lem. Non igitur simus adversum deos ingrati, sed „censeo, relinquamus nebulonem hunc, eamus hinc pro- „tinus Jovi optimo maximo gratulatum." — Fertur etiam oratio, quae videtur habita eo die a Scipione, et qui dicunt eam non veram, non eunt inficias, quin haec quidem verba fuerint, quae dixi, Scipionis.

Livius 38, 56. *Multa alia in Scipionis exitu maxime vitae dieque dicta, morte, funere, sepulcro, in diversum trahunt, ut cui famae, quibus scriptis adsentiar, non habeam. Non de accusatore convenit (alii M. Naevium, alii Petillios diem dixisse scribunt), non de tempore, quo dicta dies sit, non de anno, quo mortuus sit, non ubi mortuus aut elatus sit. — — Nec inter scriptores rerum discrepat solum, sed orationes quoque, si modo ipsorum sunt, quae feruntur, P. Scipionis et Ti. Gracchi abhorrent inter se. Index orationis P. Scipionis nomen M. Naevii tribuni plebis habet, ipsa oratio sine nomine est accusatoris, nebulonem modo, modo nugatorem appellat.*

Patet, orationes, quae vulgo tradebantur, P. Scipionis et Ti. Gracchi non eamdem causam spectare, nec de eadem lite in utraque agi, sed altera P. Scipionis accusationem M. Nævii tribuni plebis quae in a. 569 (185) cadit, refellit, altera Ti. Gracchi in illa causa versatur, quae orta est, cum Scipio Lucium fratrem ab iniuriis tribunorum plebis defendisset, id quod tum accidit, cum Gracchus ipse tribunus pl. erat a. 567. Fischerus autem (Römische Zeittafeln p. 105) orationem Scipionis anno 567 (187) dictam existimat.

Livius 39, 52. *Scipionem et Polybius et Rutilius hoc anno (571) mortuum scribunt. Ego neque his neque Valerio adsentior, his, quod censoribus M. Porcio L. Vale-*

rio principem senatus ipsum L. Valerium censorem lectum invenio, cum superioribus tribus lustris Africanus fuisset, quo vivo, nisi ut ille senatu moveretur, quam notam nemo memoriae prodidit, alius princeps in locum eius lectus non esset. Antiatem auctorem refellit tribunus plebis M. Naevius, adversus quem oratio inscripta P. Africani est. Hic Naevius in magistratuum libris est tribunus plebis P. Claudio L. Porcio consulibus, sed iniit magistratum Ap. Claudio M. Sempronio consulibus ante diem quartum Idus Decembres: inde tres menses ad Idus Martias sunt, quibus P. Claudius L. Porcius consulatum inierunt. Ita et vixisse in tribunatu Naevii videtur diesque ei dici ab eo potuisse, decessisse autem ante L. Valerii et M. Porcii censuram.

Protulimus supra ex Gellio brevem Africani orationem ad populum, eamdemque refert Livius, sed multo ornatius, lib. 38, 50. *Iussus dicere causam, sine ulla criminum mentione orationem adeo magnificam de rebus ab se gestis est exorsus, ut satis constaret, neminem umquam neque melius neque verius laudatum esse. —— Orationibus in noctem perductis, prodicta dies est. Ubi ea venit, tribuni in Rostris prima luce consederunt. Citatus reus magno agmine amicorum clientiumque per mediam concionem ad Rostra subiit, silentioque facto. Hoc, inquit, die, tribuni plebis vosque Quirites, cum Hannibale et Carthaginiensibus signis collatis in Africa bene ac feliciter pugnavi. Itaque cum hodie litibus et iurgiis supersederi aequum sit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Iovem optimum maximum Iunonemque et Minervam ceterosque deos, qui Capitolio atque arci praesident, salutandos ibo, hisque gratias agam, quod mihi et hoc ipso die et saepe alias egregie reipublicae gerendae mentem facultatemque dederunt. Vestrum quoque quibus commodum est, ite mecum, Quirites, et orate deos, ut mei similes principes habeatis. Ita si ab annis septemdecim ad senectutem semper vos aetatem meam honoribus vestris anteistis, ego vestros honores rebus gerendis praecessi. —*

Hoc dis] Iam ex hoc loco elucet, quale de orationibus Livii ferendum sit iudicium: Gellii enim oratio, quam Scipioni vindicat, multo simplicior est et antiquum colorem redolet, Livius autem antiquitatem et robiginem commutavit splendore atque uberlate orationis suae. Vide ad *Catonis orationem de lege Oppia*. Atque universe tenendum est, eum, qui eloquentiae oratoriae vim bene perceperit, facile sentire, quantum ab opere oratoris historicorum distent orationes, verumque esse id, quod Cassius Severus, orator celeberrimus, apud Senecam in Excerptis Controversiarum l. 3. Praefat. de Salustio dicit, *orationes ipsus Salustii in honorem tantum historiarum legi*, et quod de Thucydide Cicero iudicat in Oratore c. 9. *Numquam est numeratus orator, nec, si historiam non scripsisset, nomen eius extaret.* Conf. Quintilianus 10, 1, 32.

Extat alterum quoque fragmentum orationis Africani adversus M. Naevium.

Cicero de Oratore 2, 61, 249. *Quid hoc Naevio ignavius? severe Scipio.*

Naevio ignavius] ridiculum oritur ex annominatione.

IV. *M. Claudius Marcellus.*

Filius eius, qui quinquies consulatum obtinuit et in bello Punico secundo maxima imperatoris laude floruit. Hic Claudius Marcellus filius aedilis curulis a. 554 (200), praetor a. 556 (198), consul a. 558 (196), censor a. 565 (189). Mortuus est a. 577 (177). Conf. Drumann Geschichte Roms t. 2. p. 391.

1. Laudatio funebris M. Claudii Marcelli patris.

Ea est habita a. 546 (208).

Cum M. Claudius Marcellus pater in quinto consulatu a. 546 (208) Venusiae ab Hannibale insidiis occisus esset, exequiae Romae celebrabantur, et filius eius, qui pugnae interfuerat, orationem funebrem dixit, eamque scriptam reliquit.

Livius l. 27, 27. *Multos circa unam rem ambitus fecerim, si, quae de Marcelli morte variant auctores, omnia exequi velim. Ut omittam alios, L. Coelius triplicem rei gestae ordinem edit, unam traditam fama, alteram scriptam laudatione filii, qui rei gestae interfuerit, tertiam, quam ipse pro inquisita et sibi comperta affert.*

V. *Q. Caecilius Metellus L. f.*

Consul a. u. 548 (206), dictator a. u. 549 (205). Conf. Drumannus Roms Gesch. t. 2. p. 19.

Eius filius (non nepos, ut Ellendt Hallische Litt. Zeit. 1834 Januar p. 93. suspicatus est) est Q. Caecil. Metellus Macedonicus, de quo infra dicemus: id enim testatur ipse Plinius in Hist. 7, 44.

Cicero Bruto 14, 57. *Q. etiam Maximus Verrucosus orator habitus est temporibus illis, et Q. Metellus, is, qui bello Punico secundo cum L. Veturio Philone consul fuit.*

Ibid. c. 19, 77. *Cum hoc Catone grandiores natu fuerunt C. Flaminius, C. Varro, Q. Maximus, Q. Metellus, P. Lentulus, P. Crassus.*

1. Laudatio funebris L. Caecilii Metelli patris.

Ea est habita a. 533 (221).

Plinius Hist. 7, 43. *Q. Metellus in ea oratione, quam habuit supremis laudibus patris sui L. Metelli, pontificis, bis consulis, dictatoris, magistri equitum, quindecimviri agris dandis, qui primus elephantos ex primo Punico bello duxit in triumpho, scriptum reliquit, decem maximas res optimasque, in quibus quaerendis sapientes aetatem exigerent, consummasse eum. Voluisse enim primarium bellatorem esse, optimum oratorem, fortissimum imperatorem, auspicio suo maximas res geri, maximo honore uti, summa sapientia esse, summum senatorem haberi, pecuniam magnam bono modo invenire, multos liberos relinquere et clarissimum in civitate esse; haec contigisse ei nec ulli alii post Romam conditam.*

pontificis] L. Metellus duos et viginti annos pontifex maximus fuit; inde ab anno 511 (243) usque ad 533 (221). Cicero de senect. 9. Drumann l. l.

bis consulis] a. 503 (251) et 507 (247).

dictatoris] a. 530 (224). Freinsheim ad Livium l. 20, 46. Drumann dictaturae non facit mentionem.

magistri equitum] a. 505 (249).
quindecimviri a. d.] nescio quo anno.
in triumpho] quem de Poenis a. 504 (250) gessit.

2. Oratio de Carthagine.

Videtur extitisse Q. Metelli oratio, quam de Poenis in senatu habuit anno 553 (201), cum de conditionibus pacis deliberaretur.

Valerius Max. 7, 2, 3. *Quinti Metelli cum gravis tum etiam alta in senatu sententia, qui devicta Carthagine, nescire se, illa victoria boni ne plus an mali reipublicae attulisset, asseveravit, quoniam, ut pacem restituendo profuisset, ita Hannibalem summovendo nonnihil nocuisset. Eius enim transitu in Italiam dormientem iam populi romani virtutem excitatam, metuique debere, ne acri aemulo liberata in eundem somnum revolveretur.*

VI. *M. Porcius Cato.*

Ut editores orationum Ciceronis bene fecerunt, quod iusto annorum ordine, quo singulae sunt habitae, eas recenserent, sic ego in primis curandum esse existimavi, ut Catonis quoque orationes, quarum non minor extabat numerus, annorum in ordinem redigerem, et omnes, quantum fieri poterat, secundum temporum rationem illustrarentur. Id autem iam ante me in pluribus Ausonius Popma efficere studuit, Lion vero in nulla. Haec autem ratio ad interiorem Catonis Censorii cognitionem multum valet. Exstiterunt eius orationes amplius centum quadraginta, quas legisse in Bruto scribit Cicero c. 17, ita ut numero Ciceronem, cuius centum fere orationum habemus notitiam, non solum aequaret sed anteiret. Ac vestigia trium et nonaginta orationum Catonis invenire mihi contigit (Popma et Lion LXXVII enumerabant). Miramur sane immensam actionum eius copiam atque operae pretium est, in causas eius rei inquirendi. Huc pertinet id potissimum, quod de Catone Livius memoriae tradidit (lib. 39, 40). *In hoc viro,* inquit, *tanta vis animi ingeniique fuit, ut,*

quocumque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. Nulla ars neque privatae neque publicae rei gerendae ei defuit, urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris provexit, huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret. In bello manu fortissimus multisque insignibus clarus pugnis. Idem, postquam ad magnos honores pervenit, summus imperator, idem in pace, si ius consuleres, peritissimus, si causa oranda esset, eloquentissimus. Nec is tantum, cuius lingua vivo eo viguerit, monumentum eloquentiae nullum extet: vivit imo vigetque eloquentia eius, sacrata scriptis omnis generis. Orationes et pro se multae et pro aliis et in alios: nam non solum accusando, sed etiam causam dicendo fatigavit inimicos. Simultates nimio plures et exercuerunt eum et ipse exercuit eas. Nec facile dixeris, utrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitaverit nobilitatem. Asperi procul dubio animi et linguae acerbae et immodice liberae fuit, sed invicti a cupiditatibus animi et rigidae innocentiae, contemtor gratiae, divitiarum, in parsimonia, in patientia laboris, periculi, ferrei prope corporis animique, quem ne senectus quidem, quae solvit omnia, fregerit, qui sextum et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se oraverit, scripseritque, nonagesimo anno Ser. Galbam ad populi adduxerit iudicium. — Cum esset homo novus, at antiquis moribus et ab omni luxuria alienus, nobilitati, quae tum potentia et divitiis abundabat, tum a vetere simplicitate in vita privata degenerare coepit, se opposuit ac princeps eorum fuit, qui superbiae optimatium resistere, sumtus rei publicae minuere, luxum omnis generis et in privata et in publica vita extirpare, direptiones sociorum in provinciis, quas praetores saepe committebant, prohibere, imperatorum peculatus punire atque nobiles a summis honoribus, quos illi tamquam iure suo vindicare solebant,

repellere cupiebant. Huc enim pertinet rogatio eius, *ne idem iterum consul fiat* et multae aliae orationes inprimis censoriae. Sed hac severitate morum non cum iis solum inimicitias gessit; qui de republica male sunt meriti, sed adeo cum Scipionibus, Marcellis, Flamininis, qui cum virtutibus tum rebus gestis cunctis praeerant, sed mitiore utentes disciplina et graecis litteris imbuti a prisca vitae ruditate abhorrebant. Innocentia eius et odium adversus eos, qui in provinciis crudeliter aut avare se gerebant et luxuria atque libidinibus mores civium Romanorum perdebant, causa fuit, cur tot viris consularibus, praetoribus, imperatoribus diem diceret. At facile intelligi potest, multos ei quoque succensuisse, eumque non raro petitum atque lacessitum et in iudicium vocatum esse. Qua de re superest Plinii testimonium luculentum. (Hist. lib. VII, 27.): *Cato primus Porciae gentis tres summas in homine res praestitisse existimatus, ut esset optimus orator, optimus imperator, optimus senator, quae mihi omnia etiamsi non prius attamen clarius fulsisse in Scipione Aemiliano videntur, demto praeterea plurimorum odio, quo Cato laboravit. Itaque sit proprium Catonis, quater et quadragies causam dixisse, nec quemquam saepius postulatum et semper absolutum.* In censuram eius, quod adversa nobilitate, at magno populi favore accepit munus, incidunt orationes sex et viginti, ac plures fortasse: extabant enim eius orationes in omnes, quos aut senatorio loco movit, aut quibus equos ademit, aut quos aerarios fecit. (Livius 39, 42.) Atque eo munere tam usus est severe, ut septem senatores multique equites, quos propter luxum vel inertiam vel crudelitatem superbiamque oderat, loco moverentur. In censibus quoque accipiendis tristis et aspera in omnes ordines censura fuit, sed munus eius adeo gratum acceptumque populo fuit, ut *Censorius* postea nominaretur. Unde Seneca in epistola quadam ad Lucilium (Ep. 87) scribit, *tam reipublicae hercle profuisse nasci Catonem quam Scipionem: alterum enim cum hostibus nostris bellum, alterum cum moribus gessisse.*

Igitur ordinem orationum et argumentum sive fabulam ex historicis potissimum, graecis et latinis, explorare quantum potui, conabar, idque me in septuaginta fere cum aliqua probabilitate effecisse spero; in ceteris maior erat quaestio, quam ut difficultatem vincere potuissem, quia aut res, de qua agebatur, me latebat, aut inscriptio apud grammaticos, qui eius meminere, corrupta extat. Profuit multum *Ausonii Popmae* scriptio, parum altera, quam edidit *Lion*. Ex comparatione autem harum collectionum apparebit, editores priores haud raro in anno definiendo errasse, vel duarum orationum fragmenta in unam conglutinata aut eiusdem orationis in plures separata fuisse. Historia orationum Catonis simul memoria est quinquaginta fere annorum reipublicae romanae: eae enim summa rerum per id temporis spatium in republica gestarum capita attingunt. Atque illustrissima virtutis facinora tum Romanos egisse constat. Hannibal victus, Philippus rex caesus, Graecia tributaria facta, Antiochus, mox Perseus reges superati, Carthago in extremo Catonis anno et Catone potissimum suasore deleri iussa. Romani omnium populorum domini, omnium regum patroni, totius orbis terrarum erant victores. Nec versantur orationes eius fere in causis privatis, sed in iis rebus, quae tum maxime in senatu deliberabantur, aut in legibus suadendis dissuadendisve, aut in causis publicis, quae latissime patebant et a scriptoribus quoque memoriae diligenter sunt traditae. Ideo tria potissimum orationum genera discernere licet, sententias senatorias, orationes iudiciarias et censorias.

De Catonis vita multi scripsere, in primis nominandus Maiansius (Ad XXX Iurisconsultorum omnia fragmenta, quae extant in Iuris Civilis corpore Commentarii. Genevae 1764. 4. T. I. p. 3—113.) atque Schlosserus (universalhist. Uebersicht. II. 3. p. 185.) nec laude doctrinae atque iudicii caret Guil. Ern. Weberi *Commentatio de M. Porcii Catonis Censorii Vita et Moribus*. Bremae 1831. atque Gerlachii disputatio, cui titulus est *Scipio und Cato*,

(Schweizerisches Museum für historische Wissenschaften, I. 3. 1837.) et Westermannus Gesch. d. Bereds. p. 37.

De anno, quo Cato mortuus est, omnes auctores consentiunt: sed de anno natali quinquennio differunt Cicero et Livius inter se. (Conf. Drakenborch ad Livium 39, 40. 41, 28. Schottus ad Aurel. Victor. Illustr. Viri c. 47. p. 203. Lachmann Commentatio de fontibus Livii altera pag. 18. Garatonius ad Cic. Verrin. lib. 1. c. 42. Clinton in Fastis ad a. 537 (217). Ceteri autem auctores aut Livium aut Ciceronem sunt secuti. Ego Ciceronis opinionem veram puto, et Cato ipse eam approbare videtur, ut ex Plutarchi loco in vita Catonis apparebit.

Is enim scribit cap. 1. *Φησὶ γὰρ αὐτὸς (Κάτων) ἑπτακαίδεκα γεγονὼς ἔτη τὴν πρώτην στρατεύσασθαι στρατείαν, περὶ ὃν Ἀννίβας χρόνον εὐτυχῶν ἐπέφλεγε τὴν Ἰταλίαν.* Idem refert Cornelius Nepos vit. Catonis c. 1. *Primum stipendium meruit annorum decem septemque.* Cato septemdecim annos erat natus anno 537 (217), quo anno ad lacum Thrasimenum totum Romanorum exercitum Hannibal profligavit. Hoc ipsius Catonis testimonium Ciceronis opinionem, qui Catonem a. u. 520 natum dicit, maxime adiuvat: nam si secundum Livium anno 515 natus esset, septimum et decimum annum iam anno 532 (222) attigisset, quo anno Hannibal nondum in Italiam venerat, ita ut Cato eo anno prima stipendia adversus Poenos facere non posset. Quare Ciceronem in ea re potius quam Livium sequor, praesertim cum ipse Cato auctor et suasor eiusdem opinionis esse videatur.

Cato igitur a. u. 520 (234) natus est secundum Ciceronem, vel a. 515 (239) secundum Livium. (Cic. Cato c. 4, 10. Livius l. 39, 40.

Cato a. 537 (217) prima stipendia meruit, XVII annos natus. Plut. Cato 1.

Cato ad Capuam miles profectus est, viginti annos natus a. 540 (214). Cic. Cato c. 4, 10. Brutus c. 15. Ad Tarentum stipendia facit a. 545 (209), XXV annos natus. Cic. Cato c. 4. 10.

Quaestor a. 549 (205) designatus, munus iniit a. 550 (204). Cic. Cato c. 4, 10.

Aedilis plebis a. 555 (199). Praetor Sardiniae a. 556. (198). Livius l. 32, 7 et 8.

Consul a. 559 (195). XXXIX annos natus, secundum Ciceronem; si autem Livium sequeris, XLIV annos natus, (eamque rationem Zumptius in annalibus ad h. a. est secutus).

Tribunus militaris in bello contra Antiochum regem gesto a. 563 (191). Cic. Cato 10.

Censor a. 570 (184).

Mortuus est a. 605 (149), LXXXV annos natus. Cic. Bruto c. 15, 61. 20, 80. Laelio c. 3. Velleius 1, 3. Plinius Hist. l. 29, 1, 8. 15, 18, 20. vel XC annos natus secundum Livium l. 39, 40. Plutarch. Cat. c. 15. Valerius Max. l. 8, 7, 1.

Testimonia.

Cicero in Bruto c. 16, 63. *Catonis orationes non minus multae fere sunt quam Attici Lysiae, cuius arbitror plurimas esse, et quodammodo est nonnulla in iis etiam inter ipsos similitudo. Acuti sunt, elegantes, faceti, breves, sed ille graecus ab omni laude felicior. Catonem vero quis nostrorum oratorum, qui quidem nunc sunt, legit aut quis novit omnino? At quem virum, dii boni! (mitto civem aut senatorem aut imperatorem) oratorem enim hoc loco quaerimus. Quis illo gravior in laudando, acerbior in vituperando, in sententiis argutior, in docendo edisserendoque subtilior? Refertae sunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc invenerim et legerim, et verbis et rebus illustribus; licet ex his eligant ea, quae notatione et laude digna sint, omnes oratoriae virtutes in iis reperientur. Cur igitur Lysias et Hyperides amatur, cum penitus ignoretur Cato? Antiquior est huius sermo et quaedam horridiora verba. Ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros, ut aptior sit oratio;*

ipsa verba compone et quasi coagmenta, quod ne graeci quidem veteres factitaverunt: iam neminem antepones Catoni.

Ibid. c. 85, 293. *Equidem in quibusdam risum vix tenebam, cum Attico Lysiae Catonem nostrum comparabas, magnum mehercule hominem vel potius summum et singularem virum: nemo dicet secus, sed oratorem? sed etiam Lysiae similem? Bella ironia, si iocaremur: sin asseveramus, vide ne religio nobis tam adhibenda sit quam si testimonium diceremus. Ego enim Catonem tuum ut civem, ut senatorem, ut imperatorem, ut virum denique cum prudentia et diligentia tum omni virtute excellentem probo, orationes autem eius ut illis temporibus valde laudo: significant enim formam quandam ingenii, sed admodum inpolitam et plane rudem.*

Cornelius Nepos in Catone 3. *In omnibus rebus singulari fuit prudentia et industria: nam et agricola solers et reipublicae peritus et iuris consultus et magnus imperator et* p r o b a b i l i s o r a t o r *et cupidissimus litterarum fuit.*

probabilis orator] i. e. mediocris.

Plutarchus in Catone c. 1. *Τὸν δε λόγον ἐξηρτύετο καὶ παρεσκεύαζεν, πρῶτον μὲν ἀγωνιστὴς εἶναι δοκῶν πρόθυμος, εἶτα καὶ ῥήτωρ ἱκανός.* c. 4. *Τῷ Κάτωνι πολλὴ μὲν ἀπὸ τοῦ λόγου δύναμις ἤυξετο καὶ Ῥωμαῖον αὐτὸν ὁι πολλοὶ Δημοσθένη προσηγόρευον.*

Quintilianus 12, 10. 10. *In oratione si species intueri velis, totidem pene reperias ingeniorum quot corporum formas. Sed fuere quaedam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam iam ingenii vim prae se ferentia. Hinc sint Laelii, Africani,* C a t o n e s *etiam, Gracchique, quos tu licet Polygnotos vel Callonas appelles. Mediam illam formam teneant L. Crassus, Q. Hortensius. Tum deinde efflorescat non multum inter se distantium tempore oratorum ingens proventus.*

Ibid. 12, 3, 9. *M. Cato cum in dicendo praestantissimus tum iuris idem fuit peritissimus.*

Ibid. 12, 10, 39. *Non Scipio, Laelius, Cato in eloquendo velut Attici Romanorum fuerunt?*

Ibid. 12, 11, 23. *M. Cato idem summus imperator, idem sapiens, idem orator, idem historiae conditor, idem iuris, idem rerum rusticarum peritissimus fuit, et inter tot operas militiae, tantas domi contentiones rudi seculo literas graecas aetate iam declinata didicit, ut esset hominibus documento, ea quoque percipi posse, quae senes concupissent.*

Auctor Dialogi de Orator. 18. *Agere fortius iam et audentius volo, si illud ante praedixero, mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi. Sic Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior, sic Graccho politior et ornatior Crassus, sic utroque distinctior et urbanior et altior Cicero.*

Fronto Epist. ad Verum p. 171, ed. Rom. *Contionatur Cato infeste, Gracchus turbulente, Tullius copiose. Iam in iudiciis saevit idem Cato, triumphat Cicero, tumultuatur Gracchus, Calvus rixatur.*

Fronto Epist. ad M. Caesarem p. 82. *Meministi plurimas lectiones, quibus usque adhuc versatus es, comoedias, Atellanas, oratores veteres, quorum aut pauci aut praeter Catonem et Gracchum nemo tubam inflat, omnes autem mugiunt vel stridunt potius.*

comoedias, Atellanas] interpungendum esse inter haec vocabula, docuit Mains in Emendandis p. 414.

Fronto p. 239. *Confusam eam ego eloquentiam catachannae ritu, partim igneis nucibus Catonis, partim Senecae mollibus et febriculosis prunuleis insitam, subvertendam censeo radicitus, imo vero Plautino irato verbo exradicitus.*

igneis] an *ligneis* h. e. duris? Bnttmannus p. 123. edit. Berolin.

Velleius 1, 17. *Oratio ac vis forensis perfectumque prosae eloquentiae decus, ut idem separetur Ca-*

to, (pace P. Crassi Scipionisque et Laelii et Gracchorum et Fannii et Servi Galbae dixerim) ita universa sub principe operis sui erupit Tullio, ut delectari ante eum paucissimis, mirari vero neminem possis nisi aut ab illo visum aut qui illum viderit.

Appuleius apologia t. 2. p. 589, ed. Oudend. *Quamcunque orationem struxerit Avitus, ita illi erit undique sui perfecte absoluta, ut in illa nec Cato gravitatem requirat, nec Laelius lenitatem nec Gracchus impetum nec Caesar calorem nec Hortensius distributionem nec Calvus argutias nec parsimoniam Salustius nec opulentiam Cicero.*

gravitatem] eandem Catoni tribuit laudem Claudianus Mamertus. Vid. infra testimonia *Caii Gracchi*.

Ampelius lib. Memor. c. 19. *Cato censorius, qui toties accusatus est, quoad vixit, nocentes accusare non destitit. Hic est omnium rerum peritissimus, et, ut Sallustio Crispo videtur, romani generis disertissimus.*

Servius ad Virg. Aen. XI. 301. *Maiores nullam orationem nisi invocatis numinibus inchoabant, sicut sunt omnes orationes Catonis et Gracchi. Nam generale caput in omnibus legimus.*

nisi invocatis numinibus] v. Servius ad Virg. Aen. VII, 256. Cicero in Divinat. c. Caecilium c. 13. Valerius Max. in Prologo. Symmachus Epistol. l. 3, 44.

Plinius Epist. 1, 20. *Frequens mihi disputatio est cum quodam homine docto et perito, cui nihil aeque in causis agendis ut brevitas placet, quam ego custodiendam esse confiteor, si causa permittat. Hic ille mecum auctoritatibus agit, ac mihi ex graecis orationes Lysiae ostendit, ex nostris Gracchorum Catonisque, quorum sane plurimae sunt circumcisae et breves.*

1. Oratio pro lege sua de provincialibus sumtibus.

Ea lex a. 556 (198) lata dicitur.

Cato cum videret, provinciales a magistratibus romanis non raro diripi, magnamque pecuniam ab iis exigi, legem promulgavit, qua constitueret, quantum socii

magistratibus praestarent, quaque iis interdiceret, ne amplius postularent. Verisimile est, legem suam oratione quadam populo commendasse, sicuti alias fecit. Constat, eum innocentissimum fuisse: testis est

Livius l. 32, 27. *Sardiniam M. Porcius Cato obtinebat, sanctus et innocens, asperior tamen in foenore coercendo habitus; fugatique ex insula foeneratores, et sumtus, quos in cultum praetorum socii facere soliti erant, circumcisi aut sublati.*

Eodem respicere videntur, quae leguntur in plebiscito de Thermensibus, in Hauboldi Antiqu. rom. Monum. leg. p. 137 vel in Indice Legum a Baitero composito p. 253.

Nei quis magistratus prove magistratu legatus neu quis alius neive imperato, quo quid magis iei dent, praebeant, ab ieisve auferatur, nisei quod eos ex lege Portia dare, praebere oportet, oportebit.

Conf. F. Walter Gesch. d. röm. Rechtes p. 176. Göttling Gesch. d. röm. Staatsverf. p. 422.

2. Suasio in legem populi.

Ea oratio dicta videtur anno 557 (197).

Eo enim anno lex Porcia de provocatione (quae verissime *lex populi* appellari potest) lata traditur. Duplex est opinio de auctore legis: alii enim P. Porcio Laecae tribuno plebis tribuunt, eamdemque opinionem adiuvat denarius argenteus gentis Porciae, in quo inscriptum est *P. LAECA. PROVOCO* et typus quoque ad provocationem pro tergo civium latam, qua gravis poena irrogabatur, si quis verberasset necassetve civem romanum, ut ait Livius lib. 10, 9, adludit. Huic igitur opinioni favent Pighius, Sigonius, Ant. Augustinus, Eckhel Doctr. Numm. t. 5, p. 286., Göttling G. d. röm. Staatsv. p. 427 sq. Atque statuamus licet, P. Porcium Laecam tribunum pl. legem hanc promulgasse eamque M. Catonem suasisse (unde *suasio* illius legis ei tribuitur.) De vi legis haec scribit Göttling:

Diese Lex Porcia ist hauptsächlich zu Gunsten der römischen Bürger in den Provinzen gegeben, welche durch ihr *Provoco* oder *Civis romanus sum* sich vor den Lictoren der Statthalter der Provinzen sicherten, und an ein öffentliches Gericht in Rom appellirten, während die Provinzialen denselben hingegeben waren.

Alii vero legem populi sive de provocatione ipsi M. Catoni vindicant, quos inter P. Manutius atque Zumptius ad Ciceronem in Verr. 5, 63, 163., improbante Baitero in Indice legum, Onomastico Tulliano adiecto p. 252.

Postremo adnotandum, Bolhuisium p. 157. putasse, verba *in legem populi* esse corrupta, atque emendanda *in legem Petillii*, ita ut oratio ad eam referenda esset causam, de qua in oratione *de pecunia regis Antiochi* dictum. Sed nulla alia lex maiore iure *lex populi* appellari potest nisi *lex Porcia de provocatione*. Maiansius quoque p. 42 ambigebat, quomodo *legem populi* interpretaretur: scribit enim: *quodnam fuerit argumentum suasionis Catonianae in legem Populi, ab aliis discere cupio.*

Nonius p. 87. *Compluries*, frequenter. *Cato suasione in legem populi: Quod compluries usu venit, omni tempore anteventum esse: rem publicam reddimus.*

anteventum esse] an legendum *anteventum est*? id est, was sehr oft bisher eingetreten war, das ist jetzt auf alle Zeiten verhütet.

reddimus] editio apud Bolhuisium *reddidimus*, vere: id est, restituimus.

Alterum testimonium, Catonem pro ea lege dixisse, extat apud Festum p. 234. *Pro scapulis cum dicit Cato, significat pro iniuria verberum. Nam complures leges erant in cives rogatae, quibus sanciebatur poena verberum: his significat prohibuisse multos suos cives in ea oratione, quae est contra M. Caelium: si em percussi, saepe incolumis abii, praeterea pro rep. pro scapulis atque aerario multum r. p. profui.*

3. Oratio de lege Oppia.

Hanc orationem Cato habuit consul anno 559 (195). Livius 34, 1. *Inter bellorum magnorum aut vixdum finitorum aut imminentium curas intercessit res parva dictu, sed quae studiis in magnum certamen excesserit. M. Fundanius et L. Valerius tribuni plebei ad plebem tulerunt de Oppia lege abroganda. Tulerat eam C. Oppius tribunus plebis, Q. Fabio Ti. Sempronio consulibus (a. 539. a. Chr. 219) in medio ardore Punici belli, ne qua mulier plus semunciam auri haberet, neu vestimento versicolori uteretur, neu iuncto vehiculo in urbe oppidove aut propius inde mille passus nisi sacrorum publicorum causa veheretur. M. et T. Iunii Bruti tribuni plebis legem Oppiam tuebantur, nec eam se abrogari passuros aiebant. Ad suadendum dissuadendumque multi nobiles prodibant. Capitolium turba hominum faventium adversantiumque legi complebatur. Matronae nulla nec auctoritate nec verecundia nec imperio virorum contineri limine poterant, omnes vias urbis aditusque in forum obsidebant, viros descendentes ad forum orantes, ut florente republica, crescente in dies privata omnium fortuna, matronis quoque pristinum ornatum reddi paterentur. Iam et consules praetoresque et alios magistratus adire et rogare audebant, ceterum minime exorabilem alterum utique consulem M. Porcium Catonem habebant, qui pro lege, quae abrogabatur, ita disseruit. etc.* — M. Cato, qui per totam vitam parsimonia et odio luxuriae excellebat, praecipue auctor fuit, ne lex Oppia abrogaretur, quae olim placuerat temporibus reipublicae id postulantibus, ut mulieres in inopia et miseria civitatis pecunias privatas in publicum usum potius verterent, quam in vestes et luxuriam effunderent. Abrogata est lex, quia Roma Hannibale victo divitiis abundabat Carthaginiensium. Catonem vicerunt matronae.

Conf. Valerius Max. 9, 1, 3. Walter Gesch. des römischen Rechts p. 252.

Livius elegantem sane orationem Catoni tribuit, sed a Catonis aetate atque genere dicendi multum abhorrere videtur. Ipsam eius orationem non amplius habemus, et pauca fragmenta superesse videntur. Errat autem Sigonius, cum ad Livium 34, 1, 7. dicit: *Citat Priscianus hanc orationem cum hoc indice: Cato in oratione: Ne lex Oppia abrogetur.*

Quod si haec oratio superesset, facile cognosceremus, quantopere iam tum luxuria una cum moribus elegantioribus Romae regnare coeperit.

Servius in Virg. Aeneid. 4, 698.: *flavum crinem. In Catone legitur de matronarum crinibus: Flavo cinere unctitabant, ut rutilae essent.*

flavo cinere] vide Rutgers Ouwens Noctes Haganae p. 622. „*Cato*, ait, *exprobravit matronis luxum, quippe quae, ut rutilae essent, id est, ut viderentur formosae, non ut meretrices, colorem comae insperso cinere flavo mutaverint, et decorem ex illo colore quaesiverint.*"—

Servius in Virg. Aen. 3, 64. *Cato ait, deposita veste, purpurea feminas usas caerulea, cum lugerent.*

Cato] incertum, utrum in hac oratione an potius in libris Originum id dixerit.

Ut autem Livius orationem Catonis fictam operi suo inseruit, ita graeci quoque scriptores idem fecerunt.

Plutarchus vit. Caton. 8. *Μέλλων ποτὲ τὸν Ῥωμαίων δῆμον ὡρμημένον ἀκαίρως ἐπὶ σιτομετρίας καὶ διανομὰς ἀποτρέπειν ἤρξατο τῶν λόγων οὕτως· Χαλεπὸν μέν ἐστιν, ὦ πολῖται, πρὸς γαστέρα λέγειν ὦτα οὐκ ἔχουσαν.*

Κατηγορῶν τῆς πολυτελείας ἔφη χαλεπὸν εἶναι σωθῆναι πόλιν, ἐν ᾗ πωλεῖται πλείονος ἰχθὺς ἢ βοῦς.

Περὶ τῆς γυναικοκρατίας διαλεγόμενος, Πάντες, εἶπεν, ἄνθρωποι τῶν γυναικῶν ἄρχουσιν, ἡμεῖς δὲ πάντων ἀνθρώπων, ἡμῶν δ' ἁι γυναῖκες. Τοῦτο μὲν οὖν ἐστιν ἐκ τῶν Θεμιστοκλέους μετενηνεγμένον ἀποφθεγμάτων.

Zonaras IX, 17.: *Κοσμείσθωσαν οὖν αἱ γυναῖκες μήτε χρυσῷ, μήτε λίθοις ἤ τισιν ἀνθηροῖς καὶ ἀμοργίνοις ἐσθήμασιν, ἀλλὰ σωφροσύνῃ, φιλανδρίᾳ, φιλοτεκνίᾳ, πειθοῖ, μετριότητι, τοῖς νόμοις τοῖς κειμένοις, τοῖς ὅπλοις τοῖς ἡμετέροις, ταῖς νίκαις, τοῖς τροπαίοις.*

Κοσμείσθωσαν] Hic locus a Zonara ex libris Cassii Dionis translatus, ut Duebnero placet in Jahn Neue Jahrbücher 1834. XI. 3. p. 280., et Lachmanno Comment. de fontibus Livii altera p. 18. Bolhuis autem in commentatione de M. Catone p. 156. ex peroratione haec sumta opinatur, et vera Catoniana putat. Ego Duebnero assentior, qui Cassii Dionis esse existimat.

4. Oratio, quam dixit Numantiae apud equites.

Dicta est in consulatu a. 559 (195). Idem sentit Maiansius p. 13.

Constat, Catonem consulem provinciam obtinuisse Hispaniam citeriorem, et in regione Celtiberorum, quorum caput est Numantia, multa proelia commisisse. Unde verisimile est, hanc orationem illo anno 559 (195) dixisse. Nec tamen accurate definiri potest, quo mense vel die apud Numantiam data occasione ante proelium equites suos fuerit allocutus. Id silent annales, qui supersunt. Sed nihilominus in illum annum orationem hanc cadere arbitror, cum Cato non alio tempore in Hispania fuisset. Similis ad equites allocutionis, initio eiusdem belli dictae, mentio fit apud Livium 34, 13. *Ubi satis admodum et suorum et hostium animos est expertus, convocari tribunos praefectosque et* ***equites omnes*** *et centuriones iussit (Cato). Tempus, inquit, quod saepe optastis, venit, quo vobis potestas fieret virtutem vestram ostendendi etc.*

Alii interpretes alio tempore hanc orationem dictam putant. Popma in quaestura eam habitam esse dicit, cum in Africa quaestor esset P. Scipioni consuli ad bellum Punicum II., idque accidisse sub annum 549 (550) Tuditano et Cethego coss. Sed errare videtur, quod Cato quaestor in Sicilia et Africa stipendia fecerat, non in Hispania.

Ellendtius autem coniicit, Catonem iam ante quaesturam in Hispania stipendia fecisse et equitatus praefectum fuisse et tunc temporis aliquando oratione equites suos cohortatum. (Hallische Litteraturzeitung 1834. Januar.)

Gellius 16, 1. *In Catonis oratione, quam dixit Numantiae apud equites, haec sunt: Cogitate cum animis vestris, si quid vos per laborem recte feceritis: labor ille a vobis cito recedet, bene factum a vobis, dum vivitis, non abscedet. Sed si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit.*

Festus p. 201. ed. Müll. *Optionatus ut decurionatus, pontificatus dicitur, ut Cato in ea, quam habuit apud equites: Maiores seorsum atque diversum pretium paravere bonis atque strenuis, decurionatus, optionatus, hastas donaticas, aliosque honores.*

bonis atque strenuis] int. militibus.

optionatus] munera optionum. Festus p. 198. *Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur accensus. Is adiutor dabatur centurioni a tribunis militum.*

hastae donaticas] Paulus Diaconus s. v. *hastae* p. 101. *Romani fortes viros saepe hasta donarunt.* Alias *hastae purae* dicuntur. Millin Voyage au midi de la France T. 4. P. 1. p. 253. *Hastae purae c'étaient des lances sans fer, qui se donnoient à ceux, qui les premiers avaient tué des ennemis dans un combat.* Kreuzer Römische Antiquitäten § 260. Inscriptiones Orellii Nro. 3457. In multis numis vel dii vel homines, hastas puras manibus ferentes velut signum honoris atque victoriae, extant.

Lion p. 79 huic orationi addidit duo fragmenta, quae ex oratione *de bello Carthaginiensi* excerpta sunt.

5. Oratio ad populum de triumpho.

Haec oratio videtur habita anno 560 (194), cum ex Hispania Cato Romam rediverat. Imperatores enim romani in concione extra urbem more maiorum ante triumphi diem ordinem actorum suorum commemorare so-

lebant, ut Velleius lib. 1. c. 10, 4. memoriae tradidit. Livius 34, 46. *M. Porcius Cato ex Hispania triumphavit; tulit in eo triumpho argenti infecti viginti quinque millia pondo, bigati centum viginti tria millia, Oscensis quingenta quadraginta, auri pondo mille quadringenta. Militibus ex praeda divisit in singulos ducenos septuagenos aeris, triplex equiti.*

infecti] non signati. Isidorus Origin. l. 16, 18, 13. *Tria sunt genera argenti et auri et aeris, signatum, factum, infectum. Signatum est, quod in numis est; factum est, quod in vasis et signis; infectum, quod in massis est, quod et grave dicitur, id est massa.*

bigati] argentum bigatum, i. e. denarii argentei romani, qui bigati dicebantur, quia bigae solitus eorum typus erant. Omnium enim numorum familiarum, quotquot supersunt, et bigati et quadrigati sunt creberrimi. Conf. Tacit. De Germanie c. 5.

Oscensis] In Hispania iam tum duplex pecuniae genus in usu eret, romana et patria; romana eutem non minus apud Hispanos videtur vulgaris ac trite fuisse quam patria. Oscensis moneta communi nomine dicta est, quod primi fuere Oscenses, qui hac forma et hoc pondere argentum signaverunt, aliis deinde Hispaniae urbibus eamdem in pecunia sua legem sequentibus, ut nos florenos aureos dicimus, non quod Florentiae signati sunt, sed quod praeivere Florentini. Eckhel Doctrina Num. T. 1. p. 4. De Osca urbe v. Mannert Hispania p. 409. Ukert T. 2. P. 1. p. 451. Extant etiamnunc numi Oscenses, quos descripsit Mionnetius (Description des Médailles antiques T. 1. p. 46.)

ducenos septuagenos aeris] CCLXXasses.

triplex equiti] id ratione et usu valebat: equiti enim triplex stipendium dari solebat. Niebuhr Geschichte von Rom T. 2. p. 496 seq.

Priscianus T. 1. p. 108. Inveniuntur quaedam, quae, quamvis sint accidentia, id est, adiectiva, et eorum significatio exigat, ut faciant comparativa, tamen non habentur in usu frequenti. Sunt autem ea plerumque, quae vocales ante *us* habent, ut pius, egregius, arduus, dubius, strenuus. Vetustissimi tamen huiuscemodi comparativis sunt usi. *Cato ad populum de triumpho: asperrimo atque arduissimo aditu.*

6. Oratio, ne imperium sit veteri, ubi novus venerit.

Oratio anno 560 (194) dicta videtur.

Argumentum tale est. Cum Cato consul in Hispania bellum gessisset, et Scipio maior ei succedere vellet in provincia, Cato non tam cito e provincia decessit quam Scipio, qui eum oderat, cupiebat, unde in senatu lis orta erat, et Cato post reditum de eadem re egisse et in oratione sua id potissimum tractavisse videtur, quomodo se habeat, quod inimici postulant, ne imperium sit veteri magistratui, ubi novus magistratus venerit.

Cornelius Nepos v. Cat. c. 2. *Cato consulatum gessit cum L. Valerio Flacco, sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem, exque ea triumphum deportavit. Ibi cum diutius moraretur, P. Scipio Africanus consul iterum, cuius in priore consulatu quaestor fuerat, voluit eum de provincia depellere, et ipse ei succedere, neque hoc per senatum efficere potuit, cum quidem Scipio in civitate principatum obtineret, quod tum non potentia, sed iure respublica administrabatur. Qua ex re iratus, consulatu peracto privatus in urbe mansit.*

Plut. Cato c. 11. *ἔτι δ᾽ αὐτοῦ (Κάτωνος) διατρίβοντος ἐν Ἰβηρίᾳ Σκηπίων ὁ μέγας, ἐχθρὸς ὢν καὶ βουλόμενος ἐνστῆναι κατορθοῦντι καὶ τὰς Ἰβηρικὰς πράξεις ὑπολαβεῖν, διεπράξατο τῆς ἐπαρχίας ἐκείνης ἀποδειχθῆναι διάδοχος, σπεύσας δ᾽ ὡς ἐνῆν τάχιστα κατέπαυσε τὴν ἀρχὴν τοῦ Κάτωνος. Ὁ δὲ λαβὼν σπείρας ὁπλιτῶν πέντε καὶ πεντακοσίους ἱππεῖς προπομποὺς κατεστρέψατο μὲν τὸ Λακετανῶν ἔθνος, ἑξακοσίους δὲ τῶν ηὐτομοληκότων κομισάμενος ἀπέκτεινεν. Ἐφ᾽ οἷς σχετλιάζοντα τὸν Σκηπίωνα κατειρωνευόμενος οὕτως ἔφη τὴν Ῥώμην ἔσεσθαι μεγίστην, τῶν μὲν ἐνδόξων μαὶ μεγάλων τὰ τῆς ἀρετῆς πρωτεῖα μὴ μεθιέντων τοῖς ἀσημοτέροις, τῶν δ᾽ ὥσπερ αὐτός ἐστι δημοτικῶν ἁμιλλωμένων ἀρετῇ πρὸς τοὺς τῷ γένει καὶ τῇ δόξῃ προήκοντας. Οὐ μὴν ἀλλὰ τῆς συγκλήτου ψηφισαμένης μηδὲν ἀλλάττειν μηδὲ κινεῖν τῶν διῳκημένων ὑπὸ τοῦ Κάτωνος, ἡ μὲν ἀρχὴ τῷ Σκη-*

πίωνι τῆς αὐτοῦ μᾶλλον ἢ τῆς Κάτωνος ἀφελοῦσα δόξης ἐν ἀπραξίᾳ καὶ σχολῇ μάτην διῆλθεν.

Gellius 20, 2. *Siticines* scriptum est in *oratione M. Catonis*, quae inscribitur *Ne imperium sit veteri, ubi novus venerit. Siticines*, inquit, *et liticines et tubicines.*

Siticines] Gellius: *Nos in Capitonis Ateii Coniectaneis invenimus, siticines appellatos, qui apud sitos canere soliti essent, hoc est, vita functos et sepultos, eosque habuisse proprium genus tubae, qua canerent, a ceterorum tubicinum differens.*

Nonius p. 54. *Siticines.* Ut liticines a lituo, ut tubicines a tuba, ita siticines, qui apud funeratos vel vita functos et sepultos, hoc est, iam sitos, canere soliti erant honoris causa cantus lamentabiles. Hoc in libris Coniectaneis Ateii Capitonis invenitur, et Cato id vocabulum indubitanter apposuit.

Cato] Nonius Gellii locum excerpsit.

7. Oratio, cum in Hispaniam consul proficisceretur.

Hanc orationem a Catone a. 560 (194) dictam opinior. Quamvis enim illa inscriptione annus consulatus Catonis, i. e., a. 559 (195), quo in Hispaniam ad bellum profectus est, significatur, fragmenta tamen ipsa docent, non antequam in provinciam abiret, sed potius post reditum ex Hispania orationem dixisse Catonem. Inimici enim eum accusaverunt, quod nimium sumtum in provincia fecisset et in ea administranda luxuriose egisset. Dies dicta est. Cato omnium rerum gestarum reddidit rationem, et totum apparatum sumtumque, quo et publice et privatim usus fuerit, exposuit. Index igitur orationis esse videtur: *Oratio de apparatu suo vel de sumtu suo, quom in Hispaniam consul proficisceretur.* Ideoque huc referendum arbitror fragmentum, quod apud Frontonem extat, et orationi *De sumtu suo* tribuitur.

Appuleius Apologia de Magia T. 2. p. 431. ed. Oudendorp.: *M. Cato nihil oppertus, ut alii de se prae-*

dicarent, ipse in o r a t i o n e *sua scriptum reliquit, quum in Hispaniam consul proficisceretur: tres servos solos ex urbe duxisse; quom iam ad publicam villam venerat, parum visum, qui uteretur, iussisse duos pueros in foro de mensa emi, eos quinque in Hispaniam duxisse.*

ad publicam villam] Exieral Calo cum Iribus servis, sed cum ad villam publicam, quae in campo Marlio eral, pervenisset, subiit animum cogilatio, non posse lam paucos servos sufficere provinciam adininistranli, misil ergo in urbem, qui duos emerel. Pricaeus.

qui uteretur] antique pro *quibus*.

de mensa] mensa est catasta aut lapis, in quo servi venales prostabant. Kreuzer Röm. Antiqail. p. 45. Gallus von Becker T. 1. p. 104.

Festus p. 169. (*navi*)tas secundum incorr(uptam consuetudinem dic)tos, quos nunc n(*autas* dicimus, testis est) *Cato in ea, quam scripsit* (cum in Hispaniam proficisce)*retur,* cum ait: *Navitae (quod secum portaverant) vinum atque oleum, usus (eodem sum.)*

Plinius Hist. Nat. 14, 13. *Idem Cato, cum in Hispaniam navigaret, unde cum triumpho rediit: Non aliud,* inquit, *vinum bibi quam remiges.*

Frontinus Strategematicon lib. IV. 3, 11. *M. Catonem vino eodem, quo remiges, contentum fuisse traditur.*

Valerius Maximus IV, 3. 11. Age si quis hoc seculo vir illustris *pellibus hoedinis* pro stragulis utatur, *tribusque servis comitatus Hispaniam regat, et quingentorum assium sumtu transmarinam provinciam petat, eodem cibo eodemque vino, quo nautae, uti contentus sit,* nonne miserabilis existimetur? Atqui ista patientissime *superior Cato* toleravit, quia illum grata frugalitatis consuetudo in hoc genere vitae cum summa dulcedine continebat.

Festus p. 154. *Maledi*(*ctores* dicebant antiqui quos)-nos appellamus (maledicos. *Cato cum proficisceretur in*) *Hispania: re* (*movendi maledictores.*)

Hispania] *Hispaniam* Ursinus. Deest hoc fragmentum apud Popmam et Lion.

8. Oratio De sumtu suo.

Opinor, indicem orationis fuisse *Oratio contra M. Cornelium de sumtu suo, quum in Hispaniam consul proficisceretur*. Argumentum igitur ex oratione superiore petendum.

Fronto p. 149. Quoniam mentio παραλείψεως habita est, non omittam, quin te impertiam, quod de figura ista studiosius animadverterim, neque graecorum oratorum neque romanorum, quos ego legerim, elegantius hac figura usum quemquam quam *M. Porcium in ea oratione, quae De sumtu suo inscribitur*. In qua sic ait:

Iussi caudicem proferri, ubi mea oratio scripta erat. De ea re quod sponsionem feceram cum M. Cornelio, tabulae prolatae; maiorum bene facta perlecta, deinde quae ego pro republica fecissem, leguntur. Ubi id utrumque perlectum est, deinde scriptum erat in oratione. „Numquam ego pecuniam neque meam neque sociorum per ambitionem delargitus sum." Atat noli, noli scribere, inquam, istud nolunt audire. Deinde recitavit. „Num quos praefectos per sociorum vestrorum oppida inposivi, qui eorum bona, liberos diriperent?" Istud quoque dele, nolunt audire. Recita porro: „Numquam ego praedam, neque quod de hostibus captum esset, neque manubias inter pauculos amicos meos divisi, ut illis eriperem, qui cepissent." Istuc quoque dele; nihilo minus volunt dici: non opus est. Recitato: „Numquam ego evectionem datavi, quo amici mei per symbolos pecunias magnas caperent." Perge istuc quoque uti cum maxime delere. „Numquam ego argentum pro vino congiario inter apparitores atque amicos meos disdidi, neque eos malo publico divites feci." Enimvero usque istuc ad lignum dele. Vide, sis, quo loco res publica siet, uti quod reipublicae bene fecissem,

unde gratiam capiebam, nunc idem illud memorare non audeo, ne invidiae siet. Ita inductum est, male facere inpoene, bene facere non inpoene licere. — Haec forma παραλείψεως nova nec ab ullo alio, quod ego sciam, usurpata est. Iubet enim legi tabulas, et quod lectum sit, iubet praeteriri.

caudicem] codicem.

de ea re] non intelligo.

sponsionem feceram] sponsionem facere explicat Rein Das römische Privatrecht p. 451. et Rost opuscula Plautina T. 1. p. 78.

M. Cornelio] M. Cornelius Catonem reum fecerat, ut qui nimio sumtu usus esset in consulatu. Haec quoque oratio libro *Dierum dictarum de consulatu suo* (de quo infra dicemus) inserta erat. M. Cornelius fortasse M. Cornelius Scipio Malugmensis est, cuius Livius lib. 41, 27. mentionem facit. Maius adnotat: „Sine dubio hic est Cornelius, contra quem habuit orationem apud populum Cato, auctore Festo voc. *repulsior*." — Res incerta: in Festo enim orationem Catonis in Lucium Cornelium Scipionem potius intellexerim.

atat] v. Handii Tursellinus s. v.

bona, liberos] nonne legendum *bona, coniuges, liberos?*

praedam - manubias] Favorinus apud Gellium 13, 24 dicit: *Aliud omnino praeda est, aliud manubiae. Num p r a e d a dicitur corpora ipsa rerum, quae capta sunt* (die Gegenstände, die erbeutet sind), *m a n u b i a e vero appellatae sunt pecunia a quaestore ex venditione praedae redacta* (das aus der Beute erlöste Geld).

evectionem] diploma, quo facultas otendi equis publicis conceditur. Conf. Walter Gesch. des römischen Rechtes p. 176.

per symbolos] per litteras publicas, publice.

vino congiario] alibi dicitur vinum honorarium. Isidorus Origg. 20, 3, 8. *Cato De innocentia sua: Cum essem in provincia legatus, quamplures ad praetores et consules vinum honorarium dabant: numquam accepi.* Plinius Hist. 14, 14. *L. Lucullus cum rediit ex Asia, millia cadum congiariorum divisit amplius centum.* In nummis quoque congiaria imperatorum saepe laudantur.

usque ad lignum] imago ex tabulis cereis petita, in quibus cera ad inscribendum supra tabulam ligneam lita erat. Orellius bene explicuit: abrasa omni cera usque ad nudum tabularum lignum.

9. Cato dierum dictarum de consulatu suo.

Suspicor, indicem esse *M. Catonis liber dierum dictarum de suo consulatu.* In eo libro omnes orationes coniunctae erant, quas Cato in iis egerat causis, quae de suo consulatu et de administratione Hispaniae provinciae erant ortae. Ex uno Charisii loco vera inscriptio agnosci et restitui poterat. Charisius enim dicit s. v. *porro* p. 126. ed. Lindem. „*M. Cato dierum dictarum de consulatu suo: Inde pergo porro ire in Turtam.* Idem supra: *Itaque porro in Turtam proficiscor servatum illos.* Pro longius *Afranius in Vopisco: Sinunt di et porro passuros scio.* Porro pro in futurum. *M. Cato in eodem: Me sollicitum atque exercitum habitum esse, atque porro fore.*" Illud *in eodem* aliter suppleri non potest nisi addito *libro.* Nunc de argumento aliquid dicendum.

In priore oratione vidimus, Catonem post consulatum accusatum fuisse, quod nimios in apparatu belli sumtus fecisset. Eum absolutum esse compertum est. Sed adversarii eius nondum placati erant. Denuo de rebus in consulatu gestis et de provincia administrata a pluribus in ius vocatur, nec alio tempore quam causa praecedens hae quoque dictae videntur, anno igitur 560 (194). Et vestigium harum litium sive dierum dictarum in Plutarchi vita Catonis cap. 11. et Nepote vita Caton. 2. deprehendimus. Scipio enim superior, qui tum consul fuit, invidus laudum Catonis consulis et gloriae belli in Hispania comparatae, calumniari coepit acta eius, eaque rescindere cupiebat. Sed senatus decrevit, *μηδὲν ἀλλάττειν μηδὲ κινεῖν τῶν διῳκημένων ὑπὸ τοῦ Κάτωνος.* In his verbis fons uberrimus causarum latet et argumentum dierum dictarum de consulatu, et fragmenta quae supersunt, commemorationem continent omnium rerum, quas in Hispania consul et gessit et egit.

1. Charisius p. 120. ed. Lindemanni s. v. *Industrie. M. Cato dierum dictarum de consulatu suo: Egoque*

iam pridem cognovi atque intellexi atque arbitror, rempublicam curare industrie, summum periculum esse.

industrie] Cato nobilitati invisus erat, quia nimis parce rempublicam administrabat et omnem luxum imperatorum vel praetorum provinciarum acriter perstringebat. Quare multis ab optimatibus aegre id ferentibus in ius et suspicionem vocatus est.

2. Charisius. *Maturrime* p. 121. *M. Cato dierum dictarum de consulatu suo: Laudant me maximis laudibus, tantum navium, tantum exercitum, tantum commeatum non opinatum esse quemquam hominem maturrime comparare potuisse.*

Idem. *Tam maturrime comparavisse.*

laudant me] referendum est ad id, quod celerrime classem et exercitum paraverat, ita ut citius opinione omnium in Hispaniam perveniret, ut a Livio traditur lib. 34, 8.

3. Charisius. *Nocte.* p. 123. *M. Cato dierum dictarum de consulatu suo: Deinde postquam Massiliam praeterimus, inde omnem classem ventus auster lenis fert, mare velis florere videres ultra angulum Gallicum, ad Illimerim atque Ruscinonem deferimur, inde nocte aura profecti sumus.*

angulum Gallicum] Livius 34, 8. *sinum Gallicum* appellat.

Illimerim] Intelligendus est Illiberis fluvius. *Illiberis* et *Ruscino* fluvii sunt Galliae, ambo ex Pyrenaeis montibus descendentes, et finitima regione in mare Gallicum aquas fundentes. Vid. Lindemann ad h. l. Ukert Gallia p. 122. Iam ex hoc Charisii loco elucet, multa et bona inesse editioni Lindemanni. Antea enim legebatur *et illum enim* pro *ad Illiberim.*

4. Charisius. *Necessum.* p. 124. *M. Cato dierum dictarum de consulatu suo: Eas res non posse sustineri, nisi eo praesidia magna frumentumque. Nam ita dicunt palam necesse esse obcuratum.*

frumentumque] Supplendum videtur *Intellexi, eas res (sive e o r u m r e s) non posse sustineri, nisi eo praesidia magna frumentumque mitterentur.* Ausonius Popma haec verba ad Ilergetes refert, qui

ad Catonem consulem legatos miserant, querentes, castella sua oppugnari nec spem ullam esse resistendi, nisi praesidio miles romanus esset, ut Livius scribit l. 34, 11.

obcuratum] Si in codice esset *curatum* pro insolito composito *obcuratum*, sane in his verbis nemo haereret. Sed fortasse verbum *obcurare* apud vetustissimos auctores in usu erat. Quod si autem diffidas, haud difficile emendabis *obcursatum;* occursare enim apud antiquos pro succurrere dicitur. Putsch habet *obturata*.

5. Charisius. *Usquequaque*. p. 132. *M. Cato dierum dictarum de consulatu suo: Omnia tumultus plena, simul hostium copiae magnae contra me sedebant, usquequaque lacessebamur*. Quod manifestius idem ita disserit: *Interea ad socios nostros sedulo dispertieram, alio frumentum, alio legatos, alio literas, alio praesidium usquequaque*.

sedebant] castra habebant. Utrumque fragmentum ad bellum Hispanicum spectat.

6. Charisius. *Pone versus*. p. 127. *M. Cato dierum dictarum de consulatu suo: Nostros pone versus hosteis esse ab dextera parte*. Item idem: *Postquam auspicavi atque exercitum adduxi pone castra hostium*.

nostros] Supplendum *vidi* vel *audivi*, nostros etc.

auspicavi] Livius 34, 14. *Nocte media* (Cato), *cum auspicio operam dedisset, profectus, ut locum, quem vellet, priusquam hostes sentirent, caperet, praeter castra hostium circumduxit, et prima luce acie instructa sub ipsum vallum tres cohortes mittit.*

7. Charisius. *Satis* pro intente. p. 129. *Cato dierum dictarum de consulatu suo: Iam apud vallum nostri satis agebant*.

apud vallum] Livius 34, 14 et 15 acerrimam narrat pugnam, quae sub ipso vallo hostium a Catone committebatur, et in qua maxima copia hostium caesi sunt. Valerius enim Antias (scribit Livius) supra quadraginta millia hostium caesa eo die scribit. Cato ipse, haud sane detrectator laudum suarum, multos caesos ait (*Origines* eius, opinor, intelligit Livius), numerum non describit. Conf. Appianus de rebus Hispaniens. 40.

Satis agebant] Acriter dimicabant.

8. Charisius. *Porro*. p. 126. *M. Cato dierum dictarum de consulatu suo: Inde pergo porro ire in Turtam.* Idem supra: *Itaque porro in Turtam proficiscor servatum illos.* Porro pro in futurum. *M. Cato in eodem: Me sollicitum atque exercitum habitum esse atque porro fore.*

Turtam] Dixit Turtam pro Turdetania, sicuti Turdetani alias vel Turdi vel Turduli appellantur. Ukert Hispania p. 307. Rem narrat Livius 34, 19. *Difficilius bellum in Turdetania praetori P. Manlio Celtiberi mercede exciti ab hostibus faciebant; itaque eo consul, arcessitus litteris praetoris, legiones duxit.*

In eodem] Scil. libro. Probabile est, Catonem librum dierum dictarum de consulatu suo separatim edidisse, in quo omnes orationes, quas de suo consulatu egerat, inerant.

9. Charisius. *Pedetentim*. p. 127. *Cato dierum dictarum de consulatu suo: Eam ego vim pedetemptim temptabam.*

10. Charisius. *Sempiterno*. p. 130. *Cato dierum dictarum de consulatu suo: Ego mihi haec monumenta sempiterno posui, quae cepi.*

quae cepi] Multos populos Hispanorum vicit, oppida quadringenta cepit. Plutarch. Caton. 10.

11. Charisius. *Obviam*. p. 124. *M. Cato dierum dictarum de consulatu suo: Mihi atque classi obviam fiunt.*

12. Charisius. *Maturissime*. p. 121. *M. Cato dierum dictarum de consulatu suo: Item uti ab Thermopylis atque ex Asia maximos tumultus maturissime disieci atque consedavi.*

ab Thermopylis] Huius fragmenti interpretatio lubrica est. Nam quomodo in orationem de consulatu Catonis cadat atque conveniat, haereo. Est enim probabile, in eo mentionem fieri proelii apud Thermophylas a. 563 (191) commissi, in quo Cato praecipuus auctor victoriae erat. Livius XXXVI, 17, 18. Tum enim legatus Manii Acilii Glabrionis consulis (vel, ut alii volunt, tribunus militum) fuit. Vid. Dukerus ad Livium 36, 17, 1. An igitur Cato anno 564 (190) de consulatu suo in iudicium vocatus est, ita ut tum demum orationem hanc haberet, ex qua fragmentum Charisius servavit?

13. Charisius p. 137. *Atque. Cato dierum dictarum de consulatu suo: Atque quamquam multa nova miracula fecere inimici mei, tamen nequeo desinere mirari eorum audaciam atque confidentiam.*

14. Charisius. *Falso.* p. 118. *M. Cato dierum dictarum de consulatu suo: Ei rei da operam, ut mihi falso maledicatur.*

da operam] An *do operam*? vel *dandu opera*? *dam* codex Nieb., *dant operam* Putsch.

10. Oratio de consulatu suo.

Ea oratio a. 560 (194) post reditum Catonis ex Hispania dicta videtur.

Gellius l. 4, 17. *M. Cato dicit in oratione, quam de consulatu suo habuit: Ita hos fert ventus ad priorem Pyrenaeum, quod proiicit in altum.* Et *Pacuvius* item in *Chryse: Id promontorium, cuius lingua in altum proiicit.*

ita hos] legendum *ita nos*. De se ipso enim et copiis suis in Hispaniam navigantibus loquitur.

ad priorem Pyrenaeum] Legendum est *ad promontorium Pyrenaeum*, et cum hac emendatione convenit, quod sequitur, *quod proiicit in altum*. Eiusdem promontorii mentionem facit Livius l. 29, 19. *Ita cum triginta navium classe ostiis Tiberinis profectus praeter oram Tusci maris, Alpes atque Gallicum sinum et deinde Pyrenaei circumvectus promontorium, Emporiis urbe graeca copias exposuit.* Strabo l. IV. p. 181. τὸ Ἀφροδίσιον, τὸ τῆς Πυρήνης ἄκρον. Haud procul ab promontorio Pyrenaeo erat portus Pyrenaeus sive portus Veneris, a templo Veneris sic dictus. Conf. Livius l. 34, 8. *M. Porcius consul extemplo XXV navibus longis (quinque sociorum erant) ad Lunae portum profectus, eodem exercitu convenire iusso et edicto per oram maritimam misso navibus omnis generis contractis ab Luna proficiscens edixit, ut ad portum Pyrenaei sequerentur, inde se frequenti classe ad hostes iturum. Praetervecti Ligustinos montes sinumque Gallicum ad diem, quam edixerat, convenerunt.*

Charisius p. 132. *Temere* pro facile: *Cato de consulatu suo: Si cuperent hostes fieri, temere fieri nunc possent.*

st cuperent] In codice dubia sunt. Lindemann. Haec verba fortasse legatis Ilergetum tribuenda sunt. Conf. Livius l. 34, 11.

Charisius p. 132. *Tertium. M. Cato de consulatu suo: id ego primo minus animadverti, veniunt iterum atque tertium tumultuosius. Timidius. Idem in eadem Cato: Censores, qui posthac fient, formidulosius atque segnius atque timidius pro republica nitentur.*

veniunt] Hostes.

censores] Nemo potest, Catonem id de sua censura dicere: censor enim fuit a. 570 (184). Oratio autem de consulatu suo a. 560 (194) dicta videtur. Nec intelligi potest, quomodo Cato decem annis post consulatum de rebus in consulatu suo gestis in ius vocari potuerit.

Charisius p. 128. *Quanto. Cato de consulatu suo: Videtote, quanto secus ego fecerim.*

Charisius p. 131. *Secus* pro aliter. *Cato de consulatu suo: Secus aetatem agerem quam illi egissent.*

illi] Inimici mei, inter quos Galba, Furius, Piso, Sciplones, Acilius Glabrio, T. Flamininus.

Charisius p. 133. *Vicissim. Cato de consulatu suo: qui maximis vicibus ac vicissim.*

vicibus] *Vocibus*, Putsch.

Festus p. 154. *Mediocriculo* usus est *in ea quam dixit Cato in consulatu: ridibundum magistratum genere pauculos homines, mediocriculum exercitum obviam duci.*

in consulatu] *De consulatu* scribendum esse, etiam C. O. Müller indicat

genere] Corruptum est. In Paulo recte deest: *Mediocriculus ipse Cato posuit, cum ait: ridibundum magistratum, pauculos homines, mediocriculum exercitum obviam duci.*

Festus p. 286. *Rectofronte ceteros sequi si norit, Cato in dissertatione consulatus.* Antiquae id consuetudinis fuit, ut cum ait Ennius quoque *a stirpe su-*

premo et Ilia dia nepos et lupus feta et nulla metus.

in dissertatione] Sic Festus dixit pro in oratione de consulatu. *Dissertatio* pro oratione vocabulum est grammaticorum (apud Gellium crebro invenitur). Festus p. 282. *Cato in ea, quam scripsit, cum edissertavit Fulvi Nobilioris censuram*

Servius in Virg. Eclog. 4, 4. *Cato de suo consulatu: omnia ab integro paranda erant.*

Paullus Epitome Festi p. 378. *Viritim* dicitur dari, quod datur per singulos viros. *Cato: Praeda quae capta est, viritim divisa.*

Cato] Cur hoc fragmentum huic orationi vindicandum putem, in oratione *de praeda militibus dividunda* dicemus.

11. Dissuasio legis Juniae de feneratione.

Ea oratio anno 562 (192) habita videtur; quo anno P. Junius Brutus legem foenerariam promulgavisse traditur.

Livius l. 35, 41. *Iudicia in feneratores eo anno multa severe sunt facta, accusantibus privatos aedilibus curulibus M. Tuccio et P. Junio Bruto. De multa damnatorum quadrigae inauratae in Capitolio positae et in cella Jovis supra fastigium aediculae duodecim clipea inaurata.*

Alii scriptores legis Juniae mentionem non faciunt, sicuti Rein quoque Das römische Privatrecht p. 307. testatus est, atque ignoramus, cur Cato eam dissuaserit. Sed fortasse ea lex minus severa erat quam priores. Cato autem fenerari maximis poenis afficere cupiebat. Quomodo enim de fenore senserit, ex praefatione libri de re rustica cognoscere licet: *Est interdum praestare mercaturis rem quaerere, ni tam periculosum siet, et item foenerari, si tam honeste siet. Maiores enim nostri hoc sic habuerunt et ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnari, feneratorem quadrupli. Quanto peiorem civem existimarint feneratorem quam furem, hinc licet existimare.* — et ex

Cicerone de Offic. 2, 25, 89. *Ex quo genere comparationis illud est Catonis senis, a quo cum quaereretur, quid maxime in re familiari expediret, respondit: bene pascere; quid secundum: satis bene pascere; quid tertium: male pascere; quid quartum: arare; et cum ille, qui quaesierat, dixisset, quid fenerari? tum Cato: quid hominem occidere?*

Deliberatum est saepe in senatu de fenore, sed a. 562 (192) maxima cura patrum.

Livius l. 35, 7. *Instabat cura alia, quod civitas fenore laborabat, et quod cum multis fenebribus legibus constricta avaritia esset, via fraudis inita erat, ut in socios, qui non tenerentur iis legibus, nomina transscriberent: ita libero fenore obruebant debitores. Cuius coercendi cum ratio quaereretur, diem finiri placuit Feralia quae proxime fuissent, ut qui post eam diem socii civibus romanis credidissent pecunias, profiterentur, et ex ea die pecuniae creditae, quibus debitor vellet legibus, ius creditori redderetur.*

Verisimile est, legem Iuniam ideo ab aliis scriptoribus non memorari, quod perlata non sit, sed Catonis dissuasionem adeo placuisse, ut sententia eius vinceret.

Maiansius autem p. 28. arbitratur, Catonem in censura a. 570 hanc orationem habuisse.

Nonius p. 64. *Pedato* positum pro repetitu vel accessu quasi per pedem, sicuti nunc vulgo dicitur, tertio pedato. *Cato in dissuasione de feneratione: tertio autem pedato item ex fenore discordia excrescebat.*

de feneratione] Supplendum *de feneratione legis Iuniae*, ut ex loco Festi, quem mox afferemus, apparet.

Festus p. 234. *Prorsus*, porro versus. *Cato de feneratione legis Iuniae: Camerni cives nostri oppidum pulchrum habuere, agrum optimum atque pulcherrimum, rem fortunatissimam. Cum Romam veniebant, prorsus devertebantur pro hospitibus ad amicos suos.*

Cato de feneratione] Supplendum *Cato in dissuasione de feneratione.*
Camerini] Legendum *Camerini.* Cameria oppidum Latinorum.

12. Oratio apud Athenienses.

Ea pertinet ad annum 563 (191), quo anno Cato legatus Glabrioni consuli, qui in Graecia bellum adversus Antiochum, regem Syriae, gerebat, Graecas urbes adiit, ut ab societate Antiochi eas abalienaret et Romanis adiungeret.

Plutarch. Cat. 12. *Μανίῳ δ' Ἀκιλίῳ χιλιαρχῶν ἐπ' Ἀντίοχον τὸν μέγαν συνεξῆλθεν εἰς τὴν Ἑλλάδα φοβήσαντα Ῥωμαίους ὡς οὐδένα ἕτερον μετ' Ἀννίβαν.— Καὶ σάλον εὐθὺς ἡ Ἑλλὰς εἶχε καὶ μετέωρος ἦν ἐλπίσι διαφθειρομένη βασιλικαῖς ὑπὸ τῶν δημαγωγῶν. Ἔπεμπεν οὖν πρέσβεις ὁ Μάνιος ἐπὶ τὰς πόλεις. Κάτων Κορινθίους καὶ Πατρεῖς, ἔτι δ' Αἰγιεῖς παρεστήσατο. Πλεῖστον δὲ χρόνον ἐν Ἀθήναις διέτριψε. Καὶ λέγεται μέν τις αὐτοῦ φέρεσθαι λόγος, ὃν Ἑλληνιστὶ πρὸς τὸν δῆμον εἶπεν, ὡς ζηλῶν τε τὴν ἀρετὴν τῶν παλαιῶν Ἀθηναίων, τῆς τε πόλεως διὰ τὸ κάλλος καὶ τὸ μέγεθος ἡδέως εἴη γεγονὼς θεατής· τὸ δ' οὐκ ἀληθές ἐστιν, ἀλλὰ δι' ἑρμηνέως ἐνέτυχε τοῖς Ἀθηναίοις δυνηθεὶς ἂν αὐτὸς εἰπεῖν, ἐμμένων δὲ τοῖς πατρίοις καὶ καταγελῶν τῶν τὰ Ἑλληνικὰ τεθαυμακότων.*

Plutarchus vere dixit: latine enim, non graece Catonem ad Athenienses dixisse, uno certe fragmento demonstratur.

Rufinianus de figuris p. 199. Exuthenismos. ***Cato apud Athenienses: Antiochus epistolis bellum gerit, calamo et atramento militat.***

apud Athenienses] Ruhnkenius coniecturam suam *ad Athenienses* in Addendis p. 276. retractavit.

13. Oratio contra Thermum de decem hominibus.

Dicta est anno 564 (190).

Q. Minucius Thermus, consul anni 561 (193) adversus Ligures et Boios Gallos profectus est (Livius

35, 3.), eosque prorogato imperio anno 564 (190) Romanis subiecit. Livius 37, 46. scribit: *Dum haec in Asia geruntur, duo fere sub idem tempus cum triumphi spe proconsules de provinciis Romam redierunt, Q. Minucius ex Liguribus, Manius Acilius ex Aetolia. Auditis utriusque rebus gestis Minucio negatus triumphus, Acilio magno consensu decretus.* Minucio negabatur Catone potissimum auctore, tum quia decem homines liberos in provincia crudelissime occidisset, et magistratus Boiorum verberasset, tum quia in petitione triumphi multa praelia fingeret et numerum intercmtorum hostium exaggeraret. Tunc enim orationes *de decem hominibus* atque *de falsis pugnis* in Thermum dictae videntur, quae satis demonstrant, Catonem non solum in senatu triumpho eius vehementer obstitisse, sed eundem reum quoque maiestatis ad populum egisse. Hae orationes igitur a. 564 (190) actae.

Gellius XIII. 24, 12. Hoc ornatus genus in crimine uno vocibus multis atque saevis exstruendo ille tam tunc *M. Cato antiquissimus in orationibus suis* celebravit, sicuti *in illa, quae inscripta est De decem hominibus, cum Thermum accusavit, quod decem liberos homines eodem tempore interfecisset*, hisce verbis eandem omnibus rem significantibus usus est, quae quoniam sunt eloquentiae latinae tunc primum exorientis lumina quaedam sublustria, libitum est ea mihi *ἀπομνημονεύειν:*

Tuum nefarium facinus peiore facinore operire postulas, succidias humanas facis, tantas trucidationes facis, decem funera facis, decem capita libera interficis, decem hominibus vitam eripis, indicta causa, iniudicatis, incondemnatis.

facinore] Deest in cod. regio. Dübner.

succidias humanas facis] Homines occidis, mactas.

tantas trucidationes] *Tantam trucidationem.* Cod. reg. Dübner.

Festus *Sacramento* p. 344. Sacramento dicitur quod (iurisiurandi sacrati)one interposita actum est. (Unde

quis sacramen)to dicitur interrogari, quia (iusiurandum interponitur. *Cato) in Q. Thermum de X (hominibus: Atque etiam ad)erant, ne mala (fide apparere)t scelera nefaria fie(ri, poscente, ut sacrame)nto traderentur, lege aest(imarentur.)*

Cato in Q. Thermum] Ego hunc desperatum locum intactum relinquo. C. O. Müller adnotavit p. 411. „Ego quamquam procul a „pleno eius loci intellectu absum, intelligere tamen mihi videor, „Catonem de sacramenti actione dixisse, qua homines a magistra„tibus interrogabantur i. e propter crimina postulabantur "—

Festus. *Spiciunt.* p. 344. Spiciunt antiquos di(xisse sine praeposi)tione, testis est *Cato in ea, quam (habuit in Q. Thermum de) septem hominibus: Ut solent (evitare son)ivios, nisi qui sempiterni sunt, quos (cum occur)rant, ne spiciunt, neque ratos (esse volunt.)*

de septem hominibus] Verisimile, legendum esse *de decem hominibus*, reliqua autem verba sunt desperata, nec supplementis faciliora facta intellectu.

sonivios] „Obscurum, qui ii sint sonivii sempiterni." C. O. Müller.

Festus. *Obstinato.* p. 193. *Cato in Q. Thermum de X hominibus: Rumorem, famam flocci fecit, capitas stupris obstinatus, insignibus flagitiis.*

capitas stupris] Ex Prisciano T. 1. p. 279. emendandum est: *intercutibus stupris obstinatus* pro intestinis.

Festus. *Multifacere.* p. 153. (Multifacere antiqui dicebant sicut) magniface(re. Testis est *M. Cato) in ea quam (scripsit contra Q. Minucium Thermum de) X hominibus: (neque fidem neque iusiurandum) neque pud(icitiam multifacit.)*

neque fidem] Hoc fragmentum ex Paullo restitui poterat, qui citat: *Cato: neque fidem neque iusiurandum neque pudicitiam multifacit.* Ac coniungendum puto fragmentum superius: *Rumorem, famam flocci fecit, intercutibus stupris obstinatus, insignibus flagitiis, neque fidem neque iusiurandum neque pudicitiam multifacit.*

Festus. *Nequinates.* p. 177. (Nequinates dicti sunt)

Narnensis, (qui e Nequino oppido eiectis colo)nis veteri(bus ibi habitarunt. *Cato in) Q. T. versus X (hominibus : — — —*

Narnensis] In Paullo legitur *Narnienses*.

Q. T. versus X] Ursinus emendavit *in ea ad Thermum de X hominibus*. Si scribitur, ut Festus alibi, *in Q. Therm. de X h.*, erroris causa facilius intelligitur. C. O. Müller.

14. Oratio de falsis pugnis contra Thermum.

Oratio anno 564 (190) habita. Argumentum petendum est ex praecedenti. Lipsius cum putaret, hac in oratione nonnisi de poenis falso provincialibus irrogatis Catonem esse questum, inscribendam eam esse *De falsis poenis* arbitratus est. Variarum Lectionum lib. 2. 14. Erravit sane, cum non ad argumentum totius orationis, quod supra exposui, sed ad fragmentum tantum, quod reliquum est, respiceret. Porro qui *de falsis poenis* dicat pro *de poenis falso irrogatis*, latine loqui nego.

Gellius 10, 3. Si quis amat priora idcirco, quod incomta et brevia et non operosa, sed nativa quadam suavitate sunt, quodque in iis umbra et color quasi opacae vetustatis est: is, si quid iudicii habet, consideret in causa pari *M. Catonis, hominis antiquioris*, orationem, ad cuius vim et copiam Gracchus nec adspiravit. Intelliget, opinor, Catonem contentum eloquentia aetatis suae non fuisse, et id iam tum facere voluisse, quod Cicero postea perfecit. *In eo namque libro, qui de falsis pugnis inscriptus est, ita de Q. Thermo conquestus est:*

Dixit, a decemviris parum sibi bene cibaria curata esse, iussit vestimenta detrahi, atque flagro caedi. Decemviros Bruttiani verberavere, videre multi mortales. Quis hanc contumeliam, quis hoc imperium, quis hanc servitutem ferre potest? Nemo hoc rex ausus est facere: eane fieri bonis, bono genere gnatis, boni consulitis? Ubi societas? ubi

fides maiorum? Insignitas iniurias, plagas, verbera, vibices, eos dolores atque carnificinas per dedecus atque maximam contumeliam, inspectantibus popularibus suis atque multis mortalibus, te facere ausum esse! Sed quantum luctum quantumque gemitum, quid lacrumarum quantumque fletuum factum audivi! Servi iniurias nimis aegre ferunt. Quid illos, bono genere gnatos, magna virtute praeditos, opinamini animi habuisse atque habituros, dum vivent?

dixit] Q. Thermus.

a decemviris] Qui Ligurum erant magistratus.

cibaria] Annona, quam provinciales magistratibus provinciarum ex lege dare debebant. Cicero ad Atticum 6, 3, 6. *Gavius, cum Apameae me nuper vidisset Romam proficiscens, me ita appellavit: unde me iubes petere cibaria praefecti? respondi lenius quam putabant oportuisse, qui aderant, me non instituisse iis dare cibaria, quorum opera non essem usus. Abiit iratus.* Deputatgetreide interpretatur Freund in Lexico.

Bruttiani] Lictores. Cur id hominum genus Bruttiani appellarentur, explicuit Gellius eodem loco. Conf. Kreutzer Röm. Antiquit. §. 39.

eos dolores] Vide infra Nonii locum.

quantumque gemitum] *et quantum luctum, quantum gemitum, quid lacrimarum, quantum fletum.* Cod. reg. teste Duebnero.

quantumque fletuum] Recepi ex edit. Cervicorni a. 1526. *quantumque fletum* vulgo.

Nonius p. 187. *Vibices.* Plagarum vulnera. *Cato de falsis pugnis: Ubi societas? ubi fides maiorum? insignitas iniurias, plagas, verbera, vibices, eis dolores atque carnificinas per dedecus atque maximam contumeliam inspectantibus.*

ubi societas?] Nonius ex Gellio hunc locum in librum suum transtulit.

eis dolores] *eos dolores* Gellius, *vis, dolores* Perottus, eamque coniecturam veram esse dicit Mercerus p. 700. *Vis* i. e. vires pluraliter et Salustius et alii quoque dixere. V. Freund in Lexico. Vires i. e. violentia omnis generis.

15. Oratio de suis virtutibus contra Thermum.

Oratio dicta videtur a. 565 (189) contra eundem Q. Minucium Thermum, quem supra habuimus. Is rebus bello gestis clarus, eiusque memoriam denarii argentei repetere videntur (Eckhel D. N. t. 5. p. 255.), sed crudelis et acerbus erga provinciales erat. Tribunus militum a. 552 (202) in exercitu Scipionis maioris pugnae ad Zamam interfuit. (Appianus Punica c. 36 et 44.) Deinde praetor Hispaniae inde ab anno 557 (197) usque ad a. 559 (195), eique successit Cato.

Appian. Hispan. c. 39. *Χρόνῳ δ' ὕστερον, ὅτε Ῥωμαῖοι Κελτοῖς τε τοῖς περὶ Πάδον ἐπολέμουν καὶ Φιλίππῳ τῷ Μακεδόνι, ἐνεωτέρισαν αὖθις ἐς τὴν ἀσχολίαν αὐτῶν οἱ Ἴβηρες. Καὶ αὐτοῖς ἐπέμφθησαν ἐκ Ῥώμης στρατηγοὶ τοῦδε τοῦ πολέμου Σεμπρώνιός τε Τουδιτανὸς καὶ Μάρκος Ἑλούϊος, μετὰ δ' ἐκείνους Μινούκιος. Καὶ ἐπὶ τούτῳ, μείζονος ἔτι τῆς κινήσεως γιγνομένης, μετὰ πλέονος δυνάμεως ἐπέμφθη Κάτων· νέος μὲν ὢν ἔτι πάμπαν, αὐστηρὸς δὲ καὶ φιλόπονος, συνέσει τε γνώμης καὶ δεινότητι λόγων ἀριπρεπὴς· ὥςτε αὐτὸν ἐπὶ τοῖς λόγοις ἐκάλουν οἱ Ῥωμαῖοι Δημοσθένη.* Atque suspicor, hanc ipsam provinciam causam et originem simultatis atque inimicitiarum Minucii et Catonis fuisse. Porro Thermus consul factus anno 561 (193) adversus Boios et Ligures feliciter bellum gessit, sed triumphus ei negatur Catone auctore, qui, ut supra vidimus, anno 564 (190) duas orationes contra eum habuit. Quamvis autem in suspicionem criminum venisset, tamen absolutum eum esse apparet, nec obstabat, quo minus bello adversus Antiochum gesto interesset anno 565 (189), et tribunus militum esset. Appian. Mithridat. c. 39. *Ταῦτα συγγραψάμενοί τε καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἐς δέλτους χαλκᾶς ἀναθέντες, ἔπεμπον ἀντίγραφα Μαλλίῳ Βούλσωνι, τῷ διαδεδεγμένῳ τὴν Σκιπίωνος στρατηγίαν. Ὁ δ' ὤμνυ τοῖς Ἀντιόχου πρέσβεσι περὶ Ἀπάμειαν τῆς Φρυγίας, καὶ ὁ Ἀντίοχος ἐπὶ τοῦτο πεμφθέντι Θέρμῳ χιλιάρχῳ. Τοῦτο μὲν δὴ Ἀντιόχῳ τῷ μεγάλῳ τοῦ πρὸς Ῥωμαίους τέλος ἦν.* Polyb. 22, 26. *Τμηθέντον δὲ τῶν*

ὁρκέων ἐπὶ τούτοις, εὐθέως ὁ στρατηγὸς Κοΐντον Μινούκιον Θέρμον καὶ Λεύκιον τὸν ἀδελφὸν, ἄρτι κεκομικότας τὰ χρήματα παρὰ τῶν Ὀροανδέων, εἰς Συρίαν ἐξαπέστειλε.

Anno sequenti, a. 566 (188) in proelio adversus Thracas interfectum eum accepimus. Liv. 38, 41.

Ex oratione, de qua nunc loquimur, Catonem a Thermo aliquando accusatum esse patet. Sed quamvis tempus, quo Catonem reum egit, incertum sit, ex fragmento tamen, quod apud Festum extat s. n. *oratores*, demonstrari potest, id fieri non potuisse ante annum 565, si quidem Cato in oratione sua de re quadam loquitur, quae in illo anno accidit. Nec minus probari potest, orationem non post annum 566 (188) habitam esse, quia Thermum illo anno occisum constat. Statuamus igitur, Thermum anno 565 (189) in ius vocasse Catonem.

Ceterum in edit. priore duo loci Catoniani ex Gellio 13, 23. et Frontone p. 184. his fragmentis adiuncti sunt, quos ex oratione, de qua loquimur, sumtos esse plane incertum est; nunc eos inter incerta fragmenta inserui.

Festus p. 182. *Oratores* (antiqui) pro legatis appellant, ut *Cato in ea quam scripsit de suis virtutibus contra Thermum: M. Fulvio consuli legatus sum in Aetoliam, propterea quod ex Aetolia complures venerant: Aetolos pacem velle: de ea re oratores Romam profectos.*

M. Fulvio consuli] Anno 565 (189). Fulvii res gestas Livius exponit libro 38, 1—11, Catonis autem legati non facit mentionem.

Festus p. 182. *Ordinarium hominem* Oppius ait dici solitum scurram et improbum, qui assidue in litibus moraretur, ob eamque causam in ordine staret adeuntium praetorem. At Aelius Stilo, qui minime ordine viveret. *(Cato) in ea oratione, quam scribit de suis virtutibus contra Thermum: Quid mihi fieret, si non ego stipendia in ordine omnia ordinarius meruissem semper?*

Cato] supplevit Ursinus.

in ordine] Glossema esse, Ursinus et C. O. Müller censent. — Non assentior.

ordinarius] In loco Festi nonnulla desunt; ea enim, quae extant, non ad Catonis locum illustrandum pertinent, sed explicationem vocabuli *ordinarii*, quae huc pertinet, excidisse puto. Multi explicabant vocem, sed nemo nisi Lipsius in Analectis ad Dialogum De Militia Romana II, 7. T. 3. Opp. p. 425. verum sensum aperuit; ordinarius enim miles contubernali opponitur. *Puto enim*, inquit Lipsius, *mentem Catonis, esse nulla ambitione aut gratia in contuberniis imperatorum, extra ordinem et immunem, militasse, sed semper inter alios. Frontinus ita lib. IV. Strategemat. c. 1, 11. Q. Metellus consul, quamvis nulla lege impediretur, quin filium contubernalem haberet, maluit tamen eum in ordine merere.*

Festus p. 234. *Primanus tribunus* apud *Catonem in ea, quae est contra Thermum de suis virtutibus: Aliud est properare aliud festinare. qui unum quodque mature transigit, is properat: qui multa simul incipit neque perficit, is festinat.*

primanus tribunus] *erat, qui primae legioni tributum scribebat.* Paullus. Eum ex aerariis tribunis fuisse, statuit A. Aug. coll. Varr. de l. l v. §. 181. Paulo p. 2. v. *aerarii*. Müller. Vides, corruptum esse locum Festi: Catonis enim verba non ad *primanum tribunum* pertinent, sed ad vocabulum, quod excidit *properare*.

Catonem] „In hac Catonis oratione fuisse locum, qui sequitur, de „properando et festinando, ostendunt Nonius, Gellius et alii. „Itaque lacuna non pauca Festi verba absumta sunt, quae Paulo „duce magnam partem facili negotio restitui possunt." Müller. Legendum enim: *Primanus tribunus* est, qui primae legioni tributum scribit. . . . *Properare* . . . . *apud Catonem in ea, quae est* etc.

unum quodque] *unum quid* Paullus. Nonius. Gellius. Sed alterum praestat „jedes einzeln."

Nonius p. 441. *Festinare* et *properare* veteres voluerunt habere distantiam. *Cato oratione quam de suis virtutibus scripsit: Aliud est properare, aliud festinare. Qui unum quid mature transigit, is properat; qui multa simul incipit neque perficit, festinat.*

unum quid] *unum quicquid* in Epitome antiqua Nonii ms. seculi fere XI. Dübner.

Gellius 16, 14. *Festinare* et *properare* idem significare, atque in eandem rem dici videntur. Sed *M. Cato* id differre existimat eaque hoc modo divisa. Verba sunt *ipsius ex oratione, quam De suis virtutibus habuit: Aliud est properare, aliud festinare. Qui unum quid mature transigit, is properat: qui multa simul incipit neque perficit, is festinat.*

Isidorus De Differentia verborum p. 75. ed. Areval. *M. Cato: Qui unum quodque mature transigit, properat: qui multa simul incipit nec perficit, is festinat. Ego unum quodque, quod adortus eram, transigebam.*

ego unum quodque] Eo novum fragmentum eiusdem orationis! In editione Parisiensi Jacobi du Breul anni 1601 p. 767, inter varias lectiones adnotatur: *Ego numquam quidquam, quod adortus eram, transibam.* Male.

adortus] *adorsus* Cod. Paris. Dübner.

Scholia Bobiensia in Scholiastis Ciceronis T. 2. p. 289.: Visum est mihi propter eos, quibus aliquod studium proprie loquendi est, auctore ipso *M. Catone* haec verba *(festinare* et *properare)* distinguere: quippe aliud esse properare, aliud festinare, ipse nos *Cato docuit in oratione, quae inscribitur De virtute sua contra Thermum. Nam aliut properare, aliut festinare. Qui unum quodque mature transigit, properat; qui multa simul incipit neque perficit, festinat.*

Servius in Virg. Georg. I. 260: *Cato properare dicit eos, qui prima quaeque ordine suo maturare transigunt, festinare autem illos, qui multa incipiunt, eaque adnectendo nec terminando praepediant.*

maturare] *maturate* Vossius, *mature* Dübner, recte.

Festus p. 281. *Repastinari* ager is dicitur, ut Verrius existimat, cuius natura mutatur fodiendo, cum aut silvester excodicatur, aut lapis mollitur frangendo, ut

fiat pascui (*pascuus* Ursin.) vel pecoribus herba vel hominibus satione. *Cato in ea, quam scripsit de suis virtutibus contra Thermum: Ego iam a principio in parsimonia atque in duritia atque industria omnem adolescentiam meam abstinui agro colendo, saxis Sabinis, silicibus repastinandis atque conserendis.*

abstinui] *obstinui* Ursin. prob. Müllero. Id est perduravi, peregi.

saxis Sabinis] Plut. Cat. 1. *Μάρκῳ Κάτωνί φασιν ἀπὸ Τούσκλου τὸ γένος εἶναι, δίαιταν δὲ καὶ βίον ἔχειν πρὸ τῶν στρατειῶν καὶ τῆς πολιτείας ἐν χωρίοις πατρῴοις περὶ τοὺς Σαβίνους.*

16. Oratio de innocentia sua contra . . . .

Constat, Catonem quater et quadragies causam dixisse, nec quemquam saepius postulatum et semper absolutum esse. Vestigium litis extat apud Isidorum, sed a quo fuerit accusatus, ignoramus. Argumentum causae in eo versatur, quod Cato in provincia legatus haud innocenter se gesserit. Quo anno causa sit acta, difficile est accurate describere: nam non semel Cato in provinciis legati munere functus est. Erat enim a. 560 (194) legatus Tib. Sempronii consulis, cum adversus Thraces bellum gerebat. Plut. Cato 12. Deinde legatus erat Manii Acilii Glabrionis consulis a. u. 563 (191) in Graecia. Livius l. 36, 17.

In editione priore hanc orationem eandem esse cum ea, quae inscripta est *de suis virtutibus contra Thermum*, dixi, nec aliter iudicavit Maiansius p. 33. Sed res prorsus incerta videtur.

Isidorus Originum l. 20, 3, 8. *Honorarium vinum*, quod regibus et potentibus honoris gratia defertur. *Cato de innocentia sua: Cum essem in provincia legatus, quamplures ad praetores et consules vinum honorarium dabant: numquam accepi, nec privatus quidem.*

vinum honorarium] Ehrenwein. Similiter apud Ciceronem in Pisoniana c. 35. *frumentum honorarium.*

nec privatus quidem] *ne pr. q.* cod. Paris. et sic recte suasit Huldr. Fasius ad Mureti Var. Lectt. T. 2. p. 335. Conf. Madwig ad Cic. de finib. p. 816 sqq. Sed in vocabulo *privatus* vitium latet: sensu enim caret.

17—20. Orationes quatuor adversus Manium Acilium Glabrionem.

Eas orationes anno 565 (189) dictas coniicio. Testis est Livius 37, 57. *Eodem anno censuram multi et clari viri petierunt. Quae res tanquam in se parum magni certaminis causam haberet, aliam contentionem multo maiorem excitavit. Petebant T. Quintius Flamininus, P. Cornelius Cn. F. Scipio, L. Valerius Flaccus, M. Porcius Cato, M. Claudius Marcellus, Manius Acilius Glabrio, qui Antiochum ad Thermopylas Aetolosque devicerat. In hunc maxime, quod multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligarat, favor populi se inclinabat. Id cum aegre paterentur tot nobiles, novum sibi hominem tantum praeferri, P. Sempronius Gracchus et C. Sempronius Rutilus tribuni pl. ei diem dixerunt, quod pecuniae regiae praedaeque aliquantum, captae in Antiochi castris, neque in triumpho tulisset neque in aerarium retulisset. Varia testimonia legatorum tribunorumque militum erant. M. Cato ante alios testes conspiciebatur, cuius auctoritatem perpetuo tenore vitae partam toga candida elevabat. Is testis, quae vasa aurea atque argentea captis castris inter aliam praedam regiam vidisset, ea se in triumpho negabat vidisse. Postremo in huius maxime invidiam desistere se petitione Glabrio dixit, quando, quod taciti indignarentur nobiles homines, id aeque novus competitor intestabili periurio incesseret. Centum millium multa irrogata erat. Bis de ea re certatum est, tertio, cum de petitione destitisset reus, nec populus de*

multa suffragium ferre voluit, et tribuni eo negotio destiterunt.

M. Cato inter testes apparet, quia legatus fuerat Manii Acilii Glabrionis consulis anno 563 (191), vel, si aliis potius habenda erit fides, tribunus militum. (Conf. Duker et Drakenborch ad Livii 36, 17, 1.) Glabrio autem ob eam rem de intestabili periurio questus est, quia legatum contra imperatorem suum testimonium dicere impium habebatur.

Festus *Penatores* p. 237. Penatores, qui penus gestant. *Cato adversus Manium Acilium quarta: postquam nativitas ex navibus eduxi, non ex militibus atque nautis piscatores penatores fici sedarum dedi.*

nativitas] *navitas* Ant. Augustinus. Sed ne sic quidem sensus apertus.

fici sedarum] „*feci, sed aurum* probabiliter Dacier i. e. stipendium, quod restabat. Fortasse nota v. *argentum* in antiquiore cod. fuerat. Sed locus nondum sanatus videtur. *Fiscellarum* voluit Popma, inepte. A. Aug. suspicabatur, a Catone non penatores, sed venatores scriptum fuisse." Müller.

21. Oratio in M. Fulvium Nobiliorem.

Haec oratio videtur habita anno 567 (187). Eaque impedire voluit Cato, quominus triumphi honor Fulvio decerneretur. Obiecit enim ei, quod in Aetolia exercitum largitionibus corrupisset, a vetere severitate disciplinae militaris decessisset, et provinciam male administrasset. Argumentum suppeditat Livius lib. 39, 4. *Priusquam consules redirent Romam, M. Fulvius proconsul ex Aetolia rediit; isque ad aedem Apollinis in senatu cum de rebus in Aetolia Cephalleniaque ab se gestis disseruisset, petiit a patribus, ut aequum censerent ob rem publicam bene ac feliciter gestam et diis immortalibus honorem haberi iubere et sibi triumphum decernere. M. Aburius tribunus plebis, si quid de ea re ante M. Aemilii consulis adventum decerneretur, intercessurum se ostendit,*

eum contradicere velle. . . . Triumphus M. Fulvio est decretus. Triumphavit ante diem decimum Calendas Januarias de Aetolis et de Cephallenia . . . . Multos eo die, priusquam in urbem inveheretur, in circo Flaminio tribunos, praefectos, equites, centuriones, Romanos sociosque donis militaribus donavit. Militibus ex praeda vicenos quinos denarios divisit, duplex centurioni, triplex equiti. Est vero simile, non solum M. Aemilium Lepidum consulem et Aburium tribunum, sed Catonem quoque triumphum denegare cupivisse. Livius l. 38, 43.

Weber p. 25. hanc orationem a. 565 (189) a Catone dictam putat, nisus Festi quodam loco p. 182. *Oratores* pro legatis, ubi legimus: *Cato in ea quam scripsit de suis virtutibus contra Thermum: M. Fulvio consuli legatus sum in Aetoliam, propterea quod ex Aetolia complures venerant; Aetolos pacem velle; de ea re oratores Romam profectos.* „Cuius rei," ait Weberus, „si scriptores illius belli „mentionem non faciunt, factum est, quod Catonis illo „tempore partes non adeo magnae videntur fuisse. „Ceterum ea occasione fortasse usus est, ut Fulvium de „rei gerendae ratione ad senatum incusaret."—

Cato bis contra M. Fulvium dixit: altera oratio ea, de qua nunc dicimus, altera, in qua Fulvii censuram anno 575 (179) perstrinxit, ut ex Festo s. v. *retricibus* aperte colligitur; ac distinguenda sunt duarum actionum fragmenta, quae a Popma et Lione in unam orationem confusa sunt. Item unam tantum agnoscit F. Ritter in Zeitschrift für Alterthumswiss. 1840. Heft 4. p. 384.

Gellius 5, 6. *M. Cato obiecit M. Fulvio Nobiliori, quod milites per ambitionem coronis levissimis de causis donasset. De qua re verba ipsa apposui Catonis: Iam principio quis vidit, corona donari quemquam, cum oppidum captum non esset aut castra hostium non incensa essent? Fulvius autem, in quem hoc a Catone dic-*

tum est, coronis donaverat milites, quia vallum curaverant, aut quia puteum strenue foderant.

corona] Gellius in eodem loco omnia genera coronarum militarium describit. Conf. Kreuzer Röm. Antiquit. §. 261., qui coronas aureas militibus non raro donatas esse dicit.

Cicero Tusculan. 1, 2. *Sero igitur a nostris poetae vel cogniti vel recepti. Quamquam est in Originibus, solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus; honorem tamen huic generi non fuisse, declarat oratio Catonis, in qua obiecit ut probrum M. Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxisset. Duxerat autem consul ille in Aetoliam, ut scimus, Ennium.*

M. Nobiliori] Fulvius consul a. 565 in Aetoliam secum duxit Ennium, quem ex Sardinia ipse Cato quaestor anno 550 (204) Romam deduxerat. Cato litteras et romanas et graecas amabat, sed cum vereretur, ne iuventutem emollirent, moresque enervarent, noluit, ut magistratus vel imperatores in publica vita iis nimis indulgere viderentur. Quare Scipionibus, Flamininis atque Fulvio consuli obiecit, quod a vetere simplicitate et ruditate morum degeneraseent. Hic Fulvius studio litterarum vehementer deditus erat (Cicero Bruto 20, 79), atque Fastos scriptos reliquit. (Macrob. Sat. 1, 12, 13. Charisius p. 79. Varro de ling. lat. p. 213. ed. Speng. Ioannes Lydus de Ostentis p. 292. ed. Bekker.)

Cicero de Oratore 2, 63, 256. Alterum genus (ambigui) est, quod habet parvam verbi immutationem, quod in litera positum Graeci vocant παρονομασίαν, ut *Nobiliorem mobiliorem* Cato.

mobiliorem] i. e. leviorem.

Nobiliorem] quaeri potest, qui *Nobilior* sit intelligendus. Constat enim, contra duos Fulvios Nobiliores a Catone in senatu dictum esse; tum contra M. Fulvium Nobiliorem patrem, contra quem duas orationes eum habuisse accepimus, tum contra Q. Fulvium Nobiliorem M. filium, qui in causa Galbae pro eo contra Catonem stetit, et quem saepe a Catone in senatu laceratum tradidit Livius in Epit. lib. 49.

22. Oratio de coniuratione.

Eam ad annum 568 (186) refero, cum de clandestinis coniurationibus quaereretur. Coitiones enim foedae et incestus turpissimi utriusque sexus hominum, venena intestinaeque caedes, quae crebro in occultis nocturnisque Bacchanalium sacris fiebant, primum Romae, deinde passim per Italiam casu detecta fuerant. Falsi testes, falsa signa testamentaque et indicia ex eadem officina exibant. Multa dolo, pleraque per vim audebantur. Coniurasse supra septem millia virorum ac mulierum dicebantur. Rem totam copiose tradidit Livius lib. 39, 8—18.

Quaestio de Bacchanalibus sacrisque nocturnis extra ordinem consulibus mandata est, omnibus magistratibus atque senatui res curae fuit. Verisimile est, Catonem quoque coniurationi detegendae multam dedisse operam.

Maiansius p. 42. scribit: Livius l. 32, 26. scribens de rebus, quae contigerunt a. 556 (198), late refert coniurationem, quam obsides Carthaginiensium, qui Setiae custodiebantur, excitarunt. *De hac coniuratione* videtur mihi *Cato* orationem habuisse non solum propterea, quod Festus in v. *Praecem* ita scripsit: *Praecem singulariter idem Cato in ea, quae est de coniuratione:* sed quia, si hoc fragmentum coniungatur cum altero a Nonio allegato in v. *collus* idem colligitur: nam sic se habet. *Cato Sercia. Accipite, si vultis, hoc onus in vestros collos,* ubi pro *Sercia* lego *Setia*, id est, *in oratione de Setia.*

Difficile est diiudicare, utra opinio sit praeferenda. Sed prior probabilior mihi videtur.

Festus. *Praecem.* p. 242. Praecem singulariter *Cato in ea, quae est de coniuratione.*

23. Oratio de pecunia regis Antiochi.

Hanc Cato habuit orationem anno 569 (185).

Ea oratione Cato L. Cornelium Scipionem Asiati-

eum, Publii fratrem, peculatus accusavit, eamque egit causam anno 569 (185), ut vere monuit Westermannus Geschichte der römischen Beredsamkeit p. 46. Argumentum narrat Livius 38, 54. *Morte Africani crevere inimicorum animi, quorum princeps fuit M. Porcius Cato, qui vivo quoque eo allatrare eius magnitudinem solitus erat. Hoc auctore existimantur Petillii et vivo Africano rem ingressi et mortuo rogationem promulgasse. Fuit autem rogatio talis: velitis iubeatis, Quirites, quae pecunia capta, ablata, coacta ab rege Antiocho est quique sub eius imperio fuerunt, quod eius in publicum relatum non est, uti de ea re Ser. Sulpicius praetor urbanus ad senatum referat, quem eam rem velit senatus quaerere de iis qui praetores nunc sunt. — — L. Scipio, quem magis pro se quam adversus legem dicturum apparebat, dissuasor processit. — — M. Cato suasit rogationem: extat oratio eius de pecunia regis Antiochi, et Mummios tribunos auctoritate deterruit, ne adversarentur rogationi. Remittentibus ergo his intercessionem, omnes tribus, uti rogassent, iusserunt. . . . . Reus extemplo factus L. Scipio . . . Scipio et A. Hostilius legatus et C. Furius damnati: Quo commodior pax Antiocho daretur, Scipionem sex millia pondo auri, quadringenta octoginta argenti plus accepisse quam in aerarium retulerit.*

Valerius Maximus VIII. 1. *Damnati. Lucius Scipio post speciosissimum triumphum de rege Antiocho ductum, perinde ac pecuniam ab eo accepisset, damnatus est.* Conf. Gellius 4, 18. Plut. Cato 15.

In editione priore hanc orationem anno 567 (187) assignavi. Maiansius quoque p. 42 et Fischerus (Zeittafeln) huic anno tribuit, non anno 569 (185). Utraque autem ratio auctoritate annalium nititur: alii enim dicunt, P. Scipionem maiorem mortuum esse a. 567 (187), alii anno 569 (185), quos cum sequerer, *oratio*

de pecunia regis Antiochi eodem anno referenda erat. Conf. oratio *Scipionis maioris*, ubi de eadem re diximus.

Orationes censoriae.

24 — 49.

Eae omnes anno 570 (184) habitae.

Livius 39, 40. *Censuram summa contentione petebant L. Valerius Flaccus, P. et L. Scipiones, Cn. Manlius Vulso, L. Furius Purpureo, patricii, plebeii autem M. Porcius Cato, M. Fulvius Nobilior, Ti. et M. Sempronii, Longus et Tuditanus. Sed omnes patricios plebeiosque nobilissimarum familiarum M. Porcius longe anteibat. — — Hunc sicut omni vita, tum petentem premebat nobilitas, coierantque praeter L. Flaccum, qui collega in consulatu fuerat, candidati omnes ad dejiciendum honore eum, non solum ut ipsi potius adipiscerentur, nec quia indignabantur novum hominem censorem videre, sed etiam quod tristem censuram periculosamque multorum famae et ab laeso a plerisque et laedendi cupido exspectabant. Etenim tum quoque minitabundus petebat, refragari sibi qui liberam et fortem censuram timerent criminando; et simul L. Valerio suffragabatur: illo uno collega castigare se nova flagitia et priscos revocare mores posse. His accensi homines adversa nobilitate non M. Porcium modo censorem fecerunt, sed etiam collegam ei L. Valerium Flaccum adiecerunt.*

Extabant multae orationes Catonis censoriae, tum in eos, quos senatu movit aut quibus equos ademit, tum de ceteris rebus, quae censori curae fuere. Nam omnia munera, quae censoribus in republica romana mandata sunt, maxima diligentia summoque labore perfecit.

Cornelius Nepos in Catone 2. *Cato censor cum eodem Flacco factus, severe praefuit ei potestati. Nam et in complures nobiles animadvertit, et multas*

res novas in edictum (i. e. in edictum censorium. Göttling Gesch. d. röm. Staatsverf. p. 339.) *addidit, qua re luxuria reprimeretur, quae iam tum incipiebat pullulare.*

Supersunt etiamnum vestigia orationum sex et viginti, quas censor habuit.

24. Oratio in L. Quintium Flamininum.

Argumentum suppeditat Livius lib. 39, 42. *Censores M. Porcius et L. Valerius metu mixta exspectatione senatum legerunt, septem moverunt senatu, ex quibus unum insignem et nobilitate et honoribus L. Quintium Flamininum consularem. Patrum memoria institutum fertur, ut censores motis senatu adscriberent notas. Catonis et aliae quidem acerbae orationes extant in eos, quos aut senatorio loco movit aut quibus equos ademit, longe gravissima in L. Quintium oratio est, qua si accusator ante notam, non censor post notam usus esset, retinere Quintium in senatu ne frater quidem T. Quintius, si tum censor esset, potuisset. Inter cetera obiecit ei Philippum Poenum, carum ac nobile scortum, ab Roma in Galliam provinciam spe ingentium donorum perductum. Eum puerum, per lasciviam cum cavillaretur, exprobrare consuli persaepe solitum, quod sub ipsum spectaculum gladiatorium abductus ab Roma esset, ut obsequium amatori venditaret. Forte epulantibus iis, cum iam vino incaluissent, nuntiatum in convivio esse, nobilem Boium cum liberis transfugam venisse, convenire consulem velle, ut ab eo fidem praesens acciperet. Introductum in tabernaculum per interpretem alloqui consulem coepisse. Inter cuius sermonem Quintius scorto: „vis tu," inquit, „quoniam gladiatorium spectaculum reliquisti, iam hunc Gallum morientem videre?" Et cum is vixdum serio annuisset, ad nutum scorti consulem stricto gladio, qui super caput pendebat, lo-*

quenti Gallo primum caput percussisse, deinde fugienti fidemque populi romani atque eorum qui aderant imploranti latus transfodisse. Valerius Antias, ut qui nec Catonis orationem legisset et fabulae tantum sine auctore editae credidisset, aliud argumentum, simile tamen et libidine et crudelitate peragit. — In extrema oratione Catonis conditio Quintio fertur, ut, si id factum negaret ceteraque quae obiecisset, sponsione defenderet sese: sin fateretur, ignominiane sua quemquam doliturum censeret, cum ipse vino et Venere amens sanguine hominis in convivio lusisset?

sponsione defenderet sese] v. F. L. Keller Semestria lib. 1. p. 17.

Eadem res narratur a Cicerone de Senectute c. 12. Valerius Max. II, 9, 3. IV, 5, 1. Plutarch. Cat. 17. Flamin. 18. Seneca Controvers. IV, 25.

L. Quintius Flamininus non tam suo merito, quam gratia Titi fratris ad summos honores pervenerat. Consul anno 562 (192) creatus, in agris Boiorum bellum gessit. Plut. T. Flaminini c. 18. Ἀδελφὸς ἦν Τίτῳ Λεύκιος Φλαμινῖνος, οὔτε τἄλλα προςεοικὼς ἐκείνῳ τὴν φύσιν ἔντε ταῖς ἡδοναῖς ἀνελεύθερος δεινῶς καὶ ὀλιγωρότατος τοῦ πρέποντος. Conf. Livius l. 35, 10. Cum igitur Cato libidinem eius voluptatemque notandam putaret, eiecit eum e senatu.

Extare videtur orationis fragmentum.

Isidorus in libro de Differentiis p. 741. ed. Jacobi du Breul a. 1601: *Inter amorem et cupidinem. Aliud est, inquit Cato, Philippe, amor longe aliudque cupido. Accessit illico alter, ubi alter recessit; alter bonus, alter malus.*

aliud est] In Barthii Adversariis 39, 6. legitur: *Inter amorem et cupidinem aliud est, inquit Cato. Philippi. Amor longe aliud est cupido. accessit illico alter. ibi alter recessit.* Variat paulum codex Basileensis De Differentiis Isidori, ab Orellio nostro, V. C. mecum communicatus; ibi enim legimus: *Aliud est, inquit Catho, philippi, amor longe aliud est cupido. accessit illico alter ibi alter recessit, alter bonus, alter malus.* Unde nescio an

Catonis locus sic corrigendus sit: *Aliud est, inquit Cato, Philippe, amor, longe aliud est cupido: accessit illico alter, ubi alter recessit; alter bonus alter malus.* Adnotavit Duebnerus: „Ita cod. Paris. nisi quod per interpolationem *longe quam cupido.*" —

Philippe] Is est, quem Livius *carum ac nobile scortum* appellat. In hoc loco, figura quadam orationis usus, ad Philippum velut se convertens, Cato libidinem sive pravum amorem castigat, ut qui committendi facinoris auctor fuisset Quintio. Tota Catonis oratio in amoribus L. Flaminini et Philippi pueri versata est.

25. Oratio in Manilium.

Plutarchus in Catone 17. refert: *Ἄλλον δὲ βουλῆς ἐξέβαλεν ὑπατεύσειν ἐπίδοξον ὄντα, Μανίλλιον, ὅτι τὴν αὑτοῦ γυναῖκα μεθ' ἡμέραν ὁρώσης τῆς θυγατρὸς κατεφίλησεν. Ἀυτῷ δ' ἔφη τὴν γυναῖκα μηδέποτε πλὴν βροντῆς μεγάλης γενομένης περιπλακῆναι, καὶ μετὰ παιδιᾶς εἰπεῖν αὐτὸν, ὡς μακάριός ἐστι τοῦ Διὸς βροντῶντος.*

Idem refert in Praeceptis coniugalibus T. 7. p. 414 ed. Hutt. Id sane summae severitatis censoriae romanae exemplum est, quod is, qui uxori suae coram filia oscula dederat, libidinosus esse existimaretur et a censore notaretur. Conf. de hac acerbitate morum *Paldamus Die römische Erotik* p. 18.

Quis sit ille Manilius (sive Manlius, ut alii volunt), ignoro, cum plures tunc temporis Manilii essent magistratus. Pighius autem in Annalibus T. 2. p. 326. P. Manlium Vulsonem praetorem anni 572 (182) intelligendum dicit.

Fortasse Manius Manilius intelligendus, qui anno demum 605 (149) consulatum gessit.

26. Oratio in Nasicam.

Cicero de Oratore 2, 64, 260. *Ridicule etiam illud L.* [Portius] *Nasica censori Catoni, cum ille: Ex tui animi sententia tu uxorem habes? Non mehercule, inquit, ex mei animi sententia.*

Gellius 4, 20. *Inter censorum severitates tria haec*

exempla in literis sunt castigatissimae disciplinae. Unum est huiuscemodi. Censor adigebat de uxoribus solenne iusiurandum. Verba erant ita concepta: Ut tu ex animi tui sententia uxorem habes? Qui iurabat, cavillator quidam et canicula et nimis ridicularius fuit. Is locum esse sibi ioci dicendi ratus, cum ita, ut mos erat, censor dixisset: Ut tu ex animi tui sententia uxorem habes? Habeo equidem, inquit, uxorem, sed non hercle ex animi mei sententia. Tum censor eum, quod intempestive lascivisset, in aerarios retulit, causamque hanc ioci scurrilis apud se dicti subscripsit.

Ex his quidem verbis non apparet, Catonem in Nasicam reliquisse orationem. Sed cum Livius, ut supra vidimus, dicat, a Catone in omnes, quos aut senatu movisset aut quibus equum ademisset, orationes esse habitas, vero est simile, idem eum fecisse, cum Nasicam notaret, si certe Nasica aut senator aut eques fuerat (quod dubito). Quis enim hic Nasica sit, incertum est; ut iam Lipsius in Operibus t. 1. p. 208. professus est: nemo enim celeberrimum atque sapientissimum virum, P. Cornelium Scipionem Nasicam, intelligendum putet. Imo de eo omnino nihil, atque ne nomen quidem constat, ut ex editione Orellii patet.

uxorem habes] Quaerebatur a censore de singulis civibus, haberentne uxores an caelibes essent: hos censores saepe pecunia multarunt. Henrichsen ad Cic. l. l.

in aerariis retulit] De nota hac ignominiosa v. Göttling Geschichte d. röm. Staatsv. p. 343.

27. Oratio in L. Cornelium Scipionem.

Livius 39, 44. *In equitatu recognoscendo L. Scipioni Asiageni ademptus equus.*

Asiageni] Asiagenes i. q. Asiaticus, cognomen L. Scipionis. v. Sidon. Apollin. Carm. 7, 80. Gronov. Observ. 4, 391. (p. 531. ed. Frotsch.)

Aurelius Victor de Vir. Illust. c. 53. *Scipio Asi-*

aticus, frater Africani, infirmo corpore, tamen in Africa virtutis nomine a fratre laudatus, consul Antiochum regem Syriae legato fratre apud Sipylum montem, cum arcus hostium pluvia hebetati fuissent, vicit et regni relicti a patre parte privavit, hinc Asiaticus dictus. Post reus interceptae pecuniae, ne in carcerem duceretur, Gracchus pater tribunus plebis intercessit. M. Cato censor equum ei ignominiae causa ademit.

consul] a. 564 (190).

reus pecuniae interceptae] a. 569 (185) (vel a. 567 (187) ut alii dicunt) Extabat hac de re *Catonis oratio de pecunia regis Antiochi*, quam in illa causa contra L. Scipionem egerat.

Plutarchus in Catone c. 18. *Ἤνεγκε δέ τινα τῷ Κάτωνι καὶ Λεύκιος ὁ Σκηπίωνος ἀδελφὸς ἐπίφθονον αἰτίαν, θριαμβικὸς ἀνὴρ, ἀφαιρεθεὶς ὑπ᾽ αὐτοῦ τὸν ἵππον. ἔδοξε γὰρ οἷον ἐφυβρίζων Ἀφρικανῷ Σκηπίωνι τοῦτο ποιῆσαι.*

Apparet, hos scriptores, quos attulimus, L. Scipionem Asiaticum, Publii fratrem, intellexisse, et ex Aurelio Victore accepimus, cur eum Cato nota ignominiosa afficeret, nempe quia pecuniae partem Antiochi intercepisset.

Weberus autem p. 31. arbitratur, fieri nequivisse, L. Scipionem, *virum consularem*, equo publico meruisse, idque non in Scipionem patrem, sed in filium eius cadere, hisque verbis opinionem suam professus est: „Hunc non ipsum fuisse Scipionem Asiaticum, victorem Antiochi, quod post Plutarchum nonnulli interpretes Livii censuerant, sed filium eius, facile est intellectu."

Difficilem esse quaestionem, utrum senatores quoque equo publico meruerint annon, fateor, sed aliis temporibus in republica romana alium fuisse morem et usum contendo, vereque Göttling Gesch. d. röm. Staatsverf. p. 347 demonstravit, senatores, qui, antequam in senatum recepti fuerant, equo publico meruissent, eum retinuisse,

dum inter iuniores essent, huncque morem certe ante annum 625 (129) valuisse. Conf. Madwig Opuscula p. 79. „*Hoc datum summo ordini* (senatoribus), *ut om-*„*nes equum publicum haberent et in equitum centu-*„*riis essent.*"

Duebnerus dicit, videndum esse, ne orationis huius fragmentum a Festo memoriae sit traditum.

Festus v. *Repulsior.* p. 286. Repulsior secunda conlatione *Cato dixit in ea, quae est contra Cornelium apud populum: haec quis incultior, religiosior, desertior, publicis negotis repulsior.*

secunda conlatione] i. e. comparativo gradu.

contra Cornelium] Maiansius p. 36. *orationi contra Cornelium Lentulum* inseruit. Maius ad Frontonem p. 150 M. Cornelium intelligit, contra quem *orationem de sumtu suo* Cato dixit.

haec quis] *ecquis* Ant. Augustinus.

religiosior] „Edit. Havercamp. et Bolhuis p. 131 *irreligiosior.* Sed *religiosior* tueri poteris ex Gellio IV. 9." Duebner. Vid. Freund in Lex. s. v. — Maiansius p. 36 scribit: *aut loquitur de superstitioso, quales fuerunt multi ex Corneliis, aut legendum est irreligiosior.*

repulsior] magis abhorrens.

28. Oratio in L. Veturium de sacrificio commisso.

Quis sit L. Veturius eques romanus, cui Cato censor equum ademit, incertum. De titulo quoque orationis multum ambigitur. In uno enim loco inscribitur *De sacrilegio commisso*, in reliquis *De sacrificio commisso.* Plures viri docti ubique priorem inscriptionem restituendam censebant. Sed ex ipsis fragmentis ea opinio confirmari non potest: nulla enim ibi sacrilegii commissi fit mentio. Sed Cato Veturio equum publicum ideo ademisse videtur, quod sacrificia stata deseruerat vel negligenter commiserat, et quod habitus eius nimis pinguis et corpulentus, et laboribus bello tolerandis impar erat. Oratio igitur *de sacrificio commisso* ea est, quae aut de sacris a Veturio factis aut

de sacris, Veturii curae traditis, fideique eius commendatis agit, (id est, über die dem Veturius anvertrauten Sacra.) — Popma coniiciebat *de sacrificio omisso.* — (C. O. Müllero mea explicatio satisfecisse videtur, ut ex adnotatione sua ad Festum p. 345 patet.)

Maiansius p. 39 aliter sentit: „Cato, inquit, oratio„nem habuit in L. Veturium, quam inscriptam fuisse „puto *de sacrilegio commisso*, non autem *de sacrifi„cio omisso.* Titulus orationis ex eo liquet, quod, etsi „variae lectiones sint in verbis *sacrilegio* et *sacrificio*, „consentaneae sunt in *commisso*, quod adiunctum opti„me cohaeret *sacrilegio* et pessime *sacrificio.*" — Recte, nisi de sacris a Veturio curandis sive curae eius deditis intelligas: in eo enim sensu *sacrificium alicui committere* non ineptum videtur.

Festus p. 344. *Stata sacrificia* sunt, quae certis diebus fieri debent. *Cato in ea, quam scripsit de L. Veturio de sacrificio commisso, cum ei equum ademit: Quod tu, quod in te fuit, sacra stata, solemnia, capite sancta, deseruisti.* Solemnia sacra dicuntur, quae certis temporibus annisque fieri solent.

sacra etata] Sacra legilimo die ac loco facieoda.

capite sancta] *capite* eorruptum videtor. Müller eoniieit *caste.* Duebnerus delendum putat, praesertim com a Paullo quoque omittatur: *Stata*, inquit Paullus, *dicebantur sacrificia, quae certis diebue fiebant. Cato: sacra stata, solemnia, sancta deeeruisti.* Codex Basileensis Pauli dat: *Cato: eacra etata solemnia sancta eervasti.* Göttliog aotem Gesch. d. röm. Staatsverf. p. 175. *capite sancta* beue dictum eenset i. e. somma poena saneta. Dieil enim: Eio altes Gesetz verbot, die Sacra zu uoterlassao oder gar aufzugebeu, ond Cato neunt diese *sacra* sogar *capite eancta.* Saera privata noo raro ioterimi vel deseri solebant, propterea quod molesta et sumtuosa erant. Coof. praeter Göttliogium Hüllmannus quoque Ius Poolificium der Römer p. 79.

Festus p. 234. *Prohibere comitia* dicitur vitiare diem morbo, qui vulgo quidem maior, ceterum ob id ipsum comitialis appellatur. *Cato in ea oratione, quam scripsit de sacrilegio commisso: Domi cum auspi-*

camus, honorem me dium immortalium velim habuisse. servi, ancillae, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit. si cui ibidem servo aut ancillae dormienti evenit, quod comitia prohibere solet, ne is quidem mihi vitium facit.

de sacrilegio] corrigendum *de sacrificio.*

Domi cum auspicamus] Intelligit genus illud auspicii, quod post mediam noctem domi captabatur et appellabatur *silentium*. Cicero de Divin. 2, 34. Festus p. 348. *(Silentio surgere) ait dici, ubi qui post mediam (noctem auspi)candi causa ex lectulo suo si(lens surr)exit, et liberatus a lecto, in solido (se posuit, se)detque, ne quid eo tempore deiciat, (cavens, donec) se in lectum reposuit: hoc enim est (proprie si)lentium, omnis vitii in auspiciis vacuitas.*

dium] i. e. divum, divorum, deorum.

sub centone] sub stragulis. Dacerius ad Festum p. 597. ed. Lindem.

crepuit] De innominatis verbis intelligendum arbitror. Gesnerus in Praefatione Thesauri pag. XIV. de sensu dubitabat. Weberus atque Freund in Lexico de crepitu ventris interpretantur, quod ipsam ruditatem Catonis excedere videtur. Constat, Romanos vehementer superstitioni indulsisse, et ex omnibus rebus verbisque vel laeta vel tristia auguria cepisse. Dionys. Antiquitt. lib. 2, 6. Müller Die Etrusker T. 2. p. 134.

ne is] *ne id* Dacier. Recte.

Priscianus T. 1. p. 246. *Cato de sacrificio commisso: Mense Octobri fecimus, Novembris reliquus erat.*

fecimus] supplendum *sacra.*

Novembris] Vetustissimos in nominativo non *November*, sed *Novembris* protulisse, docet Priscianus.

Priscianus T. 1. p. 484. *Cato Censorius de Veturio: Hostem Numium icit.*

Numium] „Sic duo codd. Germanici. Alii *nimium*, alii *numum*, ut „edit., unus *non*. Edit. Havere. *Hostem numii cit?* Sic Regius „IX saec., sed inter lin. eadem manu *ini.*" Duebner.

Priscianus T. 1. p. 229. *Anio* etiam *Anienis*, quod

antiqui secundum analogiam *Anien* nominativum proferebant. *Cato contra Veturium: Aquam Anienam in sacrarium inferre oportebat: non minus autem XV millia Anien abest.*

aquam Anienam] Sic legendum censuit Justus Lipsius in Var. Lectt. 3, 11. et Krehlius in Addendis ad Tom. 2. p. 516. *aquam Anienem* vulgo. quod errori tribuendum; adiectivi enim fo ma est *Anienus, a, um,* ut Priscianus ipse docet T. 1. p. 93.

autem] addidit Krehl in Addendis l. l. ex codicibus, item Duebnerus ex cod. regio.

millia] *millibus* ed. Basil. ap. Bolhuis p. 120.

Priscianus T. 1. p. 365. *Fitur* etiam pro *fit* dicebant. *M. Cato Censorius in Q. Thermum: Postquam diutius fitur.* Idem *de L. Veturio: Graeco ritu fiebantur Saturnalia.*

Gellius 7, 22. Nimis pingui homini et corpulento censores equum adimere solitos, scilicet, minus idoneum, ratos, esse cum tanti corporis pondere ad faciendum equitis munus. Non enim poena id fuit, ut quidam existimant, sed munus sine ignominia remittebatur. Tamen *Cato in oratione, quam de sacrificio commisso scripsit, obiicit hanc rem criminosius, uti magis videri possit cum ignominia fuisse.*

Plutarchus vit. Cat. 9. *Τὸν δὲ ὑπέρπαχυν καχίζων „Ποῦ δ᾽ ἄν, ἔφη, σῶμα τοιοῦτον τῇ πόλει γένοιτο χρήσιμον, οὗ τὸ μεταξὺ λαιμοῦ καὶ βουβώνων πᾶν ὑπὸ τῆς γαστρὸς κατέχεται;"*

Τὸν ὑπέρπαχυν] ad L. Veturium referendum arbitror.

Gellius 17, 2. *Sanctitas* et *sanctimonia* non minus latine dicuntur, sed nescio quid maioris dignitatis est verbum *sanctitudo*, sicuti *M. Cato in L. Veturium duritudinem* quam *duritiem* dicere gravius putavit. *Qui illius,* inquit, *impudentiam norat et duritudinem.*

Nonius p. 100. *Duritudo* pro duritia. *Cato in Veturium: Qui illius, inquit, imprudentiam norat et duritudinem.*

Cato] Hoc cum multis aliis ex Gellio Nonius facile sumsit.

imprudentiam] melius in Gellio legitur *impudentiam.*

Nonius p. 149. *Plevitatem* ignobilitatem. *Cato pro Veturio: Propter tenuitatem et plevitatem.*

plevitatem] legendum est *plebitatem*, ut in codicibus quoque legi Duebnerus testatur.

pro Veturio] Hoc fragmentum aut orationi in L. Veturium vindicandum et error inscriptionis negligentiae Nonii, quem eius rei accusari nemo mirabitur, tribuendus, aut cum Popma et Lion *pro L. Turio* corrigendum et orationi Catonis *pro L. Turio contra Gellium* inserendum, eandemque opinionem amplexus est Wasse ad Fragm. Historic. T. 2. p. 293 ed. Havere. et Maiansius p. 34. Sed tertia opinio non minus probabilis, atque adeo praestantior est: cum enim a Charisio p. 131. C. Aurelio Cottae oratio pro Veturio tribuatur, nescio an hoc quoque loco *Cotta pro Veturio* legendum sit.

29 et 30. Orationes de multa contra L. Furium.

Utrum Furius ille sit L. Furius Purpureo, quocum censuram petierat Cato, an L. Furius Philus, ambo patricii, ignoramus. Maiansius p. 37. commutavit L. Furium cum P. Furio, adversus quem orationem dixit Cato, ut infra videbimus.

Quisquis ille est, multa ei dicta est ob aquam publicam derivatam et aversam. Cato censor Furium, qui aquam ex ductu publico in privatum usum dolo malo derivaverat, multavit, idemque in aliis quoque fecit, ut ex Livio perspicitur lib. 39, 44. *Aquam publicam omnem, in privatum aedificium aut agrum fluentem, ademerunt* (censores Cato et Flaccus.) Plut. Cato c. 19. *Οὐ μὴν ἀλλὰ τῶν ἐγκαλούντων ἐλάχιστα φροντίζων ὁ Κάτων ἔτι μᾶλλον ἐπέτεινεν, ἀποκόπτων μὲν ὀχετοὺς, οἷς τὸ παραῤῥέον δημόσιον ὕδωρ ὑπολαμβάνοντες ὑπῆγον εἰς οἰκίας ἰδίας καὶ κήπους.* Furius autem ad populum appellasse videtur, quod ex eo intelligitur, quod plures hac de re orationes censor dixit. Constat, a multis privatis hominibus saepe aquam ex aquaeductibus publicis in hortos, domus, villas suas derivatam esse, unde et censores et aediles multos reos

faciebant. Extabat similis *oratio M. Coelii Rufi.* Conf. Bunsen Beschreibung der Stadt Rom T. 1. p. 190.

Charisius p. 128. Quanti. *Cato in primo in Furium de multa*, de caro emtis: *O quanti ille agros*, inquit, *emit, qua aquam duceret.*

in primo] in primo libro i. e. in prima oratione.

Charisius p. 126. Prorsum. *M. Cato in L. Furium de multa: Prorsum quodcunque iubebat fecisse, neque quemquam observavisse.*

Charisius p. 123. Nec(essario. *M. Cato) in L. Furium de multa: Necessario faciundum fuit.*

Charisius p. 72. Domi suae. *Cato de multa contra L. Furium: Domi meae saepe fuit.*

Servius ad Virg. Aen. 4, 244. *Resignare* vetuste ita dictum, ut nos adsignare dicimus pro damno, ut est apud *Catonem in L. Furium de aqua: Quod attinet ad salinatores aerarios, cui cura vectigalium, resignat.* et idem *in oratione Ne spolia figerentur nisi de hoste capta: Sed tum ubi ii dimissi sunt, revertantur resignatis vectigalibus.*

de aqua] ad inscriptionem orationis pertinere, vere coniecit Müller ad Festum p. 378. Salinatores aerarii ii sunt, qui pro sale conficiendo vendendoque aerario vectigal pendunt (die Salinenpächter.) L. Furius in agro suo salinas fortasse habebat, in quarum usum ex ductu publico aquam averterat.

resignat] Festus p. 281. *Resignare* antiqui pro rescribere ponebant, ut adhuc subsignare dicimus pro subscribere. *Cato de spoliis ne figerentur nisi quae de ho . . .* Freund in Lexico interpretatur: im Buche übertragen, einem anweisen.

Festus p. 376. *Vindiciae* appellantur res eae, de quibus controversia. . . . *Cato in ea quam scribit L. Furio de aqua . . . . . . s. Praetores . . secundum . . populum . . vindicias . . dicunt.*

L. Furio de aqua] Müller adnotat: „scribe: *quum scripsit in L.* „*Furium de aqua.* Id nomen fuisse existimo cuidam ex Catonis „orationibus in L. Furium de mulcta. Nam apud Servium in Virg. „Aen. IV, 244, ubi legitur: *ut est apud Catonem in L. Furium:* „*De aqua quod attinet ad salinatores aerarios, cui cura vecti-*

„*gulinm*, *resignat*. vocabula *de aqua* ad inscriptionem orationis „pertinere, cum ex ipsa loci sententia, tum ex hac Festi mentione „intelligitur." — Hanc coniecturam veram puto, nec probo, quod Ellendt in Prolegom. Bruti p. XXIII opinatur, fragmentum Festi ex oratione *pro Furio contra Gellium* (vid. Gellius 14, 2) sumtum esse. Quo minus enim hanc amplectar opinionem, facit illud *De aqua*, quod cum argumento orationis, de qua nunc loquimur, convenit.

praetores] Fragmentum nimis laceratum quam ut explicari possit.

vindicias dicunt] v. Rein das röm. Privalrecht p. 462.

Gellius 10, 24. Ut plerique *die pristini*, ita *M. Cato in oratione contra Furium die proximi* dixit.

contra Furium] Incertum est, ex oratione in L. Furium an in P. Furium sit sumtum.

Nonius p. 153. *Proximi* i. e. proximo. *Cato contra Furium: die proximi.*

Nonius] ex Gellio sumsit Catonis verba.

31. Oratio de moribus Claudii Neronis.

Hanc orationem inter censorias retuli, quoniam ad censorium munus spectare videtur inscriptio. Idem fecere Ellendt atque Weberus. Quaeritur, qui sit Claudius Nero, a Catone censore notatus. Ellendt arbitratur, Ti. Claudium Neronem, Ti. Claudii Neronis consulis a. 552 (202) filium, intelligendum esse; qui anno, antequam Cato censuram subiit, id est anno 569 (185), quaestor erat, nec postea ad maiores honores pervenit.

Priscianus T. 1. p. 244. *Cato de moribus Claudii Neronis isti* pro istius: *Pecunia mea reipublicae profuit quam isti modi uti tu es.*

quam] Explicari non potest, cum reliqua desint verba.

isti] istius.

uti tu es] corruptum.

Nonius p. 63. *Fulguratores.* Ut extispices et haruspices, ita hi fulgurum inspectores. *Cato de moribus*

Claudii Neronis: Haruspicem, fulguratorem si quis adducat.

fulguratorem] i. e. interpretem fulgurum. C. O. Müller Die Etrusker T. 2. p. 162.

32. Oratio in Pansam.

Sequor Weberum, qui eam Catoni censori tribuendam putat. Pansa (ex familia Vibiorum) nescio quis inter eos erat, quos ignominia vel nota censoria affecit, sive e senatu eum moverat sive ei equum ademerat.

Nonius p. 151. *Pasceolus*, ex aluta sacculus. *Cato in Pansam: Pueri in ludos tellos pasceolos furare.*

Pueri] Palmerius conicit *Pueris in ludo soleas et sucellos, pasceolos furari* scit. Pansam. Probat Duebnerus.

33. Oratio in Q. Sulpicium.

Oratio censoria a. 570 (184) habita.

In Addendis editionis prioris suspicabar, praenomen esse corruptum et orationem *in Ser. Sulpicium Galbam* intelligendam. Sed cum talis mihi in tractandis codicibus licentia non amplius satis faciat, in lectione vulgata acquiescendum arbitror. Maiansius p. 38 arbitratur, eundem Q. Sulpicium intelligi, contra quem aliam quoque habuerit orationem, quae inscripta est *oratio Catonis ad milites contra Galbam.*

De Quinto Sulpicio nihil certi tradere licet. Cato eum tamquam luxuriae nimis deditum, splendore vasorum pretiosissimorum impense delectatum, censoria ignominia notavisse videtur.

Festus p. 169. *Nassiterna* est genus vasi aquari ansati et patentis, quale est quo equi perfundi solent. *Cato in ea oratione, quam composuit in Q. Sulpicium: Quotiens vidi truilos, nassiternas, perfusos aqualis, matellas sine ansis.*

truilos] legendum *trullus*. Scaligero placuit *trulleos*. De priore

forma vide Schneider ad. Caton. c. 10. Meam emendationem approbavit Müller.

nassiternas] *nasiternus* una *s* Schneider ad l. l.

perfusos] legendum *pertusos* cum A. Augustino.

34. Oratio adversus Lepidum.

Oratio censoria esse videtur. Niebuhr ad Frontonem p. 133. ed. Berolin. M. Aemilium Lepidum, principem senatus, intelligendum arbitratur. Is a. 564 (190) in petendo consulatu repulsam tulit. Livius 37, 47. *M. Aemilius Lepidus petebat adversa hominum fama, quod provinciam Siciliam petendi causa, non consulto senatu, ut sibi id facere liceret, reliquisset. Petebant cum eo M. Fulvius Nobilior, Cn. Manlius Vulso, M. Val. Messala. Fulvius consul unus creatur, cum ceteri centurias non explessent, isque postero die Cn. Manlium Lepido deiecto collegam dixit.* — Postea bis consul factus a. 567 (187) et 579 (175), et a censoribus princeps senatus sexies lectus est. Livius Epit. 48. Drumann Gesch. Roms t. 1. p. 3. Ellendt quoque ad eundem Aemilium orationem pertinere scribit p. XXIV. dicit enim: *hoc addam, orationem adversus Lepidum non ad Porcinam, utpote multo iuniorem, sed ad illum referri, qui princeps senatus fuit.*

Sed magis est verosimile, alium Lepidum esse intelligendum, qui a Catone in censura notatus fuerit, propterea quod iactantia et ambitione statuas vel sibi vel aliis hominibus immerito collocasset: Catonem vero *de signis et tabulis* in censura praecepisse, scimus.

Fronto p. 206. ed. Rom. *Catonem quoque in oratione adversus Lepidum verbum cantari solitum commemorasse, cum ait: Statuas positas Ochae atque Dionysidoro effeminatis, qui magiras facerent. Id in . . meant . . . velint post redire . . . in ea . . facit. Opportune . . brum . . rim cantandi ludendique initium capiunt. Et . . paravit . . .*

Statuas] Cato eos irridet, qui statuas publice posuerunt Ochae et Dionysidoro coquis. In urbe Roma inde ab anno 565 (189), quo anno de Antiocho rege triumphatum est, luxuria et ars culinaria in pretio esse coepit. Becker Gallus t. 2. p. 132. Livius 39, 6.

Dionysidoro] *Dionysodoro* Niebuhr.

magirus] Magira est ars culinaria, μάγειρος coquus.

35. Oratio contra Oppium.

Catoni censori eam orationem vindicavit Weber.

Nescio an L. Oppius Salinator sit intelligendus, qui a. 561 aedilis plebis, a. 562 praefectus classis ad tuendam Siciliae oram, a. 563 praetor creatus est. Livius 35, 23. 24. lib. 36, 2. Censoris erat munus, vectigalia cuncta locare. Cum autem Oppius vectigal vini nescio ubi redemerat, promissa non explevit, ideoque censor eum notavit.

Festus p. 258. *Quadrantal* vocabant antiqui, quam ex graeco amphoram dicunt, quod vas pedis quadrati XLVIII capit sextarios. *Cato contra Oppium: Vinum redemisti, praedia pro vini quadrantalibus sexaginta in pulli dedisti, vinum non dedisti.*

quadrantal] Boeckh Metrolog. Untersuchungen p. 281 seqq.

vinum] i. e. vectigal vini.

redemisti] eodem sensu quo publicani dicuntur vectigalia publica redimere.

in pulli] *in publicum* correxit Ursinus. Intelligit Cato praedia populo pignore data, sicut fiebat a mancipibus. Müller.

36. Oratio contra Annium.

Inter censorias orationes retulimus, quo iure nescio. De Annio ambigam, an T. Annius Luscus sit, qui fuerat quaestor a. 569, deinde legatus ad regem Perseum missus a. 582. Livius l. 42, 25.

Festus p. 305. *Superescit. Super* ponitur etiam pro *de. Cato contra Annium: Nemo autem fecit super tali re cum hoc magistratu utique rem.*

37. Oratio in Q. Minucium Thermum post censuram.

Cato, postquam Thermum nota affecisset, hanc orationem habuit, ut redderet rationem, cur eum senatu movisset.

Livius l. 39, 42. *Patrum memoria institutum fertur, ut censores motis senatu adscriberent notas. Catonis et aliae quidem acerbae orationes extant in eos, quos aut senatorio loco movit aut quibus equos ademit.* Sic igitur explicanda inscriptio: *oratio in Thermum post censuram*, i. e. postquam Thermum nota ignominiosa affecisset.

Ii errant, qui putent, hunc Thermum eundem esse, adversus quem Catonem iam duas orationes dixisse supra vidimus. Ille enim Thermus anno 566 (188) in proelio adversus Thracas cecidit. Liv. l. 38, 41. l. 46, 49. An igitur filius eius hic intelligendus, an alius quis, nescimus. Catonem cum Thermis multas exercuisse inimicitias constat.

Duebnerus aliud argumentum orationis excogitavit: *Fiebat, ut censores etiam post actam censuram contra homines ab ipsis olim notatos verba facerent, si quando honor, a quo per censuram exclusi videbantur, iis posterius deferretur.* Sic ap. Cic. or. pro Cluentio c. 42. 43. 45. *Tali occasione haec oratio quidni fuerit habita?*

Rufinianus De figuris p. 210 ed. Ruhnk. *Cato in Thermum post censuram: Qui ventrem suum non pro hoste habet, qui pro republica, non pro sua obsonat, qui stulte spondet, qui cupide aedificat.*

non pro sua] int. *re*, qui, tamquam possideat vectigalia totius reipublicae, non pro suo modulo sumtum coenae facit.

Festus p. 318. *Sacrem porcum . . . Cato adver(sus Q. Minucium The)rmum post (censuram: Porcum sac)rem in sin . .*

post censuram] Sic explendam putavi lacunam probante C. O. Müllero.

Priscianus T. 1. p. 365. *M. Cato censorius in Q. Thermum: Postquam diutius ſitur.*

Festus p. 286. *Ratissima. Cato in Q. M. Thermum: Erga rempublicam multa beneficia ratissima atque gratissima.*

Nonius *Moletrina* p. 63. *Cato in Thermum: Nervo, carcere, moletrina.*

Priscianus T. 1. p. 108. *Cato in Thermum: Sed a benefactis, ab optimis artibus fugit maxima fugella perpetuissimo curriculo.*

maxima] *quam maxima* unus cod. et Putsch. Duebner.

fugella] *fugela* Vossius. *flagella* vett. editt.

Priscianus T. 1. p. 513. *Cato in Thermum: Mortuus est, sepelitus est.*

mortuus est] In edit priore hoc fragmentum orationi *contra Thermum de Ptolemaeo minore* inserui. Popmam enim secutus in errorem incidi. Popma putabat, hic mentionem fieri mortis Ptolemaei Philometoris regis, quam Livius in Epit. lib. 52 tradidit. Sed errat vehementer, nec de morte Ptolemaei hic sermo esse potest, siquidem is anno demum 608 (146) supremum obierit diem, ut ex ordine rerum in Livii Epitome lib. 52 narratarum patet (cf. Clinton Fasti p. 325) atque adeo tribus annis Catoni supervixerit.

38. Oratio de signis et tabulis.

Ea oratio contra ambitionem eorum dicta est, qui sibi vel Romae vel in provinciis statuas et tabulas collocari cupiebant. Hic enim mos invaserat, ut multis viris (nec tamen iis tantum, qui revera hoc digni erant honore) tum in foris publicis tum in templis signa statuerentur aut tabulae, in quibus res eorum maxime laudabiles depictae erant, figerentur. Ii autem, qui gloriae et ambitionis maxime erant cupidi, magno statuarum numero florebant. Talem ambitionem tantamque adulationem oderat Cato, ideoque praecepit, ut huic libidini modus imponeretur. Ac verisimile est, eum in censura plerasque statuas, quae nec populi iussu nec senatus decreto collocatae erant, tollendas iussisse. Quo autem

tale argumentum orationis esse opinemur, Plinius auctor est in lib. 34, 6. *L. Piso prodidit, M. Aemilio C. Popilio II. coss.* (a. 595) *a censoribus P. Cornelio Scipione, M. Popillio statuas circa forum eorum, qui magistratum gesserunt, sublatas omnes praeter eas, quae populi aut senatus sententia statutae essent; eam vero, quam apud aedem Telluris statuisset sibi Sp. Cassius, qui regnum affectaverat, etiam conflatam a censoribus. Nimirum in ea quoque re ambitioni providebant illi viri. Extant Catonis in censura vociferationes, mulieribus Romanis in provinciis statuas poni. Nec tamen potuit inhibere, quo minus Romae quoque ponerentur, sicuti Corneliae Gracchorum matri, quae fuit Africani senioris filia. Sedens huic posita, soleisque sine amento insignis, in Metelli publica porticu, quae statua nunc est in Octaviae operibus.* — — Ex eodem Plinio accepimus, iam ab antiquissimis temporibus honorem statuarum Romae in usu fuisse. Plut. Cato 19. *Πρὸς δὲ τοὺς θαυμάζοντας, ὅτι πολλῶν ἀδόξων ἀνδριάντας ἐχόντων ἐκεῖνος οὐκ ἔχει, „Μᾶλλον γάρ, ἔφη, βούλομαι ζητεῖσθαι, διὰ τί ἐμοῦ ἀνδριὰς οὐ κεῖται ἢ διὰ τί κεῖται;* Conf. Müller Archaeologie p. 166. Pighius t. 2. p. 311 scribit: *Latravit vehementer Cato contra statuarum turbas, eamque superbam ambitionem aegerrime tulit, et verba Plinii* (quae modo attulimus) *demonstrant clare, Plinii tempore Catonis orationem de statuis inter alias extitisse, sicut illa de signis et tabulis, cuius meminit Festus.* Videmus, orationem *de signis et tabulis* ab altera *de statuis* distingui a Pighio, ita ut numerus orationum nova augeatur; sed accipere malo, Catonem in oratione *de signis et tabulis* etiam de statuis praecepisse. Orationem eiusdem fere argumenti multo post *M. Agrippa*, Augusti temporibus clarus, de tabulis signisque publicandis habuit, ut infra dicemus.

Festus p. 286. *Redemptitavere* item ut clamitavere, *Cato idem in ea, qua egit de signis et tabulis: ho-*

norem temptavere, ait, l efacta benefactis non redemptitavere.

templavere] *emptitavere.* Ursinus probante Müllero.

. . *l efacta*] *malefacta.* Ursinus.

39. Oratio de vestitu et vehiculis.

Oratio censoria.

Plutarchus in Catone c. 18. *Τοὺς πλείστους ἠνίασε μάλιστα τῇ περικοπῇ τῆς πολυτελείας, ἣν ἄντικρυς μὲν ἀφελέσθαι, νενοσηκότων ἤδη καὶ διεφθαρμένων ὑπ᾽ αὐτῆς τῶν πολλῶν, ἀδύνατον ἦν, κύκλῳ δὲ περιιὼν ἠνάγκαζεν ἐσθῆτος, ὀχήματος, κόσμου γυναικείου, σκευῶν τῶν περὶ δίαιταν, ὧν ἑκάστου τὸ τίμημα δραχμὰς χιλίας καὶ πεντακοσίας ὑπερέβαλλεν, ὑπερτιμᾶσθαι τὴν ἀξίαν εἰς τὸ δεκαπλάσιον, βουλόμενος ἀπὸ μειζόνων τιμημάτων αὐτοῖς μείζονας καὶ τὰς εἰςφορὰς εἶναι, καὶ προςετίμησε τρεῖς χαλκοῦς τοῖς χιλίοις.*

Livius lib. 39, 44. *In censibus accipiendis tristis et aspera in omnes ordines censura fuit. Ornamenta et vestem muliebrem et vehicula, quae pluris quam XV millium aeris essent, in censum referre iuratos iussit; item mancipia minora annis XX, quae post proximum lustrum X millibus aeris aut eo pluris venissent, ut ea quoque decies tanto pluris quam quanti essent aestimarentur, et his rebus omnibus terni in millia aeris adtribuerentur.*

XV millium aeris] Quindecim millia aeris sive assium idem valent quod mille et quingenti denarii: decem enim asses antiquioribus reipublicae temporibus denarium argenteum conficiunt. Sic Livius cum Plutarcho consentit. Conf. Gronovius De Pecunia vet. p. 263. Niebuhr Röm. Gesch. T. 2. p. 436. Boeckh Metrol. Untersuch. p. 447. Denarii mille et quingenti valent 319 Thaleros. Vid. Hartmann Tabellarische Uebersicht der röm. Münzen p. 9.

Priscianus T. 1. p. 243. *M. Cato in censura de vestitu et de vehiculis: Nam periniurium siet, cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur;*

ubi datus est, tum uti eos mutem atque alii modi sim pro alius modi.

Ibidem T. 1. p. 276. *M. Cato in censura de vestitu et vehiculis: Nam periniurium siet, cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur; ubi datus est, tum uti eos mutem atque alii modi siem.*

Ibidem T. 1. p. 566. *M. Coelius de vestitu et vehiculis: Nam periniurium siet, cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur; ubi datus sit, tum uti eos mutem atque alii modi sim.*

M. Cato] in tertio loco *M. Coelius* scribitur, et sic in omnibus codicibus praeter Lipsiensem 2., qui *Marcus quoque Caecilius* babet, legi Krehlius testatur in Addendis T. 1. p. XXII. Equidem *M. Cato* pro *M. Coelius* restituo, quamquam Ruhnkenius ad Velleium 2, 68. p. 297 hunc locum Coelio Rufo oratori tribuere mavult, atque Krebl vana opinione (v. Ellendt p. CXVIII.) fretus, eidem vindicare studet. Aliter etiam indicat Ulrici (Antike Historiographie p. 115.), qui haec verba ex orationibus Coelii Antipatri historici, quae historiis eius insertae fuissent, excerpta putat. At contra in eadem mecum sententia stant Maiansius p. 27., Ellendt p. CXVII atque Weichert Poetarum latinorum Reliqui. p. 92.; item Duebner, qui adnotat: „*Coelii locus post paucas lineas a Prisciano affertur: unde ortus error.*" —

40. Oratio de dote.

Oratio censoria, anno 570 (184) habita. Nec aliter sentit Weberus p. 33.

Cato pluribus orationibus luxuriam feminarum vituperavit, nec alia causa erat, cur et dotem mulierum lege praescriberet, et legem Voconiam de hereditate earum anno 585 (169) suaderet, nisi quod reipublicae damnosum putaret, mulieres maximis divitiis abundare, eamque rem lege providere cupiebat. Catonem in eadem oratione de matronarum priscorum temporum victu et moribus dixisse suspicor.

Gellius 10, 23. *Qui de victu atque cultu populi romani scripserunt, mulieres Romae atque in Latio aetatem abstemias egisse, hoc est, vino semper,*

quod temetum prisca lingua appellabatur, abstinuisse dicunt, institutumque, ut cognatis osculum ferrent reprehendendi causa, ut odor indicium faceret, si bibissent. Atque haec quidem in iis, quibus dixi, libris pervulgata sunt, sed M. Cato non solum existimatas, sed mulctatas quoque a iudice mulieres refert non minus, si vinum in se, quam si probrum et adulterium admisissent. Verba M. Catonis adscripsi ex oratione, quae inscribitur De dote, *in qua id quoque scriptum est, in adulterio uxores deprehensas ius fuisse maritis necare.*

Vir, inquit, *cum divortium fecit mulieri, iudex pro censore est: imperium, quod videtur, habet: si quid perverse tetreque factum est a muliere, mulctatur; si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur.* De iure autem occidendi ita scriptum est: *In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine iudicio inpune necares. Illa te, si tu adulterarere, digito non auderet contingere, neque ius est.*

existimatas] osculo dato.

divortium fecit mulieri] Haec iungenda esse scribit Rein Das röm. Privatr., qui locum sic interpretatur p. 192: Wann sich der Gatte von seiner Frau scheidet, so erkennt über sie der Richter gleich einem Censor, d. h. ausser der vor dem Familiengericht durchgegangenen Scheidung erhält sie von dem Civilrichter, der als Sittenrichter auftritt, noch eine Strafe, z. B. Verlust an der Dos u. s. w. Er hat Gewalt nach bester Ueberzeugung zu entscheiden. Beging sie etwas schlechtes, so erhält sie Strafe für ihre Sittenlosigkeit: hat sie aber sogar Wein getrunken und mit einem andern sich vergangen, so wird sie verurtheilt (denn dieses waren die schlimmsten Verbrechen einer Frau.) Sed aliter interpungit et interpretatur verba Catonis Göttlingius: is enim scribit (Gesch. d. röm. Staatsverf. p. 100): Diese Stelle des Cato gilt von einer freien Ehe, und spricht nicht von einem Richteramt des Mannes, das derselbe noch nach der Scheidung, unter Beibehaltung der manus, ausgeübt habe, sondern von einem gewöhnlichen Richter. Sie lautet also: Vir cum divortium fecit (wenn die Scheidung freier Ehe geschehen und der Mann klagbar ist) mulieri iudex pro censore est, (so erhält das Weib ihren Richter mit censorischer Ge-

walt, d. h. was bei Männern der Censor ist, das ist dieser Richter für die Frau: er hat ein iudicium de moribus abzugeben.) Imperium quod videtur habet (dieser Richter hat die Strafe nach Gutdünken zu bestimmen, wie ein Censor nach Gutdünken Männer unter die Aerarier versetzen kann), si quid perverse tetreque factum est a muliere; multatur, si vinum bibit (das ist das perverse facere); si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur (das ist das tetre facere). So ist die Interpunction herzustellen. Multatur an der Dos, condemnatur in anderer Weise als durch Geld. Die ganze Stelle, besonders das imperium quod videtur habet, wird klar durch die Erzählung des Val. M. VIII, 2, 3. — Et prudentius sane acutiusque interpretatus est Catonis verba Göttling quam Rein.

mulctatur] Rein p. 201: *Multatur* ist nur von der in einem Abzug der dos bestehenden Geldstrafe zu verstehen.

si vinum bibit] Plin. Hist. 14, 13. *Non licebat feminis Romae vinum bibere. Invenimus inter exempla, Egnatii Mecenii uxorem, quod vinum bibisset e dolio, interfectam fusti a marito, eumque caedis a Romulo absolutum. Fabius Pictor in Annalibus suis scripsit, matronam, quod loculos, in quibus erant claves vinariae cellae, resignavisset, a suis inedia mori coactam. Cn. Domitius iudex pronuntiavit, mulierem videri plus bibisse quam valetudinis causa viro inscente, et dote mulctavit.*

Plinius Hist. 14, 13. Cato (scripsit), ideo propinquos feminis osculum dare, ut scirent, an temetum olerent.

Cato] *in oratione de dote*, ut ex Gellii loco supra memorato apparet.

41. Oratio uti praeda in publicum referatur.

Hanc orationem cum sequenti *De praeda militibus dividunda* inter censorias Catonis recensui, quoniam censoris potissimum erat, providere, ut aerario bene consuleretur. Cum enim intellexisset Cato, imperatores magnam praedae partem in suum usum convertere solere, et largitiones eorum modum excedere, militesque corrumpi, ita ut exigua tantum praedae pars in publicum aerarium referretur: praecepit oratione, quanta praedae pars reipublicae, quanta imperatoris,

quanta militum esse deberet, quantumque militibus largiri liceret. Et cum impedire cuperet, ne luxuria in vita privata nimis cresceret, edixit simul, ut elegantissima graecarum artium opera, veluti signa et statuae deorum, quae captae fuerint, non in privatorum domus abscondi et pro suppellectili haberi liceret, sed in templis tantum et publicis foris digne statuerentur.

Ex fragmentis utriusque orationis, quae cuncta fere simile continent argumentum, colligendum puto, ambas inscriptiones ad unam eandemque orationem referendas esse: altera enim orationis pars de praeda militibus dividunda egit, altera autem in eo versata est, ut praeda in publicum sit referenda. Atque grammaticos vario modo orationes Catonis inscribere, satis notum est.

Maiansius autem p. 18 putat, Catonem hanc orationem post reditum ex Hispania a. 560 habuisse.

Priscianus T. 1. p. 355. *Cato censorius in oratione, quam scripsit, uti praeda in publicum referatur: Miror, audere atque religionem non tenere, statuas deorum, exempla earum facierum, signa domi pro supellectile statuere.*

religionem non tenere] i. e. miror, religioni non esse hominibus (dass sie sich kein Gewissen daraus machen). Vid. Ellendt Hall. Litt. Z. 1834. Januar. p. 89.

earum] *harum* duo codd. Paris. *sacrarum* Duebner. Recla.

42. Oratio de praeda militibus dividunda.

Ex argumento praecedentis orationis apparere videtur, hanc eandem cum illa esse orationem.

Gellius XI, 18. *M. Cato in oratione, quam De praeda militibus dividunda scripsit, vehementibus et illustribus verbis de inpunitate peculatus atque licentia conqueritur. Fures,* inquit, *privatorum furtorum in nervo atque in compedibus aetatem agunt, fures publici in auro atque in purpura.*

fures publici] Multi romanorum imperatores vel magistratus provinciarum erant publici fures, si quidem praedam non in aerarium reipublicae referebant, sed in usum privatum convertebant.

Nonius p. 475. *fite.* imperativo modo. *Cato de praeda militum dividunda: Tu dives fite. Crassus lib. XVI. Iliados: Socii nunc fite viri.*

militum] legendum *militibus.* Nae aliter iudicavit Maiansius p. 18.

fite] legendum *fito*, ut iam in Laurenbergii Antiquario p. 177 legitur, nec aliter indicavit Ramshorn Lat. Gramm. p. 153. Struve autem Ueber die latein. Declination und Coniugat. p. 236 coniecit. *Cato de praeda militum dividunda: Tu dives fito Crassus. Cn. Matius* etc. Mirandum est, si Struve opinabatur, Catonem mentionem fecisse Crassi Divitis, qui plures aetates post illum vixit! Crassus autem, quem Nonius profert, est Ninnius Crassus, qui Iliadem vertisse traditur. Etiam Weichert Poet. lat. Reliqu. p. 87 Struvii opinionem refellit, etsi ipse in eo errat, quod *fite* pro *fito*, quod verum opinor, defendit.

Nonius p. 510. *Cato de praeda militum dividenda: Fraudulenter atque avariter.*

militum] *militibus* legendum.

Paullus Epitome Festi p. 378. *Viritim* dicitur dari, quod datur per singulos viros. *Cato: Praeda quae capta est, viritim divisa.*

Cato] Quo loco id dixerit Cato, nescio: sed huc retuli argumenti similitudine commotus. At dum repetita cura hoc ipsum agito menteque pervolvo, ex alia oratione haec verba excerpta puto, et quidem ex oratione *de suo consulatu.* Cato enim, cum in Hispania bellum gessisset, praedam captam militibus viritim divisit, sibi ipsi nihil reservavit, ut Plutarchus tradidit in vita Cat. c. 10: *Τοῖς μὲν οὖν στρατιώταις πολλὰ παρὰ τὴν στρατείαν ὠφεληθεῖσιν ἔτι καὶ λίτραν ἀργυρίου κατ᾽ ἄνδρα προςδιένειμεν εἰπών, ὡς κρεῖττον ἦν πολλοὺς Ῥωμαίων ἀργύριον ἢ χρυσίον ὀλίγους ἔχοντας ἐπανελθεῖν· εἰς δ᾽ αὐτὸν ἐκ τῶν ἁλισκομένων οὐδὲν ἐλθεῖν λέγει πλὴν ὅσα πέπωκεν ἢ βέβρωκεν. Καὶ οὐκ αἰτιῶμαι, φησὶ, τοὺς ὠφελεῖσθαι ζητοῦντας ἐκ τούτων, ἀλλὰ βούλομαι μᾶλλον περὶ ἀρετῆς τοῖς ἀρίστοις ἢ περὶ χρημάτων τοῖς πλουσιωτάτοις ἁμιλλᾶσθαι καὶ τοῖς φιλαργυρωτάτοις περὶ φιλαργυρίας.* —

43. Oratio de spoliis, ne figerentur, nisi quae de hoste capta essent.

Eadem censoria anno 570 (184) habita.

Cum luxuria Romanorum invalesceret idque quam

maxime adamaretur, quod pretiosissimum erat, imperatores, redeuntes ex bellis vel ex provinciis subactis, nomini suo maximum eo splendorem adiicere cupiebant, ut non solum pulcherrimam praedae partem, velut statuas, vasa, vestes, in templis et foris publicis statuerent, sed ex pecunia, quam de praeda redemerant, artificiosa opera, statuas aureas, coronas, clipeos, facienda curarent. Cato igitur huic libidini resistendum ratus, praecepit, ne alia spolia in templis figerentur, nisi quae de hoste capta essent.

Festus p. 281. *Resignare* antiqui pro rescribere ponebant, ut adhuc subsignare dicimus pro subscribere. *Cato de spoliis, ne figerentur, nisi quae de ho(ste capta essent: sed tum, ubi ii dimissi sunt) rev(ertantur resignatis vectigalibus.)*

sed tum etc.] Hoc fragmentum ex Servio suppletum est, ut mox apparebit.

Servius ad Virg. Aen. 4, 244. Tradunt *resignare* vetuste ita dictum, ut nos *adsignare* dicimus pro damno, ut est apud *Catonem in L. Furium de aqua: Quod attinet ad salinatores aerarios, cui cura vectigalium, resignat.* et *idem in oratione, ne spolia figerentur, nisi de hoste capta: Sed tum ubi ii dimissi sunt, revertantur resignatis vectigalibus.*

44. Oratio, uti basilica aedificetur.

Livius lib. 39, 44. *Cato atria duo, Maenium et Titium, in lautumiis et quatuor tabernas in publicum emit, basilicamque ibi fecit, quae Porcia appellata est.* De pretio, quo basilica a Catone locabatur, magna lis fuerat orta, ut Plutarchus auctor est c. 19: *Πολλὰ δὲ καὶ πρὸς τὴν τῆς Βασιλικῆς κατασκευὴν ἠναντιώθησαν, ἣν ἐκεῖνος ἐκ χρημάτων κοινῶν ὑπὸ τὸ βουλευτήριον τῇ ἀγορᾷ παρέβαλε καὶ Πορκίαν Βασιλικὴν προσηγόρευσε.*

De Porcia basilica vide Bunsen Beschreibung der

Stadt Rom. T. 3. Abth. 2. p. 28. 68 sqq., qui praeterea docet, Plautum in fabula quadam huius basilicae meminisse. Pseudo-Asconius in Divinationem p. 120.

Priscianus T. 1. p. 416. A *villico* etiam villico vel villicor dicebant antiqui. *Cato in oratione, quae inscribitur, Uti basilica aedificetur: Antequam is villicare coepit.*

villicare] rusticari. — In codd. fere *vilicari* una *l*. Duebner.

45. Oratio de fundo oleario.

Maiansius p. 7. nullam esse Catonis orationem de fundo oleario censet, sed in loco Festi, quem infra dabimus, Labeonis librum de fundo oleario intelligendum existimat, eamque secutus est opinionem Lachmann Comment. de Livii fontibus altera p. 17. Sed omni probabilitate hanc carere coniecturam sentio, nec Festi locus eam adiuvat.

Censores omnium rerum, quae ad agriculturam pertinebant, curam habuerunt. Cum autem Cato in agro bene colendo divitias niti censeret reipublicae romanae, et cum ipse rei rusticae esset peritissimus, non mirum, in censura publice his de rebus praecepta eum dedisse, atque rusticos ignavos castigavisse. (Conf. Kreutzer Röm. Antiqu. p. 143. Niebuhr Hist. Rom. t. 2. p. 451. ed. 2da.)

Gellius 4, 12. *Si quis agrum suum passus fuerat sordescere, eumque indiligenter curabat, ac neque araverat neque purgaverat, sive quis arborem suam vineamque habuerat derelictui: non id sine poena fuit, sed erat opus censorium, censoresque aerarium faciebant. Item si quis eques romanus equum habere gracilentum aut parum nitidum visus erat, impolitiae notabatur. Id verbum significat, quasi si tu dicas incuriae. Cuius rei utriusque auctoritates sunt, et M. Cato id saepenumero attestatus est.*

Plinius Hist. 18, 3. *Agrum male colere censo-*

rium probrum indicabatur. Atque, ut refert Cato, quem virum bonum colonum dixissent, amplissime laudasse existimabant.

In oratione, de qua nunc loquimur, de oleae cultura docuit: qua de re vide, quae in eiusdem Catonis libro de re rustica cap. 61—69, et in Plinio lib. 15. c. 1—8 leguntur.

Festus p. 242. *Pulchralibus* atque *cupidus. Cato in ea, quae est de fundo oleario.*

pulchralibus] pro pulchris. Paullus.

cupidus] *cupidiis.* Ursinus prob. Müllero.

46. Oratio de agna musta pascenda.

Eam inter censorias retuli, eadem, qua in praecedenti, ratione ductus. Dixit de cura agnorum.

Priscianus T. 1. p. 268. *Cato censorius de agna musta pascenda* musta agna pro nova dixit.

musta] *Mustus quoque musti excipit Probus, quod tamen mobile videtur, cum veteres et foeminino et neutro genere inveniuntur hoc protulisse pro novus, nova, novum.* Priscianus *Mustum non solum vinum, verum novellum quidquid est, recte dicitur.* Nonius p. 136. *Cato censorius agnam mustam pro mustea ἀρχαίζων* scribit Ellendt ad Brutum p. 211.

Priscian. T. 1. p. 104. *Cato de agna pascenda: Citer ager allegatus ad sacra erit.*

Priscian. T. 1. p. 598. *Cato de agna pascenda: Citer ager allegatus ad sacra erit.*

citer] i. e. ager, qui citra est, sacrorum sumtus levabit. Maiansius aliter interpretatur p. 44: „*Cato loquitur de agro, quo sacra* „*fieri deberent.*"

Festus p. 242. *(Pascuales* oves pascales ins)cienter *Cato dixit in ea, (quam scripsit de musta agna): (ali) pascalis ovis vetuit.*

pascuales] *pascales oves Cato posuit pro pascuales.* Paulus.

quam scripsit de musta agna] Hunc Festi locum orationi *de agna musta pascenda* inserendum esse, in editione priore dixi. Assentitur C. O. Müller.

Festus p. 242. (Idem pellitas oves Tarentin)as appellat *in ea ora(tione*, quae est) . . . . (eo pre)cio Tarenti, plus C HS (emit pellitam ovem, q)uam ignaro (in agro?) Tarentino (qd pascatur, nominant.)

in ea oratione] supplendum *de agna musta pascenda.*

pellitas oves] pellitis ovibus opponuntur pascuales. Schneider ad Varronem de re rust. 2. 2, 18.

47. Oratio, ut plura aera equestria fierent.

Haec inscriptio triplici modo explicatur.

Lipsius De Militia romana l. I. c. 5. Opp. T. 3. p. 37. putat, Catonem hac oratione suasisse, ut augerentur aera equestria sive equitibus stipendium maius penderetur. Constat autem, de stipendio militum plures in republica romana factas esse mutationes, ut Niebuhrius H. R. t. 2. p. 496. et Boeckh Metrolog. Untersuch. p. 423. sqq. tradiderunt. Huc pertinere videtur, quod Göttling Gesch. d. röm. Staatsverf. p. 256 scribit: Servius Tullius behielt die von L. Tarquinius Priscus getroffene Einrichtung bei, dass Wittwen und Unmündige zur Ernährung natürlich zweier Ritterpferde jährlich 2000, für eines also 1000 asse als aes hordearium beschaffen mussten. Aus Cato bei Priscian scheint gefolgert werden zu können, dass statt 2000 asse später 2200 gegeben werden sollten. Quod si haec interpretatio vera est, oratio Catonis censoria esse videtur: censores enim de censu augendo minuendove iudicare solebant.

Gronovius autem De Pecunia vetere p. 125. ed Lugd. existimat, Catonem suasisse, ut numerus eorum, qui aera equestria trahant vel equum publicum habeant, augeretur. Consentit Madwig in Opusculis p. 79: *Censu quidem eo senatores a primis temporibus erant, ex quo equites scribebantur, ut hactenus mirum videri non debeat, hoc datum summo ordini, ut omnes equum publicum haberent et in equitum centuriis essent, cum ex ceteris hominibus equestri*

censu deligerentur, quibus equus adtribueretur. Notissimum est enim vel ex Livio V, 7. non omnibus assignatum fuisse, nec sane poterat; cum enim ex publico pecunia daretur, certus numerus equorum esse debuit. Haec sunt illa aera equestria (portiones nos diceremus), quae, ut plura fierent, M. Cato suasit, id est, quemadmodum recte I. F. Gronovius interpretatur, ut pluribus ad equos publicos alendos pecunia assignaretur, (non ut amplior ea pecunia esset.)

Maiansius p. 44 scribit : Cato suasionem habuit, *uti plura aera equestria fierent*, hoc est, ut equites maiora tributa penderent.

Difficile est diiudicare, Lipsii an Gronovii interpretatio (tertia enim opinio levior est) iustior veriorque sit: utraque enim satis probabilis.

Priscian. t. 1. p. 317. In raro sunt usu *aera, aerum, aeribus. Cato in oratione, qua suasit in senatu, ut plura aera equestria fierent: Nunc ergo arbitror oportere restitui, quo minus duobus millibus ducentis sit aerum equestrium.* In eadem: *De aeribus equestribus de duobus milibus actum.*

restitui] *institui* Lipsius De Militia Rom. l. 5. p. 37.

quo minus] *ne quo minus* vere correxit Lipsius. Augeri enim, ait, vult et suadet aera equestria: bina millia ad alendum equum equiti dari solebant, atque ita *ducenta* Cato addi iubet. Gronovius autem de Pecunia p. 125 eandem Lipsii lectionem *(ne quo minus)* tuetur, sed prorsus aliter verba interpretatur. „*Lipsii enim*, ait, *interpretationem contemnit contunditque Polybius, qui seni Catoni aetatis mediae aequalis fuit: ex eo scimus, equitum stipendium annuum longe quina millia aeris excessisse, cum denarium diurnum, certe non infra quindecim asses haberent. Praeterea ne sermo quidem istum sensum pati videtur, ut duo millia sunt aerum equestrium significet, aes equestre vel stipendium equitum est duo millia, nam cum aes equestre vel aera equestria dicimus, non singulos asses intelligimus, sed singula vel singularum personarum stipendia. Hinc in lapide antiquo L. Valerius L. F. Vol. Maternus, Toletanus genere, miles legionis X Geminae, annorum XXXV., aerum duodecim. — Ita tot sunt aera equestria*

multo suavius auribus quidem meis uccidit hac sententia: tot sunt, qui aes equestre trahant: tot sunt loca vel numeri equum publicum habentium, quam ista: tot sunt asses, qui cuique equiti dantur. Itaque etsi multis partibus plures in equestri ordine fuerint aetate Catonis, non tamen necesse est, plus duobus millibus fuisse aerum equestrium, seu plures duobus millibus equo publico fuisse." — Ruhnkenius quoque, cum hoc loco uteretur ad Suetonii Caesar. c. 10., Lipsii emendationem secutus est, ita ut Geelius adnotaret: „videntur Ruhnkenio fuisse causae, hunc locum ita citandi."

in eadem] „Pertinet fortasse *De aeribus equestribus* ad titulum orationis." Krehl. Non consentio.

actum] Vide adnotationem proximam.

Charisius p. 69. Aeribus. *Cato, ut plura aera equestria fiant: Aeribus equestribus de duobus millibus a cc.*

a cc.] „*vocabulum* actum *e Prisciano petitum exhibet Putsch. Sed Codex et Ed. pr. pro ea voce praestant* a cc. *Quod si superiorem illum locum a Prisciano citatum comparamus, scribendum videbitur* ae ducentis *pro* actum, *quod ipsum altero loco apud Priscianum legendum erit, quamvis ibi nulla varietas lectionis enotatur.*" Lindemann.

Paullus p. 27. *Aeribus* pluraliter ab aere, id est, aeramento, Cato dixit.

Cato] Popma huic orationi inseruit. Sed incertum est: explicatio enim, quam Paulus addit, alio sensu id vocabulum intelligendum esse docet, quam eo, quo in hac oratione usurpatum videtur, atque Müller adnotat: „*non de stipendiis, sed de aereis vasis aera posuit Cato.*" — Item Freund in Lexico.

In edit. pr. aliud Catonis fragmentum ex Prisciano T. 1. p. 332 huc retulimus, quod nunc incertis adscribendum existimavi.

48. Oratio ad litis censorias.

Eam Cato habuit censor ad populum, antequam notarum redderet rationem, quae multas excitaverant lites. Quapropter Ursinus emendabat *ad notas censorias*.

At fortasse magis vero est simile, tum eam dictam

esse, cum Titus Flamininus effecisset, ut locationes, quas censor fecerat Cato, irritae essent et mulcta ei irrogaretur. Plutarch. Cat. 19. *Οἱ δὲ περὶ τὸν Τίτον συστάντες ἐπ᾽ αὐτὸν ἔντε τῇ βουλῇ τὰς γεγενημένας ἐκδόσεις καὶ μισθώσεις τῶν ἱερῶν καὶ δημοσίων ἔργων ἔλυσαν ὡς γεγενημένας ἀλυσιτελῶς καὶ τῶν δημάρχων τοὺς θρασυτάτους παρώξυνον ἐν δήμῳ προςκαλέσασθαι τὸν Κάτωνα καὶ ζημιῶσαι δυσὶ ταλάντοις.* Id in ipsa censura factum est.

Livius 39, 44. *Quae in loca publica inaedificata immolitave privati habebant, intra dies triginta demoliti sunt* (Cato et Flaccus censores). *opera deinde facienda ex decreta in eam rem pecunia, lacus sternendos lapide, detergendasque qua opus esset cloacas, in Aventino et in aliis partibus, qua nondum erant, faciendas locaverunt. et separatim Flaccus molem ad Neptunias aquas et viam per Formianum montem, Cato atria duo Maenium et Titium in lautumiis et quatuor tabernas in publicum emit, basilicamque ibi fecit, quae Porcia appellata est. et vectigalia summis pretiis, ultro tributa infimis locaverunt. quas locationes cum senatus precibus et lacrimis publicanorum victus, induci et de integro locari iussisset, censores, edicto summotis ab hasta qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paullum imminutis pretiis locaverunt. Nobilis censura fuit simultatiumque plena, quae M. Porcium, cui acerbitas ea assignabatur, per omnem vitam exercuerunt.*

Ex hoc loco apparet, in ipsa censura de litibus censoriis egisse Catonem.

Festus p. 242. Periculatus sum, *Cato ait in ea oratione, quam scripsit ad litis censorias.*

Festus p. 242. Parsi non peperci, ait *Cato in eadem oratione: Scio fortunas secundas neglegentiam prendere solere: quod uti prohibitum irem, quod in me esset, meo labori non parsi.*

prendere] Si verbum incorruptum est, significat „mit sich führen," sibi adiungere.

49. Oratio de lustri sui felicitate.

Cato et Flaccus censores lustrum condiderunt, quod Livius narrare omisit, sed in Fastis Capitolinis facta est eius mentio: *Cens. L. Valerius P. f. L. n. Flaccus. M. Porcius M. f. Cato lustrum fecerunt XXXXVIIII.* Conf. Clinton Fasti Oxford 1830. T. 3. p. 446, qui tabulam chronologicam lustrorum romanorum adiecit.

Accedit haec inscriptio ex *Eumenii Gratiarum actione Constantino* c. 13. *Quinque annorum nobis reliqua remisisti. O lustrum omnibus lustris felicius! o lustrum, quod merito hanc imperii tui aequavit aetatem! Nobis ergo praecipue te principem dii creaverunt, quibus singulis haec est nata felicitas, ex quo tu imperare coepisti. Quinquennalia tua nobis etiam perfecta celebranda sunt; illa enim quinto incipiente suscepta, omnibus populis iure communia, nobis haec propria, quae plena sunt. Praeclara fertur Catonis oratio de lustri sui felicitate. Iam tunc enim in illa vetere republica ad censorum laudem pertinebat, si lustrum felix condidissent, si horrea messis implesset, si vindemia redundasset, si oliveta larga fluxissent.*

Conf. infra *Scipionis minoris oratio contra Asellum*, qui *lustrum infelix* obiecerat. De ritu lustri conditi dixit Huschke ad librum Incerti auctoris Magistratuum et Sacerdotiorum P. R .pag. 52. Göttling Gesch. d. röm. Staatsverf. p. 331. Fuss Antiquitates Rom. p. 132.

Hic finiunt orationes censoriae.

50. Oratio de ambitu.

A. 573 (181) dicta videtur.

Quamvis multae ac variae causae excogitari possint, propter quas Cato *de ambitu* habuerit orationem, ta-

men tum potissimum eum ea de re dixisse opinor, cum lex Cornelia Baebia de ambitu a. 573 (181) ferretur. Livius l. 40, 19. *Legem de ambitu consules* (M. Baebius Tamphilus et M. Corn. Cethegus) *ex auctoritate senatus ad populum tulerunt.* Scholia Bobiensia in Orat. Cic. p. Sylla p. 361. *Damnati lege Cornelia* (Baebia) *hoc genus poenae ferebant, ut magistratuum petitione per decem annos abstinerent.*

Maiansius p. 41 ad eundem annum orationem refert.

Ellendt autem p. XXIII scribit, orationem de ambitu fortasse in petitione censurae esse habitam a. 569 (185), cum certum sit, competitores censurae summa contentione et ambitu hunc honorem concupivisse.

Priscianus t. 1. p. 208. *Cato de ambitu: Sed sunt partim, qui duarum rerum alterius utrius causa magistratum petunt.*

Ibid. p. 243 eadem verba leguntur.

Sigonius l. 2. de Iudic. 30. huc referendum putat alterum fragmentum Catonis, quod apud Festum *v. rogat* p. 282 legimus: *Cato in dissuasione, ne lex Baebia derogaretur ait: hoc potius agam, quod hic rogat.* Item Gothofredus ad Festum. Conf. Duker ad Livium l. 40, 44. Equidem Festi locum ad alteram *legem Baebiam de numero praetorum* retuli, ut paulo post dicemus.

51. Dissuasio ne lex Baebia derogaretur.

Cato orationem habuisse videtur anno 574 (180).

Pighius in Annalibus T. 2. p. 339 scribit: „*Videtur M. Baebius praetor legem ex senatus auctoritate tulisse ad populum, ut alternis annis quatuor solùmmodo praetores crearentur. Quam tamen otiosam ad annum 574 usque* (conf. Liv. 40, 44.) *et postea etiam remansisse, ex superioribus facile colligere est, ut ex sequentibus constabit, quando nimirum cum mole imperii crescentibus bellis praetorum numerum adaugere magis quam minuere ne-*

cesse fuit. Dissuasisse tamen aliquando M. Catonem, ne derogaretur lex Baebia, et ad populum de hac egisse, colligimus ex Festo, qui citat eius orationem in voce Rogat." — — Legem Baebiam de praetoribus anno 562 (192) latam non solum Pighius, sed Dukerus quoque ad Livium 40, 44. atque Walterus (Gesch. d. röm. Rechts p. 150) statuunt.

Catonem anno 574 (180) orationem habuisse, ut lege Baebia crearentur praetores, ex ea re colligendum opinor, quod Livius dicit, illo anno praetores ea lege creatos, cum multos annos antea ea lex non amplius observata fuisset vel valuisset. Livius enim dicit 40, 44: *Eo anno rogatio primum lata est ab L. Villio tribuno plebis, quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque. — Praetores quatuor post multos annos lege Baebia creati, quae alternis quaternos iubebat creari.* Walter dicit l. l.: Nach dem Bäbischen Gesetz sollten abwechselnd bald nur vier bald sechs Prätoren gewählt werden, wahrscheinlich damit die Prätoren von Hispanien wegen der grossen Entfernung nur jede zwei Jahre wechselten, doch ist diese Beschränkung nicht beobachtet worden. Ad eandem legem orationem Catonis referendam existimat Maiansius p. 32.

Ausonius autem Popma ad alteram legem Baebiam *de ambitu* orationem Catonis retulit eandemque secutus est opinionem Sigonius ad Livium 40, 44. Conf. *orationem praecedentem Catonis de ambitu.*

Festus p. 282. *Rogat* est consulit populum, vel petit ab eo, ut id sciscat, quod ferat. unde nos quoque in consuetudine habemus pro petere et orare. *Cato in dissuasione, ne lex Baebia derogaretur, ait: Hoc potius agam, quod hic rogat.*

Nonius p. 470. Largi pro largire. *Cato lege Baebia: Pecuniam inlargibo tibi.*

pecuniam] Hoc fragmentum Popmae ansam dedit, ut crederet, in oratione *de lege Baebia* de ambitu dictum esse. Sed singulis ver-

bis non tantum tribuendum opinor, ut ex eis totius orationis argumentum colligere et enucleare liceat.

52. Oratio, ne legi Orchiae derogaretur.

Extabant in republica romana multae leges sumtuariae, sed tantopere Romani luxuria delectari coepere, ut eae leges aut abrogarentur aut invalidae essent. Nam quo tempore Antiochus rex devictus erat, inde libido atque licentia in dies crescere coepit. Livius 39, 6. „*Luxuriae peregrinae origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est. ii primum lectos aeratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas et alia textilia, et quae tum magnificae supellectilis habebantur, monopodia et abacos Romam advexerunt. Tunc psaltriae sambucistriaeque et convivalia ludionum delectamenta addita epulis, epulae quoque ipsae et cura et sumtu maiore apparari coeptae. Tum coquus, vilissimum antiquis mancipium et aestimatione et usu, in pretio esse, et quod ministerium fuerat, ars haberi coepta. Vix tamen illa, quae tum conspiciebantur, semina erant futurae luxuriae.*" — Ut luxuriae modum imponeret, C. Orchius tribunus plebis anni 573 (181) legem sumtuariam tulerat. Macrobius Saturn. 2, 13. *Prima omnium de coenis lex ad populum Orchia pervenit, quam tulit C. Orchius tribunus plebis de senatus sententia tertio anno quam Cato censor fuerat. Cuius verba, quia prolixa sunt, praetereo; summa autem eius praescribebat numerum convivarum. et haec est lex Orchia, de qua Cato in orationibus suis vociferabatur, quod plures, quam praescripto eius cavebatur, ad coenam vocarentur, cumque auctoritatem novae legis aucta necessitas imploraret, post annum vicesimum secundum legis Orchiae Fannia lex lata est anno post Romam conditam secundum Gellii opinionem quingentesimo octogesimo octavo. Fanniae autem legis severitas in eo superabat Orchiam legem, quod in*

superiore numerus tantummodo coenantium cohibebatur, licebatque secundum eam unicuique bona sua inter paucos consumere, Fannia autem etiam sumtibus modum fecit assibus centum.

C. Orchius] tulit sumtuariam legem a. 573 (181), sicuti Fischerus quoque (Zeittafeln) testatus est. Varges Spec. Quaest. Lucilianarum (Rhein. Mus. 1835. 1. Heft p. 41.) anno 572, non a. 573 latam scribit.

quod plures] De numero convivarum, qui lege Orchia praescriptus erat, nihil constat; sed aliunde scimus, quid apud Romanos receptum tritumque fuerit. Notum enim est proverbium *Septem convivium, novem vero convicium*, quod legitur apud Jul. Capitolinum in Vero Imp. c. 5. quodque Zell in Ferienschriften T. 2. p. 15. lepide vertit: *Sieben Gäste ein Mahl, neun eine Qual.* Similiter Ausonius in Ephemeride p. 104: *Sex enim convivium cum rege iustum; si super, convicium est.* Extabat *M. Varronis Satira*, in qua disseruit de apto convivarum numero, dixitque, convivarum numerum incipere oportere a Gratiarum numero et progredi ad Musarum, id est, proficisci a tribus et consistere in novem. (Gellius 13, 11.) Ex Plinio vero apparere dicit Zellius, in prioribus reip. temporibus legitimum fuisse numerum convivas quatuor.

Fannia lex] lata est a Fannio consule a. 593 (161). Unde patet, magnum errorem in Macrobii verbis inesse, atque legendum: *Post annum XX* (non *XXII*) *legis Orchiae Fannia lex lata est, anno post Romam conditam secundum Gellii opinionem DLXXXXIII* (non *DLXXXVIII*). Conf. Varges l. l.

De argumento orationis nunc dicendum est. Sed nihil certi explorare mihi licebat. Multa enim excogitari possunt, quae aperte falsa videntur, nihil autem, quod verum et probabile est. Sic tale quid fingere lubet. Cum multis Romanorum lex Orchia nimis severa et dura esse videretur, de ea abroganda legem tulit nescio quis. Cato dissuasit, ne ei derogaretur. Quo autem anno orationem dixerit, incertum. Grammatici, qui fragmenta eius tradiderunt, vario modo eam inscribunt, ita ut in priore editione duas de lege Orchia orationes discernendas arbitrarer, unam, qua eam legem dissuaserit, alteram, qua suaserit, ne ea derogaretur, eandemque opinionem protulit Pighius in Annal. ad a.

572 p. 330, quem secutus est C. O. Müller in Festo p. 200 et Baiterus in Indice Legum p. 273; item Fischerus, qui putat, Catonem a. 593 (161), cum lex Fannia promulgaretur, dissuasisse, ne legi Orchiae derogaretur, anno autem 573 (181) legem Orchiam, quae tum rogata est, dissuasisse. Sed verius puto, unam tantum accipere orationem, praesertim cum credi omnino non possit, Catonem unquam hanc legem sumtuariam dissuasisse, et magis vero sit simile, in inscriptione grammaticorum inesse errorem. Nec aliter iudicant Bolhuis atque Ellendt, item Maiansius p. 30.

At fortasse aliud argumentum magis probabile. Cum enim Cato videret, leges sumtuarias ab optimatibus negligi et contemni, atque in censura id potissimum ageret, ut homines luxuriosos notaret, legesque veteres restitueret: orationem habuit, in qua praecepit, ne de lege Orchia derogaretur. Ideo hanc orationem iis adnumerandam puto, quas censor a. 570 (184) egit.

Festus p. 201. Obsonitavere, saepe obsonavere. *Cato in suasione de lege Orchia derogaretur: Qui antea obsonitavere postea centenis obsonitavere.*

in suasione de lege] legendum *in suasione*, *ne de lege O. derogaretur*: *ne* enim propter extremam sillabam v. *suasione* excidit. Conf. Baiterus in Indice Legum p. 273. Augustinus coniecit *ne legi Orchiae derogetur.*

qui] *quinis*. Maiansius p. 30. Sed coena, quae assibus quinque constat, nimis parca videtur, cum ipse Cato triginta assibus coenare soleret teste Plutarcho Vit. Cat. c. 4. *qui antea denis obs.* Augustinus. *qui antea octoni coenavere* C. O. Müller. i. e. octo convivae.

centenis] *centeni* Scaliger prob. Müller. Interpretes aut de pretio coenae aut de numero convivarum verba intelligenda arbitrantur, itaque alii vel *quinis* vel *denis* iul. assibus, alii *octoni* et *centeni* (convivae) corrigebant.

Festus p. 242. Percunctatum patris familiae nomen ne quis servum mitteret, lege sanctum fuisse ait *Cato in ea, qua legem Orchiam dissuadet.*

legem Orchiam dissuadet] Festus in inscriptione errat: debebat

enim ecribere: *Cato in ea, qua dissuadet, ne Orchiae legi derogaretur.* Ellendt (Hall. Litt. Z. 1834. Jan. p. 89.) coniicit: *in ea qua l. Orch. suadet.*

ne quis seruum mitteret] Schneider De vita Catonis p. 5. ad haec verba pertinere putat, quod Plutarchus refert in vita Cat. c. 21.

Scholia Bobiensia in Ciceronis Orat. pro Sestio in Orellii Scholiastis T. 2. p. 310. *Implet exhortationem bonae sectae ad conservationem reip. pertinentis. Non aliter et M. Cato in legem Orchiam conferens ea quae virtus, ut summae gloriae sint a virtute proficiscentia, dedecoris vero praecipui existimentur, quae voluptas suadeat non sine labe vitiorum.*

in legem Orchiam] non *adversus legem Orchiam* (nemo enim verum putabit, Catonem aliquando adversus hanc legem optimam et utilissimam reipublicae dixisse): sed dicit: Cato de lege Orchia ea dicit, quae virtus ipsa de ea diceret, commendat eam tantidem quam si virtus ipsa eam commendaret.

Macrobius Sat. 2, 13. Haec est *lex Orchia*, de qua *Cato in orationibus suis* vociferabatur, quod plures, quam praescripto eius cavebatur, ad coenam vocarentur.

Plinius Hist. 8, 51. Neque alio ex animali (quam ex sue) numerosior materia ganeae, quinquaginta prope sapores, cum ceteris singuli. Hinc censoriarum legum paginae interdictaque coenis abdomina, glandia, testiculi, vulvae, sincipita verrina. Placuere autem et feri sues. *Iam Catonis censoris orationes aprugnum exprobrant callum.*

Catonis censoris] Nescio, utrum in oratione de lege Orchia an potius in alia oratione censoria, qua de luxu coenarum locutus est, dictum sit.

Servius in Virg. Aen. 1, 726. *Cato* ait: *et in atrio et duobus ferculis epulabantur antiqui.*

Cato] in oratione de lege Orchia. Maiansius p. 32.

Macrobius. Sat. 2, 13. Cato sumtuarias leges cibarias appellat.

Polybius lib. 31, 24. Κάτων ἐδυςχέραινε καὶ ἐκεκράγει, ὅτι τινὲς τὰς ξενικὰς τρυφὰς εἰςήγαγον εἰς τὴν

Ῥώμην, τριακοσίων μὲν δραχμῶν κεράμιον ταρίχων Ποντικῶν ὠνησάμενοι, μειράκια δ' εὔμορφα ὑπερβαλλούσης ἀγρῶν τιμῆς.

τινὲς] Flaminius, Scipio Asiaticus, alii. Hic locus nescio an ex hac oratione sit sumtus.

Ibidem: Ὅτι τοσαύτη τις ἀκολασία καὶ τηλικαύτη ἐνεπεπτώκει ἐκτοπωτάτων ἔργων τοῖς νέοις, ὥστε πολλοὺς μὲν ἐρώμενον ἠγορακέναι ταλάντου, πολλοὺς δὲ ταρίχου κεράμιον τριακοσίων δραχμῶν· ἐφ' οἷς καὶ Μάρκος (Κάτων) εἶπέ ποτε πρὸς τὸν δῆμον, ὅτι μάλιστ' ἂν κατίδοιεν τὴν ἐπὶ χεῖρον προκοπὴν τῆς πολιτείας ἐκ τούτων, ὅταν πωλούμενοι πλεῖον εὑρίσκωσιν οἱ μὲν εὐπρεπεῖς παῖδες τῶν ἀγρῶν, τὰ δὲ κεράμια τοῦ ταρίχου τῶν ζευγηλατῶν.

53. Oratio de censura M. Fulvii Nobilioris.

Eam habuit Cato anno 575 (179), quo anno M. Aemilius Lepidus et M. Fulvius Nobilior censuram gesserunt. Argumentum ex Livio petendum lib. 40, 51. *Censores habuere et in promiscuo praeterea pecuniam: ex ea communiter locarunt aquam adducendam fornicesque faciendos. Impedimento operi fuit M. Licinius Crassus, qui per fundum suum duci non est passus.* — Cato quoque huic rei interfuisse videtur: scimus enim, eum de aquaeductu Fulvii in hac oratione egisse.

Supra aliam orationem Catonis in eundem M. Fulvium Nobiliorem habuimus.

Festus p. 282. Retricibus cum ait *Cato in ea, quam scripsit, cum edissertavit Fulvi Nobilioris censuram,* significat aquam eo nomine, quae est supra viam Ardeatinam inter lapidem secundum et tertium. qua inrigantur horti infra viam Ardeatinam et Asinariam usque ad Latinam.

cum edissertavit] i. e. cum dixit de censura Fulvii Nobilioris. Similiter Festus p. 286. *Cato in dissertatione consulatus.*

aquam] *eandem aquam suspicor intelligi, quae Egerias vallem perfluit.* C. O. Müller in Supplem. p. 405.

Priscianus t. 1. p. 270. Dicebant hoc specum et haec spaeca. *Cato: Spaeca posita, quo aqua de via abiret.*

Cato] fortasse huc pertinet fragmentum.

de via] In Krehlii edit. male legitur uno verbo *devia*.

Paullus p. 59. Cloacale flumen dixit Cato pro cloacarum omnium colluvie.

Cato] *fortasse in oratione de censura M. Fulvi.* Müller.

54. Oratio de re Histriae militari.

Bellum, quod Romani cum Istris gessere, duravit ab anno 571 usque ad 577 (177): tam diu tractum segnitie consulum et imperatorum, ita ut patres saepenumero in senatu ea de re quererentur et vociferarentur. Id anno 572 (182) factum esse tradidit Livius 40, 26. Atque Cato aut initio belli a. 571 (183), cum in senatu de bello movendo deliberabatur (quod Livius narrat lib. 39, 55.), aut postea cum de tarditate belli gesti querebantur senatores, orationem habuit. Conf. Liv. 40, 18. 26. 41, 1. 10. 11.

Festus p. 242. *Punctatoriolas* leves pugnas appellat *Cato in ea, quam dixit de re Histriae militari.*

punctatoriolas] Paulus: *Punctoriolas* (sic) *leves pugnas identidem ipse* (Cato) *dixit.* Maiansius p. 18 dicit: In meo exemplari (Festi) Mediolanensi anni 1471 legitur meo iudicio melius *Punitariolas.*

55. Oratio de tribunis militum.

Ea dicta videtur anno 583 (171).

Argumentum repeto ex Livii libro 42, 31. *In tribunis militum novatum eo anno propter Macedonicum bellum, quod consules ex senatus consulto ad populum tulerunt, ne tribuni militum eo anno suffragiis crearentur, sed consulum praetorumque in iis faciendis iudicium arbitriumque esset.*

Puto Catonem ea de re in senatu dixisse sententiam,

orationemque postea edidisse. Maiansius autem p. 18 scribit: „Cato egit de tribunis militum: incertum autem, num in opere destinato huic argumento, an vero *in libro de re militari.*" —

Nonius p. 67. *Proletarii* dicti sunt plebeii. *Cato De tribunis militum: Expedito pauperem plebeium atque proletarium.*

expedito] i. e. solvito, liberato.

Nonius p. 195. *Clivum* generis neutri. *Cato De tribunis militum: Loca ardua et cliva depressa.*

56. Oratio in P. Furium Philum pro Hispanis.

Ea oratio anno 583 (171) est habita. Argumentum tale est. P. Furius Philus, qui a. 580 (174) praetor Hispaniae fuerat, a Hispanis repetundarum accusatus et Catone recuperatore damnatus est.

Livius 43, 2. *Hispaniae utriusque legati aliquot populorum in senatum introducti. ii de magistratuum romanorum avaritia superbiaque conquesti, nixi genibus ab senatu petierunt, ne se socios foedius spoliari vexarique quam hostes patiantur. Cum et alia indigna quererentur, manifestum autem esset pecunias captas, L. Canuleio praetori, qui Hispaniam sortitus erat, negotium datum est, ut in singulos, a quibus Hispani pecunias repeterent, quinos reciperatores ex ordine senatorio daret, patronosque quos vellent sumendi potestatem faceret. Vocatis in curiam legatis recitatum est senatus consultum, iussique nominare patronos quatuor nominaverunt M. Porcium Catonem, P. Cornelium Scipionem, L. Aemilium Paullum, C. Sulpicium Gallum. — — Citerioris Hispaniae populi M. Catonem et Scipionem, ulterioris L. Paullum et Gallum Sulpicium patronos sumserunt. Ad reciperatores adducti a citerioribus populis P. Furius Philus, ab ulterioribus M. Matienus. Ille Sp. Postumio Q. Mucio coss. triennio ante praetor fuerat. Gravissimis criminibus accusati ambo amplia-*

tique: cum dicenda de integro causa esset, excusati exilii causa solum vertisse. Furius *Praeneste, Matienus Tibur exulatum abierunt. — — Ac revera post damnationem Furii in futurum consultum tamen ab senatu Hispanis, quod impetrarunt, ne frumenti aestimationem magistratus romanus haberet, neve cogeret vicesimas vendere Hispanos quanti ipse vellet, et ne praefecti in oppida sua ad pecunias cogendas imponerentur.*

Cicero in Q. Caecilium Divinat. c. 20. *M. Catonem sapientem, clarissimum virum et prudentissimum, cum multis graves inimicitias gessisse accepimus propter Hispanorum, apud quos consul fuerat, iniurias.*

Pseudo-Asconius in hunc locum p. 124 ed. Orell.: *Cato accusavit Servium Galbam pro direptis Lusitanis et P. Furium pro iisdem propter iniquissimam aestimationem frumenti.*

Pighius in Annalibus ad a. 602 aliud argumentum orationis statuit: *Videtur L. Furius Philus Ser. Galbae praetoris (anno 603) quaestor tunc fuisse, atque ista occasione propter Lusitanos eodem fere tempore Cato ambos habuisse reos.* Sed ex Livio argumentum satis approbasse me arbitror, et mecum Maiansius quoque consentit p. 34.

Charisius p. 133. Utrinde. *Cato pro Hispanis: De frumento utrubi bona, utrobi mala gratia capiatur, utrinque iram, utrinde factiones tibi pares.*

de frumento] de aestimatione frumenti.

utrinque] legendum *utrinde.*

factiones] inimicitias suscipias.

57. Oratio pro lege Voconia.

Ea habita est anno 585 (169).

Cicero in Catone 5, 14. *Ennius Caepione et Philippo iterum coss. mortuus est, cum ego quidem V et LX annos natus legem Voconiam magna voce et bonis lateribus suasissem.*

Caepione et Philippo II. coss.] anno 585 (169). Cato tum sexaginta quinque annos erat natus, quippe anno 520 (234) lucem primum viderat, ut supra in prooemio ad Catonis orationes ostendi. Patet igitur, a Cicerone orationem Catonis pro lege Voconia in annum 585 (169) relatam. Sed multi viri docti discedunt, alium rati annum a Livio indicari. Livius enim Epitome lib. 41. *Lustrum, ait, a censoribus conditum est: censa sunt civium capita 263294. Q. Voconius Saxa tribunus plebis legem tulit, ne quis heredem mulierem institueret. Suasit legem M. Cato: extat oratio eius. Praeterea res contra Ligures, Istros, Sardos et Celtiberos a compluribus ducibus prospere gestas et initia belli Macedonici continet, quod Perseus Philippi filius moliebatur.* Cum haec verba satis sint ambigua, nec certo tradatur, quo anno res singulae sint gestae, alii alii anno legem Voconiam assignabant. Mauritius Kind in Dissertatione de lege Voconia p. 5. in consulatu M. Iunii Bruti et A. Manlii Vulsonis anno 576 (178) latam dicit, Pighius, qui ipse quidem, Ciceronem secutus, legem a. 585 latam arbitratur, scribit T. 2. p. 376: *Livius in alia fuisse opinione videtur: nam decennio fere prius latam voluisse, satis indicat eius Epitome.* Ego in priore editione dixeram, verisimile esse, Livium eam legem anno 580 (174) tribuisse. Nec aliter indicarunt Zumptius ad Cic. Verrinas p. 188. et in Annalibus ad a. 580. atque Boeckhius Metrologie p. 430: „Das Voconische Gesetz, ait ille, wurde um das Jahr 580 oder einige Jahre später gegeben." Sed vere, opinor, docuit H. Sauppius noster in Indice legum, editioni Orellianae operum Ciceronis adiecto p. 295, ex Epitome Livii omnino nihil certi de anno, quo lata fuerit lex, statui posse, atque nihil impedire, quo minus credamus, legem Voconiam anno 585 (169) assignandam esse. Igitur fidem habeamus testimonio Ciceronis, qui, ut supra monui, omnino meliora et certiora de Catone tradidit quam ipse Livius. Eumque iam secuti Maiansius p. 32., Savigny, Hugo, Rein Das röm. Privatrecht p. 367, ubi tota lex satis ample exponitur, Fischer Zeittafeln ad a. 585, alii. Nec in alio auctore testimonium amplius de aetate legis extat; ex eo enim, quod Augustinus De civitate dei 3, 21. tradidit, nihil colligere possumus: *Inter secundum et postremum bellum Carthaginiense latu est etiam illa lex Voconia, ne quis heredem feminam faceret nec unicam filium. Qua lege quid iniquius dici aut cogitari possit, ignoro.*

Gellius 17, 6. *M. Cato Voconiam legem suadens his verbis usus est: Principio vobis mulier magnam dotem attulit: tum magnam pecuniam recipit, quam in viri potestatem non committit, eam pecuniam*

viro mutuam dat; postea, ubi irata facta est, servum recepticium sectari atque flagitare virum iubet.

magnam pecuniam recipit] bona receptitia dicuntur. Rein das röm. Privatrecht. p. 202. Vid. Göttling Gesch. d. röm. Staatsverf. p. 98: Bei der *freien* Ehe kommt die Frau nicht in das Handrecht des Mannes, sie bleibt in der väterlichen Gewalt. Ueber die Dos, welche sie dem Manne zubringt, hat zwar derselbe während der Ehe zu schalten, während sie ihr *übriges Vermögen (pecunia receptitia)* für sich behalten, dem Manne leihen, aber auch wieder wie einem Fremden aufkündigen kann.

servum recepticium] Gellius ipse locum sic explicat: *Quando mulier dotem marito dabat, tum quae ex suis bonis retinebat, neque ad virum tramittebat, ea recipere dicebatur. Ex eu igitur re familiari, quum sibi dote data retinuit, pecuniam viro mutuam dat. Eam pecuniam cum viro forte irata repetere instituit, apponit flagitatorem servum recepticium, hoc est, proprium servum suum, quem cum pecunia reliqua receperat neque dederat doti, sed retinuerat: non enim servo mariti imperare hoc mulierem fas erat, sed proprio suo.*

Festus p. 282. Receptitium servum *Cato in suasione legis Voconiae* cum ait, significat, qui ob vitium redhibitus sit: *ubi irata facta est, servum receptitium sectari atque flagitare virum iubet.*

receptitium servum] Gellius 17, 6. *Quaerebatur, servus receptitius quid esset. Libri statim quaesiti allatique sunt Verrii Flacci De Obscuris Catonis. In libro secundo scriptum inventum est, receptitium servum dici nequam et nullius pretii, qui, cum venum esset datus, redhibitus ob aliquod vitium receptusque sit. Propterea, inquit, servus eiusmodi sectari maritum et flagitare pecuniam iubebatur, ut eo ipso dolor maior et contumelia gravior viro fieret, quod eum servus nihili petendae pecuniae causa compellaret. Cum pace autem cumque venia istorum, si qui sunt, qui Verrii Flacci auctoritate capiuntur, dictum hoc sit. Recepticius enim servus in ea re, quam dicit Cato, aliud omnino est quum Verrius scripsit.* Vide superiorem adnotationem. Gellius multo sane veriorem explicationem loci Catoniani tradidit quam Verrius, ut etiam C. O. Müller in Festo p. 283 testatus est.

Nonius p. 54. ***Receptitium servum** quidam ab ea proprietate dictum volunt, ut si nequam et*

nihili sit, qui venumdatus ob aliquod vitium aut malefactum a distractore recipiatur. Sed vera haec est eius nominis interpretatio, quem in data dote aut donatione quis exceperit, quod est proprie receperit. Cato: Mulier et magnam dotem dat et magnam pecuniam retinet et cetera quae apud Gellium sequuntur.

Nonius] Nonius Gellii explicationem vocabuli recte approbavit.

Gellius 7, 13. *Classici dicebantur non omnes, qui in classibus erant, sed primae tantum classis homines, qui centum et viginti quinque millia aeris ampliusve censi erant. Infra classem autem appellabantur secundae classis ceterarumque omnium classium, qui minore summa aeris, quam supra dixi, censebantur. Hoc eo strictim notavi, quoniam in M. Catonis oratione, qua Voconiam legem suasit, quaeri solet, quid sit classicus quid infra classem.*

classici] Hanc partem legis Voconiae Niebuhr H. Rom. t. 1. p. 459, t. 3. p. 401. atque Boeckhius Metrologische Untersuchungen p. 430 sqq. illustrant.

Servius in Virgilii Aen. 1, 573. Hoc schema de antiquioribus sumtum: ait enim *Cato in legem Voconiam: Agrum quem vir habet, tollitur.*

in legem Voconiam] i. e. de lege Voconia vel in oratione de lege Voconia. Cicero in Bruto c. 44, 164. *illa in legem Caepionis oratio* i. e. illa de lege Caepionis oratio sive oratio pro lege Servilia. c. 43, 160. *extat in eam legem senior, ut ita dicam, quam aetas illa ferebat, oratio*, i. e. de ea lege. Aliter Maiansius p. 32, qui Servium corrigendum esse scribit: pro *ait enim Cato in legem Voconiam* legi debet *in suasione legis Voconiae*, aut ipse Servius erravit.

58. Oratio de Macedonia liberanda.

Ea oratio dicta est a. 587 (167).

Postquam Perseus rex victus esset, et Macedonia tota Romanis se dedisset, a senatu deliberatum est, qua lege sit tenenda atque administranda. Vario enim modo

senatus ac populus romanus uti solebat in populis subactis, sicut res et tempus poscere videbatur. M. Cato liberandam Macedoniam censuit, id est, ut Macedones in quatuor provincias distributi ac divisi, non amplius regi subiecti essent, sed magistratibus a se creatis parerent, atque Romanis tributa penderent. Id suasit Cato, cum sentiret, hanc gentem aliter regi non posse, nec alio modo populo romano subiectam fore. Ea sententia senatui placuit, et Livius totam rationem omnesque conditiones, quibus Macedones tenebantur, tradidit lib. 45. 17, 18, 29, 32. Walter Geschichte des römischen Rechtes p. 215. Duker ad Liv. 45, 29, 4. Walchii Emendationes p. 269. Maiansius p. 42 scribit: „Cato habuit orationem de Macedonia liberanda, et fortasse inscripta fuit *De tumultu Macedoniae*, ut colligi potest ex Festo s. v. *natinatio.*" — Id verum esse nego.

Aelius Spartianus in vita Hadriani c. 5. *Hadrianus omnia trans Euphratem et Tigrim reliquit, exemplo, ut dicebat, Catonis, qui Macedonas liberos pronuntiavit, quia teneri non poterant.*

Priscianus T. 1. p. 108. *Cato De Macedonia liberanda: idque perpetuius atque firmius repsit.*

Huc retulit Popma fragmentum incertum, quod Festus habet in *Natinatio* p. 166, sed vere C. O. Müller libro quinto Originum Catonis inserendum putat, ut in Addendis quoque edit. pr. diximus.

59. Oratio pro Rhodiensibus.

Eam orationem Cato egit anno 587 (167).

Argumentum enarrat Gellius 7, 3. *Civitas Rhodiensis, cum amica atque socia populi romani foret, Persa tamen, Philippi filio, Macedonum rege, cum quo bellum populo romano fuit, amico usa est, connixique sunt Rhodienses, legationibus Romam saepe missis id bellum inter eos componere. Sed ubi ista pacificatio perpetrari nequivit, verba a ple-*

risque Rhodiensibus in contionibus eorum ad populum facta sunt, ut, si pax non fieret, Rhodienses regem adversus populum romanum adiutarent. Sed nullum super ea re publicum decretum factum est. At ubi Perses victus captusque est, Rhodienses pertimuere ob ea, quae compluriens in coetibus populi acta dictaque erant, legatosque Romam miserunt, qui temeritatem quorundam popularium suorum deprecarentur, et fidem consiliumque publicum expurgarent. Legati postquam Romam venerunt et in senatum intromissi sunt, verbisque suppliciter pro causa sua factis e curia excesserunt: sententiae rogari coeptae; cumque partim senatorum de Rhodiensibus quererentur (non *quaererentur*, ut in edit. Lion. legitur), *maleque animatos eos fuisse dicerent, bellumque illis faciendum censerent, tum M. Cato exsurgit, et optimos fidissimosque socios, quorum opibus diripiendis possidendisque non pauci ex summatibus viris intenti infensique erant, defensum conservatumque pergit, orationemque inclitam dicit, quae et seorsum fertur, inscriptaque est Pro Rhodiensibus, et in quinto Originum libro scripta est.*

Livius quoque, postquam rem Rhodiorum copiose libro 45, 20—24 exposuit, sic finiit cap. 25:

Infestissimi Rhodiis erant, qui consules praetoresve aut legati gesserant in Macedonia bellum. Plurimum causam eorum adiuvit M. Porcius Cato, qui asper ingenio tum lenem mitemque senatorem egit. Non inseram simulacrum viri copiosi, quae dixerit, referendo: ipsius oratio scripta extat, Originum quinto libro inclusa. Rhodiis responsum ita redditum est, ut nec hostes fierent nec socii permanerent.

Salustius Catilina c. 51. *Magna mihi copia est memorandi, P. C., quae reges atque populi ira aut misericordia impulsi male consuluerint, sed ea malo dicere, quae maiores nostri contra lubidinem animi sui recte atque ordine fecere. Bello Macedonico,*

quod cum rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas, magna atque magnifica, quae populi romani opibus creverat, infida atque advorsa nobis fuit; sed postquam bello confecto de Rhodiis consultum est, maiores nostri, ne quis divitiarum magis quam iniuriae causa bellum inceptum diceret, inpunitos eos dimisere.

Gellius 7, 3. *Cato* sic exorsus est orationem:

1. *Scio solere plerisque hominibus in rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere, atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere. Quod mihi nunc magnae curae est, quod haec res tam secunde processerit, ne quid in consulendo advorsi eveniat, quod nostras secundas res confutet, neve haec laetitia nimis luxuriose eveniat.* 2. *Advorsae res edomant et docent, quid opus sit facto, secundae res laetitia transversum trudere solent a recte consulendo atque intelligendo. Quo maiore opere dico suadeoque, uti haec res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus.*

3. *Atque ego quidem arbitror, Rhodienses noluisse, nos ita depugnare, uti depugnatum est, neque regem Persen vicisse. Non Rhodienses modo id noluere, sed multos populos atque multas nationes idem noluisse arbitror. Atque haud scio an partim eorum fuerint, qui non nostrae contumeliae causa id noluerint evenire: sed enim id metuere, si nemo esset homo, quem vereremur, quodque luberet faceremus, ne sub solo imperio nostro in servitute nostra essent; libertatis suae causa in ea sententia fuisse arbitror.* 4. *Atque Rhodienses tamen Persen publice numquam adiuvere. Cogitate, quanto nos inter nos privatim cautius facimus. Nam unusquisque nostrum, si quis advorsus rem suam quid fieri arbitratur, summa vi contra nititur, nc advorsus eam fiat; quod illi tamen perpessi.*

5. *Ea nunc derepente tanta nos beneficia ultro*

citroque tantamque amicitiam relinquemus? Quod illos dicimus voluisse facere id nos priores facere occupabimus?

6. *Qui acerrime advorsus eos dicit, ita dicit, hosteis voluisse fieri. Ecquis est tandem qui vostrorum, quod ad sese attineat, aequum censeat, poenas dare ob eam rem, quod arguatur male facere voluisse? Nemo, opinor: nam ego, quod ad me attinet, nolim.*

7. *Quid nunc? Ecqua tandem lex est tam acerba, quae dicat: Si quis illud facere voluerit, mille minus dimidium familiae multa esto. Si quis plus quingenta iugera habere voluerit, tanta poena esto, et si quis maiorem pecuum numerum habere voluerit, tantum damnas esto. Atqui nos omnia plura habere volumus, et id nobis impune est.*

8. *Sed si honorem non aequum est haberi ob eam rem, quod bene facere voluisse quis dicit, neque fecit tamen: Rhodiensibus male erit, non quod male fecerunt, sed quia voluisse dicuntur facere?*

9. *Rhodienses superbos esse aiunt, id obiectantes, quod mihi et liberis meis minime dici velim. Sint sane superbi. Quid id ad nos attinet? Idne irascimini, si quis superbior est quam nos?*

1. *Scio solere*] idem locus a Gellio 13, 24 repetitur: *M. Cato in orationis principio, quam dixit in senatu pro Rhodiensibus, cum vellet res nimis prosperas dicere, tribus vocabulis idem sententibus dixit. Verba eius haec sunt: Scio solere plerisque hominibus in rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere, atque superbiam atque ferociam augescere.*

in rebus secundis] *in* addidi ex Gellio 13, 24. Vulgo deest.

atque – atque – atque] hanc particulam amat Cato, amat vetustissimus quisque auctorum latinorum: quod postea imitati sunt M. Aurelius imperator atque Fronto. Ille enim apud Frontonem Epist. ad M. Caesarem l. 2, 16. p. 61. ed. Rom. *Ego tibi de patrono meo M. Porcio gratias ago, quod eum crebro lectitas. Tu mihi de C. Crispo timeo ut umquam gratias agere possis. nam*

uni M. Porcio me dedicavi atque decpondi atque delegavi. Hoc etiam ipsum atque unde putac? Ex ipso furor.

quod mihi nunc] Duebner ex cod. Reg. *quod nunc mihi* vulgo.

haec rec] bellum Macedonicum sive Persicum.

proceccerit] *proceecit* cod. Reg. *et* Lion.

laetitia] Romani laetitia exultabant, postquam Macedonia victa et Perseus rex captus esset. Nam hic L. Aemilii Paulli triumphus finem attulit tributorum. — Bolhuis coniicit *neve haec laetitia nimia luctuose eveniat.* Sed medicina non opus est.

2. *rec edomant*] sic Priscaens ad Appuleii Metamorph. VII. p. 287. ed. Oudead. — *rec ce domant* vulgo.

recte conculendo] „*recto consulendo* cod. Reg. quod fortasse recipi debebat." Duebner.

3. *depugnare*] bellum conficere.

uti] cod. Reg. *ut* vulgo.

multos populos atque] cod. Reg. dat *atque* pro *ac*, quod vulgo legitur. In edit. Lion. haec verba exciderunt.

partim eorum] Hanc locutionem illustrat Gellius 10, 13. ubi orationem *Catonis de re Floria* profert: *Ibi pro ccorto fuit, in cubiculum currectitavit e convivio, cum partim illorum iam saepe ad eundem modum erat.* Conf. Ruhnkenius ad Terentii Hecyram Prol. 7.

haud ccio an] atque puto fuisse nonnullos, qui regem Perseum a nobis non victum iri cuperent, non quidem eo consilio, ut nos laederent et offenderent et contumeliarentur, sed ut libertatem suam porro tueri liceret.

quodque luberet] Gronovius. *quidquid luberet* codd. *et quidquid luberet* Carrio, vulgo.

4. *advorsus eam*] cod. Reg. *adversus illam* Lion.

5. *tanta noc beneficia*] Consuetudo atque amicitia Romanis iam cum Rhodiis intercesserat plus centum et quadraginta annos. Polybius lib. 30, 5. Οὕτω γὰρ ἦν πραγματικὸν τὸ πολίτευμα τῶν Ῥοδίων, ὥς σχεδὸν ἔτη τετταράκοντα πρὸς τοῖς ἑκατὸν κεκοινωνηκὼς ὁ δῆμος Ῥωμαίοις τῶν ἐπιφανεστάτων καὶ καλλίστων ἔργων, οὐκ ἐπεποίητο πρὸς αὐτοὺς συμμαχίαν. Clinton Fasti. T. 3. p. 84.

priores facere occupabimuc] Locutionem explicat Burmannus in Anthologia latina T. 1. p. 468.

6. *ecquis*] sic scripsi pro *et quis*, ut mox *ecqua* pro *et qua*, probante Duebn. Ed. Huschke in Analect. Litterariis p. 145 docere studebat, quid inter *et quid* et *ecquid* interesset. Sed neque mihi neque Handio in Tursellino T. 2. p. 352 persuasit.

qui vostrorum] cod. Reg. prob. Duebn. *vestrorum qui* vulgo.

censeat, poenas dare] sic cod. Reg. atque Gronov. prob. Duebn. *censeat, quemquam* (alii *quempiam*) *poenas dare.* add.

7. *ecqua*] cod. Reg. *et quae* vulgo.

mille minus] sic codd. probante Ed. Huschkio in Anal. litter. p. 257, qui explicat: *mille (sc. sestertii nummi aut si hoc malis, librae aeris) dummodo minus id sit quam (quam omittitur, ut ibidem postea in illo plus quingenta) dimidium bonorum eius, cui multa irrogatur. Dubitari non potest, quin Cato hic tralatitiam illam legum eiusmodi formulam dum minoris partis familiae taxat significaverit.* — Vulgo legitur *mille nummi dimidium familiae multa esto*, eamque lectionem secutus est Klenze in Commentatione sua *Das altrömische Gesetz auf der Bantinischen Tafel*, im Rhein. Museum. 1828. H. 1. p. 42., iterum impressa in libro *Philologische Abhandlungen*, Berlin 1839. Utraque lectio eodem sensu dicta est. Praescriptum enim erat lege, ut multa dimidium bonorum non excederet, imo infra dimidium esset. Walter Gesch. des röm. Rechtes p. 842., atque Göttling G. d. röm. Staatsv. p. 303 scribit: Es ist aus der Zeit des älteren Cato ein Zeugniss vorhanden, dass die Mult nicht die Hälfte des Vermögens eines Verurtheilten übersteigen dürfe, sondern nur *minorem partem familiae* zu begreifen habe. Fulvius autem Ursinus ad Festum *Publica pondera* p. 610. ed. Lindemann. dicit, in loco Catonis *mille nummis dimidium familiae multa esto* adiecta esse *mille nummis*.

quingenta iugera] C. Licinius et L. Sextius tribuni plebis a. 378 (376) legem de modo agrorum tulere. Appianus Bell. Civil. 1, 8. Μόλις ποτὲ, τῶν δημάρχων εἰσηγουμένων ἔκριναν, μηδένα ἔχειν τῆςδε τῆς γῆς (τῆς δορικτήτου) πλέθρα πενταχοσίων πλείονα, μηδὲ προβατεύειν ἑκατὸν πλείω τὰ μείζονα καὶ πενταχοσίων τὰ ἐλάσσονα. Conf. Niebuhr H. R. t. 2. p. 396. ed. prima. t. 3. p. 15 sq. Göttling Gesch. d. röm. Staatsv. p. 352.

maiorem pecuum numerum] quam eadem lege Licinia praescriptum erat.

pecuum] Festus eandem genitivi formam agnoscit p. 246. *Pecuum eum dixit M. Cato per casum genitivum, a singulari casus recti*

formavit, quo utebantur antiqui, id est pecu, ac testu, tonitru, veru, genu, quorum omnium genitivus pluraliter geminat u litteram.

damnas] cui hoc vocabulum obscurum esse videatur, is adeat Freundii Lexicon.

Appianus Punica c. 65. *Ἐγίγνοντο οὖν αἱ συνθῆκαι, τρίται αἵδε, Ῥωμαίοις καὶ Καρχηδονίοις πρὸς ἀλλήλους. Καὶ ὁ Σκιπίων ἐς αὐτὰς ἐδόκει μάλιστα τοὺς Ῥωμαίους ἐναγαγέσθαι, εἴτε τῶν εἰρημένων οὕνεκα λογισμῶν, εἴτε ὡς ἀρκοῦν Ῥωμαίοις ἐς εὐτυχίαν, τὸ μόνην ἀφελέσθαι Καρχηδονίοις τὴν ἡγεμονίαν. Εἰσὶ γὰρ οἵ καὶ τόδε νομίζουσιν, αὐτὸν ἐς Ῥωμαίων σωφρονισμὸν ἐθελῆσαι γείτονα καὶ ἀντίπαλον αὐτοῖς φόβον ἐς ἀεὶ καταλιπεῖν, ἵνα μήποτε ἐξυβρίσειαν ἐν μεγέθει τύχης καὶ ἀμεριμνίᾳ. Καὶ τόδε οὕτω φρονῆσαί τὸν Σκιπίωνα, οὐ πολὺ ὕστερον ἐξεῖπε τοῖς Ῥωμαίοις Κάτων, ἐπιπλήττων παρωξυμμένοις κατὰ Ῥόδον.*

ἐγίγνοντο] bellum Punicum secundum finitum anno 553 (201).

ἐπιπλήττων] in oratione pro Rhodiensibus anno 587 (167).

60. Oratio de Ptolemaeo minore contra Lucium Thermum.

Cato orationem habuit anno 600 (154).

Constat, Ptolemaeum Philometorem atque Ptolemaeum minorem, cognomine Physconem, fratres, multas inter se de regno Aegypti inimicitias exercuisse, et a Romanis saepe pacem conciliatam esse. Ptolemaeus minor iterum a. 600 (154) Romam venit petendi auxilii gratia, et Romanis persuasit, ut legatos mitterent, qui se restituerent. Ex legatis Lucius Thermus erat. Conf. Clinton Fasti 3. p. 386 sq., qui historiam regum Aegypti annorum ordine accurate descripsit. Ex fragmentis orationis apparet, L. Thermum legatum male gessisse rem, eoque a Catone accusatum esse.

In edit. pr. orationem anno 591 tribuebam, auctoritate confisus Pighii. Idem sentit Fischerus (Zeittafeln).

Argumentum narrat Polybius lib. 33, 5.

Κατὰ τοὺς χρόνους, καθ' οὓς ἐξέπεμψεν ἡ σύγκλητος τὸν Ὀπίμιον ἐπὶ τὸν τῶν Ὀξυβίων πόλεμον (anno 600 (154), *ἧκε Πτολεμαῖος ὁ νεώτερος εἰς τὴν Ῥώμην. καὶ παρελθὼν ἐς τὴν σύγκλητον, ἐποιεῖτο κατηγορίαν τ' ἀδελφοῦ, φέρων τὴν αἰτίαν τῆς ἐπιβουλῆς ἐπ' ἐκεῖνον. Ἅμα δὲ τὰς ἐκ τῶν τραυμάτων οὐλὰς ὑπὸ τὴν ὄψιν δεικνὺς, καὶ τὴν λοιπὴν δεινολογίαν ἀκόλουθον τούτοις διατιθέμενος, ἐξεκαλεῖτο τοὺς ἀνθρώπους εἰς ἔλεον. Ἧκον δὲ καὶ παρὰ τοῦ πρεσβυτέρου πρέσβεις, οἱ περὶ τὸν Νεολαΐδαν καὶ Ἀνδρόμαχον, ἀπολογούμενοι πρὸς τὰς παρὰ τ' ἀδελφοῦ γενομένας κατηγορίας. Ὧν ἡ σύγκλητος οὐδ' ἀνέχεσθαι δικαιολογουμένων ἠβουλήθη, προκατειλημμένη ταῖς ὑπὸ τοῦ νεωτέρου διαβολαῖς, ἀλλὰ τούτοις μὲν ἐπανάγειν ἐκ τῆς Ῥώμης προςέταξεν ἐξαυτῆς. Τῷ δὲ νεωτέρῳ πεντε πρεσβευτὰς καταστήσασα τοὺς περὶ Γνάϊον Μερόλαν καὶ Λεύκιον Θέρμον, καὶ πεντήρη δοῦσα τῶν πρεσβευτῶν ἑκάστῳ, τούτοις μὲν παρήγγειλε κατάγειν Πτολεμαῖον εἰς Κύπρον· τοῖς δὲ κατὰ τὴν Ἑλλάδα καὶ τὴν Ἀσίαν συμμάχοις ἔγραψαν ἐξεῖναι συμπράττειν τῷ Πτολεμαίῳ τὰ κατὰ τὴν κάθοδον.*

Nescio an L. Minucius Thermus idem sit, cuius a Livio est facta mentio, lib. 41, 8. *Postero die legati Sardorum, qui ad novos magistratus dilati erant, et L. Minucius Thermus, qui legatus Manlii consulis in Istria fuerat, in senatum venit, ab his edoctus est senatus, quantum belli eae provinciae haberent.* Ea res, quae a Livio traditur, anno 576 (178) accidit. Sed fortasse L. Thermus, de quo nostra in oratione sermo est, filius illius, qui legatus Manlii consulis fuerat.

Gellius 18, 9. In libro vetere, in quo erat oratio *M. Catonis De Ptolemaeo contra Thermum* sic scriptum fuit: *Sed si omnia dolo fecit, omnia avaritiae atque pecuniae causa fecit, eiusmodi scelera nefaria, quae neque insecendo neque legendo audivimus: supplicium pro factis dare oportet.*

ei — fecit] Quis? Thermus, opinor. Popma autem Ptolemaeum regem iotelligit, cuius scelere commemorat Iustinus 38, 8, dicens: *Fuit Ptolemaeus minor tyrannorum omnium crudelissimus.*

insecendo] nerreodo interpretatur Gellius, velut *insece* est dic, *insexit*, dixit; *sectiones* nerretiones.

audivimus] Bolhuisius suspicetur, post *audivimus* excidisse *fecit.* Lecuoe hic est io eltero cod. Paris. Duebner.

Gellius 20, 11. *Cato De Ptolemaeo contra Thermum: Per deos immortalis, nolite vos sequestro ponere.*

sequestro ponere] *quod apud sequestrem depositum erat, sequestro positum per adverbium dicebant.* — Gellius. Sensus est: nolite custodiem vestri committere cuiquam praeter vosmetipsos; nolite vos, cum liberi sitis, fiduciarios reddere et cuiquam io potestatem dare. Lipsius in Taciti Annal. 3, 71.

Priscianus T. 1. p. 108. *Cato de Ptolemaeo minore de Thermi quaestione: Quantoque suam vitam superiorem atque ampliorem atque antiquiorem animum inducent esse quam innoxiiorem.*

Priscianus T. 1. p. 111. *M. Cato contra Thermum de Ptolemaeo: Rege optimo atque beneficissimo.*

c. Th. de Ptolemaeo] haec verba pro iodice orationis habende arbitror. Io edit. Krehlii legitur: *M. Cato contra Thermum: De Ptolemaeo rege optimo atque beneficiesumo.*

Charisius p. 117. Donicum. *Cato: Tu otiosus ambulas, quia apud regem fuisti, donicum ille tibi interdixit rem capitalem.*

apud regem] Ptolemaeum. Unde huic orationi fragmentum inserendum arbitror.

interdixit rem] non cohaerent haec verba.

Duo alia fragmenta in edit. priore huic orationi admiscueram, sed cum viderem, satius esse, omnes locos, qui ab auctoribus sub indice afferuntur *Cato in Thermum*, orationi censoriae tribui, hos quoque reliquis adieci, praesertim cum Popma vehementer in eo erraret, quod de rege Ptolemaeo in iis sermonem esse scripsisset.

61. Oratio pro se contra C. Cassium.

Suspicor, hanc orationem a. 601 (153) dictam et intelligendum C. Cassium Longinum, qui eo ipso anno censor fuit. Cato sex et octoginta tum annos natus erat, si, ut Livius tradidit, anno 515 (239) natus est. Ac nescio an Livius ipse huius causae fecerit mentionem lib. 39, 40. *Cato, quem ne senectus quidem, quae solvit omnia, fregerit, qui sextum et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse pro se oraverit scripseritque, nonagesimo anno Ser. Galbam ad populi adduxerit iudicium.* Valerius Max. lib. 8, 7, 1. *Cato sextum et octogesimum annum agens, dum in republica tuenda iuvenili animo perstat, ab inimicis capitali crimine accusatus, suam causam egit, neque aut memoriam eius quisquam tardiorem aut firmitatem lateris ulla ex parte quassatam, aut os haesitatione impeditum animadvertit, quia omnia ista in statu suo aequali ac perpetua industria continebat. Quin etiam in ipso diutissime actae vitae fine disertissimi oratoris Galbae accusationi defensionem suam pro Hispania opposuit.*

Plutarchus Cat. 15. *Λέγεται ὀλίγον ἀπολιπούσας τῶν πεντήκοντα φυγεῖν δίκας, μίαν δὲ τελευταίαν ἓξ ἔτη καὶ ὀγδοήκοντα γεγονώς· ἐν ᾗ καὶ τὸ μνημονευόμενον εἶπεν, ὡς χαλεπόν ἐστιν ἐν ἄλλοις βεβιωκότα ἀνθρώποις, ἐν ἄλλοις ἀπολογεῖσθαι. Καὶ τοῦτο πέρας οὐκ ἐποιήσατο τῶν ἀγώνων, τεσσάρων δ᾽ ἄλλων ἐνιαυτῶν διελθόντων Σερουΐου Γάλβα κατηγόρησεν ἐννενήκοντα γεγονὼς ἔτη.*

χαλεπόν ἐστι] fragmentum orationis nostrae, qua de loquimur. Eadem verba a Valerio Maximo 3, 7. 8. Aemilio Scauro oratori tribuuntur: narrat enim, Scaurum in oratione pro se contra Varium haec dixisse: *Est iniquum, Quirites, cum inter alios vixerim, apud alios me rationem vitae reddere.*

Gellius 10, 14. *M. Cato pro se contra C. Cassium: Atque evenit ita, Quirites, uti in hac contu-*

melia, quae mihi per huiusce petulantiam factum itur, rei quoque publicae medius fidius miserear, Quirites.

factum itur] *sicut* contumeliam factum iri *significat iri ad contumeliam faciendam, id est, operam dari, quo fiat contumelia, ita* contumelia factum itur *casu tantum immutato idem dicit.* Gellius. Conf. Ramshorn Lat. Gramm. p. 656. Ouwens Noctes Haganae p. 118.

62. Oratio de Achaeis.

Ea oratio dicta est anno 603 (151).

Achaeorum principes ferme mille, ut a crimine initae cum Perseo societatis se purgarent, Romam evocabantur anno 587 (167), et indicta causa velut obsides in municipiis et coloniis Italiae custodiebantur, neque in patriam nisi post sedecim annos rediere. Legati Achaeorum non semel Romam venerunt, ad deprecandum, ut captivi redderentur. Frustra. Liberantur tandem intercedente Catone et Scipione Africano minore, anno 603 (151), ut Clinton in Fastis auctor est. (Zumpt in Annal. scribit, Achaeos obsides a. 589 Romam venisse, a. 604 rediisse.)

Polyb. III, 5. *Ἀποκατέστησαν δὲ καὶ οἱ Ῥωμαῖοι τοὺς Ἕλληνας εἰς τὴν οἰκείαν, τοὺς ἐκ τοῦ Περσικοῦ πολέμου καταιτιαθέντας, ἀπολύσαντες τῆς ἐπενεχθείσης αὐτοῖς διαβολῆς.* Polyb. XXX, 10. XXXI, 8. XXXII, 7 et 9. XXXIII, 1 et 13.

Pausanias l. VII, 10. *Ἐγένοντο ὑπὲρ χιλίους οἱ ἀναχθέντες ἐς Ῥώμην. Ἑπτακαιδεκάτῳ δὲ ὕστερον ἔτει τριακοσίους ἢ καὶ ἐλάσσονας, οἳ μόνοι περὶ Ἰταλίαν Ἀχαιῶν ἔτι ἐλείποντο, ἀφιᾶσιν* (Romani).

Plutarch. Cato 9. *Ὑπὲρ τῶν ἐξ Ἀχαΐας φυγάδων ἐντευχθεὶς διὰ Πολύβιον ὑπὸ Σκηπίωνος, ὡς πολὺς ἐν τῇ συγκλήτῳ λόγος ἐγένετο, τῶν μὲν διδόντων κάθοδον αὐτοῖς, τῶν δ' ἐνισταμένων, ἀναστὰς ὁ Κάτων „ὥσπερ οὐκ ἔχοντες, εἶπεν, ὃ πράττωμεν καθήμεθα τὴν ἡμέραν ὅλην περὶ γεροντίων Γραικῶν ζητοῦντες, πότερον ὑπὸ τῶν παρ' ἡμῖν ἢ τῶν*

ἐν Ἀχαΐᾳ νεκροφόρων ἐκκομισθῶσι.“ Ψηφισθείσης δὲ τῆς καθόδου τοῖς ἀνδράσιν, ἡμέρας ὀλίγας οἱ περὶ τὸν Πολύβιον διαλιπόντες, αὖθις ἐπεχείρουν εἰς τὴν σύγκλητον εἰςελθεῖν, ὅπως, ἃς πρότερον εἶχον ἐν Ἀχαΐᾳ τιμάς, οἱ φυγάδες ἀναλάβοιεν, καὶ τοῦ Κάτωνος ἀπεπειρῶντο τῆς γνώμης. Ὁ δὲ μειδιάσας ἔφη, τὸν Πολύβιον, ὥςπερ τὸν Ὀδυσσέα, βούλεσθαι πάλιν εἰς τὸ τοῦ Κύκλωπος σπήλαιον εἰςελθεῖν, τὸ πιλίον ἐκεῖ καὶ τὴν ζώνην ἐπιλελησμένον.

Plutarchus Regum et Imperat. Apophthegmat. *Κάτωνος τοῦ πρεσβυτέρου.* n. 28:

Παρακληθεὶς δὲ ὑπὸ Σκιπίωνος Ἀφρικανοῦ τοῖς Ἀχαιῶν συλλαβέσθαι φυγάσιν, ὅπως εἰς τὰς πατρίδας κατέλθωσιν, προςεποιεῖτο μηδὲν αὐτῷ μέλειν τοῦ πράγματος. ἐν δὲ τῇ συγκλήτῳ πολλῶν γινομένων λόγων, ἀναστάς· ὥςπερ *οὐκ ἔχοντες* (εἶπεν) ὃ *πράττωμεν, καθήμεθα περὶ Γραικῶν γεροντίων ζητοῦντες, πότερον ὑπὸ τῶν παρ᾽ ἡμῖν ἢ ὑπὸ τῶν ἐκεῖ νεκροφόρων ἐξενεχθῶσι.*

Gellius 2, 6. *M. Catonis* verba sunt *ex oratione*, quam *De Achaeis* scripsit: *Cumque Hannibal terram Italiam laceraret atque vexaret.*

vexaret] *vexatam Italiam dixit Cato ab Hannibale, quando nullum calamitatis aut saevitiae aut immanitatis genus reperiri queat, quod in eo tempore Italia non perpessa sit.* Gellius.

Idem fragmentum ex Gellio repetierunt Macrobius Sat. VI, 7. et Servius ad Virg. Bucolic. VI, 76.

63. Oratio, ne quis iterum consul fiat.

Ea oratio dicta est anno 604 (150).

Erat institutum in republica romana, ut non eidem homini summus honos sive consulatus saepius deferretur, eaque de re lex extabat, ne quis intra decem annos consul reficeretur. Sed in bello Punico secundo, ubi de salute reipublicae desperabatur, ea lex negligi coepta est, quia in uno tantum homine aut in duobus, ut in Fabio atque P. Scipione Africano maiore, sa-

lus omnium nitebatur. Postea vero non solum ii, qui maximam contulerant utilitatem reipublicae, pluries obtinebant consulatum, verum ii quoque, qui tum nobilitate tum divitiis ceteris praestabant. Cato igitur legem suasit, ne quis iterum consul fieret, eamque per 50 fere annos in usu mansisse, ex Fastis consularibus cognoscimus. Ea lex anno 604 (150) lata dicitur a Pighio T. 2. p. 442 et Zumptio in Annalibus, eiusdemque facta est mentio in Livii Epitome libri 56: *Quum bellum Numantinum vitio ducum non sine pudore publico duraret, delatus est ultro Scipioni Africano a senatu populoque romano consulatus, quem quum illi capere ob legem, quae vetabat, quemquam iterum consulem fieri, non liceret, sicuti priore consulatu, legibus solutus est* (anno 620). Conf. interpretes Livii ad h. l.

Priscianus t. 1. p. 108. *M. Cato in oratione, ne quis iterum consul fiat: Imperator laudem capit, exercitum meliorem, industriorem facit.*

meliorem] Krehlius in Addendis t. 2. p. 513 hoc vocabulum, quod ex textu invitis codicibus eiecerat, restituit.

Festus p. 242. *Pavimenta Poenica* marmore Numidico constrata significat *Cato, cum ait in ea, quam habuit, ne quis consul bis fieret: Dicere possum, quibus villae atque aedes aedificatae, atque expolitae maximo opere citro atque ebore atque pavimentis Poenicis stent.*

quibus villae] adludit ad consulum luxum enatum ex consulatuum multiplicatione. Maiansius p. 41.

citro] ex citro mensae omnium pretiosissimae sunt factae. Conf. Mitscherlich ad Horat. Od. 4, 1, 20. Beckeri Gallus T. 1. p. 138. Böttiger Sabina t. 2. p. 31.

Plut. Cato c. 8. *Τοὺς πολλάκις ἄρχειν σπουδάζοντας ἔφη καθάπερ ἀγνοοῦντας τὴν ὁδὸν ἀεὶ μετὰ ῥαβδούχων ζητεῖν πορεύεσθαι, μὴ πλανηθῶσιν. Ἐπετίμα δὲ καὶ τοῖς πολίταις τοὺς αὐτοὺς αἱρουμένοις πολλάκις*

ἄρχοντας. Δόξετε γάρ, ἔφη, ἢ μὴ πολλοῦ τὸ ἄρχειν ἄξιον ἢ μὴ πολλοὺς τοὺς ἄρχειν ἀξίους ἡγεῖσθαι.

πολλάκις ἄρχειν] Maiansius quoque p. 41 de iis intelligit, qui iterum consules fieri cupiebant.

64. Oratio de bello Carthaginiensi.

Ea dicta est anno 604 (150). Ex Livio accepimus, Catonem quatuor orationes de bello Carthaginiensi in senatu habuisse, quarum unam tantum, a. 604 (150) dictam, editam esse opinor: tum enim senatui persuasit, ut Carthaginiensibus bellum indiceretur. nam eius potissimum consilio illatum bellum tertium Punicum traditur. P. Scipio Nasica, nescio an prudentior Catone, dissuasit. Conf. Maiansius p. 45. Fischer Zeittafeln a. u. 604.

Livius Epit. lib. 48. *Semina tertii belli Punici referuntur. Cum in finibus Carthaginiensium ingens Numidarum exercitus duce Ariobarzane Syphacis nepote diceretur esse, M. Porcius Cato suasit, ut Carthaginiensibus, cum Ariobarzanem specie contra Masinissam regem, sed re vera contra Romanos accitum in finibus haberent, bellum indiceretur* (a. u. 601). *Contradicente P. Cornelio Nasica placuit legatos mitti Carthaginem, qui specularentur quid ageretur. — — Gulussa Masinissae filius denuntiavit Carthagine delectus agi, classem comparari, et haud dubium bellum strui. Cum Cato suaderet, ut iis bellum indiceretur, P. Corn. Nasica dicente nihil temere faciundum, placuit decem mitti legatos exploratum* (a. 602). — — *Cum legati ex Africa cum oratoribus Carthaginiensium et Gulussa Masinissae filio redissent, dicerentque et exercitum se et classem Carthagine deprehendisse, perrogari sententias placuit. Catone et aliis principibus senatui suadentibus, ut in Africam confestim transportaretur exercitus, quod P. Cornelius Nasica dicebat, nondum sibi iustam causam belli videri, placuit, ut*

bello abstinerent, si Carthaginienses classem exussissent et exercitum dimisissent, sin minus, proximi consules de Punico bello referrent (a. 603).

Liv. Epit. lib. 49. *Tertii belli Punici initium altero et sexcentesimo anno ab urbe condita, intra quintum annum quam erat coeptum consummati. Inter M. Porcium. Catonem et Scipionem Nasicam, quorum alter sapientissimus vir in civitate habebatur, alter etiam vir optimus a senatu iudicatus erat, diversis certatum sententiis est, Catone suadente bellum, et ut tolleretur deleretur que Carthago, Nasica dissuadente. Placuit tamen, quod contra foedus naves haberent, quod exercitum extra fines duxissent, quod socio populi romani et amico Masinissae arma intulissent, quod filium eius Gulussam, qui cum legatis romanis erat, in oppidum non recepissent, bellum iis indici. — — Legati triginta Romam venerunt, per quos se Carthaginienses dedebant. Catonis sententia pervicit, ut in decreto perstaretur, et ut consules quam primum ad bellum proficiscerentur.*

altero et sexcentesimo anno] Fasti consulares docent, bellum tertium Punicum non a. 602, ut in Epitome legitur, sed a. 604 incepisse. Sed *Laurent Fasti Consulares Capitolini* p. 78 demonstrat, auctorem Epitomarum Livianarum alios seculum esse annales, atque adeo ne Livii quidem chronologiam adoptasse.

Appianus De rebus Punicis c. 69. *Καὶ τό τε πρέσβεις ἔπεμπον (οἱ Ῥωμαῖοι), ἑτέρους τε καὶ Κάτωνα. Οἳ εἰς τὴν ἀμφίλογον γῆν ἀφικόμενοι, ἠξίουν σφίσιν ἀμφοτέρους περὶ ἁπάντων ἐπιτρέπειν. Μασσανάσσης μὲν οὖν, οἷα πλεονεκτῶν καὶ Ῥωμαίοις ἀεὶ θαρρῶν, ἐπέτρεπεν· οἱ Καρχηδόνιοι δ᾽ ὑπώπτευον, ἐπεὶ καὶ τοὺς πρότερον ᾔδεσαν οὐκ εὖ δικάσαντας. — Οἱ δ᾽ οὐκ ἀνασχόμενοι περὶ μέρους δικάζειν, ἐπανῄεσαν. Καὶ τὴν χώραν περιεσκόπουν ἀκριβῶς τε εἰργασμένην καὶ κατασκευὰς μεγάλας ἔχουσαν. Εἶδον δὲ καὶ τὴν πόλιν ἐσελθόντες, ὅση τε τὴν δύναμιν ἦν, καὶ πλῆθος ὅσον ηὔξητο ἐκ τῆς οὐ πρὸ πολλοῦ κατὰ Σκιπίωνα διαφθορᾶς.*

Ἐπανελθόντες τε εἰς Ῥώμην, ἔφραζον, οὐ ζήλου μᾶλλον ἢ φόβου γέμειν αὐτοῖς τὰ Καρχηδονίων, πόλεως δυσμενοῦς τοσῆσδε καὶ γείτονος, εὐχερῶς οὕτως αὐξανομένης. Καὶ ὁ Κάτων μάλιστα ἔλεγεν, οὔ ποτε Ῥωμαίοις βέβαιον οὐδὲ τὴν ἐλευθερίαν ἔσεσθαι, πρὶν ἐξελεῖν Καρχηδόνα. Ὧν ἡ βουλὴ πυνθανομένη, ἔκρινε μὲν πολεμεῖν, ἔτι δ' ἔχρῃζε προφάσεων, καὶ τὴν κρίσιν ἀπόρρητον εἶχον, Κάτωνα δ' ἐξ ἐκείνου φασὶν ἐν τῇ βουλῇ συνεχῆ γνώμην λέγειν, Καρχηδόνα μὴ εἶναι. Σκιπίωνα δὲ τὸν Νασικᾶν τὰ ἐναντία ἀξιοῦν, Καρχηδόνα ἐᾶν, ἐς φόβον ἄρα καὶ τόνδε Ῥωμαίων, ἐκδιαιτωμένων ἤδη.

Plut. Cato c. 26. Ἔσχατον τῶν πολιτευμάτων αὐτοῦ τὴν Καρχηδόνος ἀνάστασιν οἴονται γεγονέναι. — — Κάτων ἐπέμφθη πρὸς Καρχηδονίους καὶ Μασσανάσσην τὸν Νομάδα πολεμοῦντας ἀλλήλοις ἐπισκεψόμενος τὰς τῆς διαφορᾶς προφάσεις . . . . Ταχέως οὖν ὑποστρέψας ἐδίδασκε τὴν βουλὴν, ὡς αἱ πρότερον ἧτται καὶ συμφοραὶ Καρχηδονίων οὐ τοσοῦτον τῆς δυνάμεως ὅσον τῆς ἀνοίας ἀπαρύσασαι κινδυνεύουσιν αὐτοὺς οὐκ ἀσθενεστέρους, ἐμπειροτέρους δὲ πολέμων ἀπεργάσασθαι, ἤδη δὲ καὶ προανακινεῖσθαι τοῖς Νομαδικοῖς τοὺς πρὸς Ῥωμαίους ἀγῶνας, εἰρήνην δὲ καὶ σπονδὰς ὄνομα τοῦ πολέμου τῇ μελλήσει κεῖσθαι καιρὸν περιμένοντος. c. 27. Πρὸς τούτοις φασὶ τὸν Κάτωνα καὶ σῦκα τῶν Λιβυκῶν ἐπίτηδες ἐκβαλεῖν ἐν τῇ βουλῇ τὴν τήβεννον ἀναβαλόμενον, εἶτα θαυμασάντων τὸ μέγεθος καὶ τὸ κάλλος εἰπεῖν, ὡς ἡ ταῦτα φέρουσα χώρα τριῶν ἡμερῶν πλοῦν ἀπέχει τῆς Ῥώμης. Ἐκεῖνο δ' ἤδη καὶ βιαιότερον, τὸ περὶ παντὸς οὗ δήποτε πράγματος γνώμην ἀποφαινόμενον προσεπιφωνεῖν οὕτως· Δοκεῖ δέ μοι καὶ Καρχηδόνα μὴ εἶναι.

Plinius Hist. Nat. lib. 15, 18, 20. *Cato perniciali odio Carthaginis flagrans nepotumque securitatis anxius, cum clamaret omni senatu Carthaginem delendam, attulit quodam die in curiam praecocem ex ea provincia ficum, ostendensque patribus „Interrogo vos,“ inquit, „quando hanc pomum demtam*

putetis ex arbore?" Cum inter omnes recentem esse constaret, „atqui tertium," inquit, „ante diem scitote decerptam Carthagine: tam prope a muris habemus hostem." Statimque secutum est Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta est, quamquam Catone anno sequente erepto.

Gellius 9, 14. *M. Cato in oratione*, quam *De bello Carthaginiensi* composuit, ita scripsit: *Pueri atque mulieres extrudebantur fami causa.*

Gellius 3, 14. M. Cato de Carthaginiensibus ita scripsit: *Homines defoderunt in terram dimidiatos ignemque circumposuerunt.*

de Carthaginiensibus] incertum, ex oratione de bello Carthaginiensi haec sint sumta, an ex ea parte *Originum*, quae Poenorum historiam continebat, cuiusque aliquot supersunt fragmenta apud Festum v. *Meritavere* et Servium ad Virg. Aen. IV, 682, item ad lib. I, 343 et 738. Conf. Krause Vitae et Fragmenta Historicorum romanorum p. 97.

Ceterum uterque Gellii locus orationi, quam habuit *Cato Numantiae apud equites*, in editione Lionis p. 79 errore adscriptus est.

Nonius p. 89. *Calliscerunt* pro occalluerunt. *Cato de bello Carthaginiensi: Aures nobis calliscerunt ad iniurias.*

calliscerunt] qua haec perfecti temporis forma ratione sit formata, nescio. Legendum puto *calliscunt* i. e. obcalluerunt. Duebner adscripsit meae adnotationi: „*Quod verum videtur, verisimilius certe est quam calliscerent, quod proposuit Struve De Declin. et Coniug.* L. 1. p. 217.

ad iniurias] int. Poenorum.

Solinus c. 30 (40). *Urbem Carthaginem, ut Cato in oratione senatoria autumat, cum rex Iurbas rerum in Libya potiretur, Elisa mulier exstruxit, domo Phoenix, et Karthadam dixit, quod Phoenicum ore exprimit civitatem novam.*

in orat. senatoria] de bello Carthaginiensi.

Karthadam] verum esse creditur *Karthad — hadtha*, Neustadl.

Conf. Real-Encyclopädie von A. Pauly. Lieferung 17 et 18. s. n. *Carthago.*

Nescio an ex eadem oratione sumtus sit locus, qui apud Auct. ad Herennium 4, 14, et apud Quintilianum 9, 3, 31 legitur: *Qui sunt, qui foedera saepe ruperunt? Carthaginienses. Qui sunt, qui crudelissime bellum gesserunt? Carthaginienses. Qui sunt, qui Italiam deformarunt? Carthaginienses. Qui sunt, qui sibi ignosci postulant? Carthaginienses.*

65. Oratio de rege Attalo et vectigalibus Asiae.

Ea a. 605 (149) dicta videtur.

Attalus, rex Pergami, iam a. u. 546 (208) socius populi romani esse traditur. Clinton Fasti t. 3. p. 402. Eumenes filius, qui a. 557 (197) regno successit, Romanos adiuvit in bello contra Antiochum regem gesto et victo eo magnam terrarum partem dono accepit a. 566 (188). Attalus frater Philadelphus regno successit a. 594 (160), item socius populi romani. Attalus tertius a. 602 (152) regnum a senatu accepit, moriensque testamento populum romanum imperio Asiae succedere heredem iussit a. 621 (133).

Quando Cato hanc dixerit orationem, incertum: saepe enim in senatu de rebus Attali atque Asiae deliberatum est. Sed ex fragmento apparet, eam certe post a. 582 (172) habitam esse: C. Licinius enim, cuius mentio est facta, praeturam gessit a. 582 (172). Maiansius p. 42 putat, orationem dictam esse a. 596 (158), quo anno Attalus Romam venisset, ab Eumene fratre missus, de quo Polybius in Excerptis Legationum c. 121. iuncto Livio l. 45, 19.

Deliberatum est de Attalo etiam a. 586 (168), ut ex Livio constat l. 44, 20.

Sed ex Livii Epitome l. 50 accepimus, Catonem a. 605 (149) de rebus Attali dixisse, unde in priore editione in hunc annum orationem, de qua loquimur, retuleram, atque Fischer (Zeittafeln) eam opinionem ap-

probavit. In Epitome enim Livii haec legimus: *Prusias rex Bithyniae omniumque humillimorum vitiorum a Nicomede filio adiuvante Attalo rege Pergami occisus est. habebat alium filium, qui pro superiore ordine dentium enatum habuisse unum os continens dicitur. cum tres legatos ad pacem inter Nicomedem et Prusiam faciendam Romani misissent, et unus ex iis multis cicatricibus sparsum caput haberet, alter pedibus aeger esset, tertius ingenio socors haberetur, dixit Cato eam legationem nec caput nec pedes nec cor habere.*

Burmannus in libro de Vectigalibus p. 138 de auctore huius orationis dubitasse videtur, eamque non Catoni Censorio, sed Catoni Uticensi tribuit.

Festus p. 234. Portisculus est, ut scribit Aelius Stilo, qui in portu modum dat classi. Id autem est malleus, cuius meminit *Cato in dissuasione de rege Attalo et vectigalibus Asiae: C. Licinio praetore remiges scribti cives romani sub portisculum, sub flagrum conscribti veniere passim.*

C. Licinio praetore] C. Licinius Crassus praetor a. 582 (172) classem Romanorum refecit, ut Livius l. 42, 27 copiose tradit.

sub portisculum] „Post h. v. interpunxi commate, ne Catonem cum Scaligero dixisse putes, remiges sub portisculo caesos esse. Sed Cato, ut solet, in iracundia facetus scriptos esse ait sub portisculum, verberibus autem conscriptos (ut Plautus Pseud. 1, 5, 31) sive conscribillatos (ut Catullus 25, 10) sub flagrum, antequam venirent. Paulo aliter Gronovius conscribi sive rescribi sub flagrum putat esse i. q. mancipari.“ C. O. Müller. Conf. Gronovii Observatt. 4, 26. p. 417.

66. Oratio in Servium Sulpicium Galbam pro Lusitanis.

Ea est dicta anno 605 (149). Conf. Oratio *Servii Sulpicii Galbae.*

Haec omnium celeberrima est causa et a multis memorata scriptoribus, quam Cato ipso eo anno, quo excessit e vita, apud populum egit.

Servius Sulpicius Galba praetor in Hispania a. u.

603 (151) prorogato imperio bellum adversus Lusitanos gessit. Cum deinde a. 604 (150) Lusitanorum exercitus ei se dedisset, fide violata partim trucidat, partim in servitutem vendit, paucis fuga servatis, inter quos Viriathus, suae gentis ultor futurus. (Appianus Hispan. c. 59, 60.) Romam reversus, Galba accusatur a L. Scribonio Libone tribuno pl., qui auctore Catone rogationem fert de Lusitanis in libertatem restituendis. Atque nonnisi malis artibus et nequitia patriciorum damnationem reus effugit. Quapropter eodem anno sociorum causa prima de pecuniis repetundis lex a L. Calpurnio Pisone trib. pl. lata est. In hac causa quinque actores egerunt. L. Scribonius Libo rogationem contra Galbam promulgavit, eamque suasere M. Cato et L. Cornelius Cethegus. Contra stetit Galba, qui ter dixit, bis contra rogationem Libonis, et tertia actione adversus Cethegum. Postea prodiit Q. Fulvius Nobilior defensione Galbae suscepta. Huc pertinet Livii Epitome l. 49. *Extant tres orationes Galbae, duae adversus Libonem trib. pl. rogationemque eius habitae de Lusitanis, una contra L. Cornelium Cethegum, in qua Lusitanos propter sese castra habentes caesos fatetur, quod compertum habuerit, equo atque homine suo ritu immolatis, per speciem pacis adoriri exercitum suum in animo habuisse.*

Livius Epit. 49. *Cum L. Scribonius tribunus plebis rogationem promulgasset, ut Lusitani qui in fidem populi romani dediti, a Servio Galba in Galliam venissent, in libertatem restituerentur, M. Cato acerrime suasit. Extat oratio in annalibus eius inclusa. Q. Fulvius Nobilior, et saepe ab eo in senatu laceratus, respondit pro Galba. Ipse quoque Galba, cum se damnari videret, complexus duos filios praetextatos et Sulpicii Galli filium, cuius tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, ut rogatio antiquaretur.*

Q. Fulvius Nobilior] M. Fulvii, adversus quem duas orationes Cato dixit, ut supra vidimus, filius, quem non indisertum fuisse testatur Cicero in Bruto c. 20, 79.

Cicero Bruto c. 20, 80. *Cato annos LXXXV natus excessit e vita, cum quidem eo ipso anno contra Ser. Galbam ad populum summa contentione dixisset, quam etiam orationem scriptam reliquit.*

Ibidem c. 23. *Lusitanis a Ser. Galba praetore contra interpositam, ut existimabatur, fidem interfectis, L. Libone tribuno plebis populum incitante et rogationem in Galbam privilegii similem ferente, summa senectute M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit, quam orationem in Origines suas retulit, paucis antequam mortuus est diebus an mensibus. Tum igitur nihil recusans Galba pro sese et populi romani fidem implorans cum suos pueros, tum C. Galli etiam filium flens commendabat, cuius orbitas et fletus mire miserabilis fuit propter recentem memoriam clarissimi patris, isque se tum eripuit flamma, propter pueros populi misericordia commota, sicut idem scriptum reliquit Cato.*

Conf. praeterea Cic. de Orat. 1, 53. — Murena 28, 59. Sueton. Galba 3. Corn. Nepos Catone 3. Plut. Cat. mai. 15.

Fronto p. 85. ed. Rom. *Galbam certe ad Centumcellas produces. Cato quid dicat de Galba absoluto, tu melius scis, ego memini propter filios eum absolutum. τὸ δὲ ἀκριβὲς ipse inspice. Cato igitur dissuadet, neve suos neve alienos quis liberos ad misericordiam conciliandam producat, neve uxores neve adfines vel ullas omnino feminas.*

Galbam] i. e. Galbae orationes. Maius.

ad Centumcellas] Oppidum Etruriae, ubi Traianus imperator villam exstruxerat. Conf. Mannert Italia t. 1. p. 373.

Valerius Max. VIII, 7, 1. *Cato in ipso diutissime actae vitae fine disertissimi oratoris Galbae accusationi defensionem suam pro Hispania opposuit.*

Livius l. 39, 40. *Catonem ne senectus quidem, quae solvit omnia, fregit, qui sextum et octogesimum annum agens causam dixit, ipse pro se oravit, scripsitque, nonagesimo anno Ser. Galbam ad populi iudicium adduxit.*

Quintil. 2, 15, 8. *Servium quidem Galbam miseratione sola, qua non suos modo liberos parvulos in concionem produxerat, sed Galli etiam Sulpicii filium suis ipse manibus circumtulerat, elapsum esse, cum aliorum monumentis tum Catonis oratione testatum est.*

Gellius 13, 24. *Cato* ex Originum septimo *in oratione, quam contra Servium Galbam* dixit, compluribus vocabulis super eadem re usus est: *Multa me dehortata sunt huc prodire, anni, aetas, vox, vires, senectus: vero enimvero quom tantam rem peragier arbitrarer.*

multa me dehortata sunt] ad hunc Catonis locum alludere videtur auctor anonymus *de figuris*, quem Quicheratius primum edidit, deinde Sauppius noster et emendavit et illustravit in Epistola critica ad G. Hermannum p. 152 — 170.

Συναθροισμός. *Est conductio conque gregatio, cum adcumulo res.*
Multae hortantur me res: aetas, tempus, amici,
Concilium tantae plebis, dementia natum.

anni] nam LXXXV annos, ut Cicero auctor est, vel XC annos erat natus, ut Livius scribit.

rem peragier] sic etiam cod. Reg. teste Duebnero.

Gellius 1, 12. *M. Cato de Lusitanis, cum Servium Galbam accusavit: Tamen dicunt deficere voluisse. Ego me nunc volo ius pontificium optime scire: iamne ea causa pontifex capiar? Si volo augurium optime tenere, ecquis me ob eam rem augurem capiat?*

dicunt deficere vol.] sic culpam excusare studebant Galba et Nobilior patronus. Simili argumento Cato in oratione pro Rhodiensibus §. 7. est usus.

capiar] Gellius adiicit: *Plerique autem capi virginem solam debere dici putant Sed flamines quoque Diales, item pontifices et augures capi dicebantur.*

67. Oratio ad milites contra Galbam.

Ea dicta est anno 605 (149).

In eadem, de qua modo diximus, causa hanc quoque habuit orationem. Cum enim Servium Sulpicium Galbam accusare cuperet et undique argumenta quaereret, ut eum argueret, milites quoque, quos Galba secum habuerat in Hispania, quique cum eo in urbem redierant, adiit, eosque allocutus et cohortatus est, ut malefactorum imperatoris testimonia dicerent.

Aliter iudicat Maiansius p. 38, qui nec ad eandem causam nec ad eundem Galbam hanc orationem Catonis pertinere dicit: „*hic Galba*, ait, *fortasse fuit Q. Sulpicius*, *in quem habuit orationem Cato*, *cuius fragmentum superest apud Festum in. v. nassiterna.*" —

Gellius 1, 23. Historia de Papirio Praetextato dicta scriptaque est a *M. Catone in oratione*, *qua usus est ad milites contra Galbam*, cum multa quidem venustate atque luce atque munditia verborum. Ea Catonis verba huic prorsus commentario indidissem, si libri copia fuisset id temporis, cum haec dictavi.

venustate] codex optimus Paris. *vetustate*. Duebner.

Sequuntur deinde earum orationum Catonis reliquiae, quarum argumenta nondum invenire contigit, sive quod causa qua de agitur prorsus est ignota, seu quod inscriptiones apud grammaticos vitiatae et corruptae sunt.

68. Oratio de aedilibus vitio creatis.

In editione priore inter orationes censorias retuleram, sed vere monuit Duebnerus, se non intelligere, cur a Catone censore potissimum de ea re sit actum.

Creabantur Romae nescio quo anno aediles, quos postea animadvertebant magistratus vitio creatos esse. Cato sententiam dixit, ut comitia, quibus lecti fuerint, irrita et denuo habenda essent.

Gellius 13, 17. *Oratio est M. Catonis censorii De aedilibus vitio creatis. Ex ea oratione verba haec sunt: Nunc ita aiunt, in segetibus et in herbis bona frumenta esse. Nolite ibi nimiam spem habere. Saepe audivi, inter os atque offam multa intervenire posse, verumvero inter offam atque herbam, ibi vero longum intervallum est.*

nunc ita aiunt] Zell Ferienschriften T. 2. p. 36. sie vertit: Ich höre, man sagt jezt, die Saat stünde schön auf den Halmen. Hofft jedoch nicht zu viel darauf. Ich habe oft gehört, dass zwischen Mund und Bissen viel geschehen kann, aber zwischen Mund und der Saat auf den Halmen ist wahrhaftig eine lange Strecke. Eadem sententia Catonis in Vincentii Speculo Doctrinali VI, 128 M. Varroni tribuitur eaque paulum immutata ibi sic legitur: *Nunc in segetibus aiunt in herbis in herbis in frumentis bona sunt. Nolite ibi nimiam spem habere. Saepe audivi, inter os et offam multa intervenire posse. Verum inter herbam et offam longum intervallum est.* Schneiderus si meminisset, ea verba, ex Catone sumpta, apud Gellium legi, de emendatione eorum non dubitasset in *Dissertatione de vita et scriptis Varronis* p. 244.

inter os atque offam] graecum proverbium: *Πολλὰ μεταξὺ κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.* Vid. *Corpus Paroemiographorum graecorum* ed. Leutsch et Schneidewin T. 1. p. 371.

et in herbis] Deest *et* in cod. Reg. prob. Duebnero.

Festus p. 162. *Neminis (genitivo casu Cato usus est) . . . et quis diceret cum sit (neminis). (Idem de aedilibus) vitio creatis: neminisque . . .*

idem de aedilibus vitio creatis] sic supplendum esse monui.

69. Oratio ad filium.

Ea ex orationibus Catonis delenda est. Nam Cato non orationem ad filium, verum praecepta ad eum scripsisse fertur, quorum fragmenta a Plinio, Diomede,

Nonio proferuntur, novumque addidit Perlkamp in Bibliotheca Crit. Nova T. 4. p. 414.

Servius in Virg. Georg. 1. 46. *Cato in oratione ad filium : Vir bonus est, M. fili, colendi peritus, cuius ferramenta splendent.*

in oratione] i. e. in praeceptis de re rustica, nisi corrigere mavis *in Oratore :* librum enim *de Oratore* a Catone scriptum esse, ad Quintilianum 3, 1, 19. diximus. Sed id ipsum fragmentum huic coniecturae repugnat, si quidem non ad librum de arte dicendi, verum potius ad praecepta de re rustica pertinere videatur.

70. Oratio de re Floria.

Duplex est inscriptio, *de re Floria* aut *de re Floriana.*

Haec sunt fragmenta :

1. Gellius l. 9, 12. *De suspicioso* apud *M. Catonem de re Floria* ita scriptum: *Sed nisi qui palam corpore pecuniam quaereret, aut se lenoni locavisset, et si fabulosus et suspiciosus fuisset, vim in corpus liberum non aequum censuere adferri. Suspiciosum enim Cato hoc in loco suspectum significat, non suspicantem.*

fabulosus] corrigendum ex Nonio *famosus.*

2. Gellius l. 10, 13. *Partim hominum venerunt* plerumque dicitur, quod significat *pars hominum venit*, id est, quidam homines. Nam partim hoc in loco adverbium est, nec in casus declinatur, sicuti *cum partim hominum* dici potest, id est, cum quibusdam hominibus. *M. Cato in oratione de re Floria ita scripsit: Ibi pro scorto fuit, in cubiculum surrectitavit e convivio, cum partim illorum iam saepe ad eundem modum erat.* Imperitiores autem *cum parti* legunt, tamquam declinatum sit quasi vocabulum, non dictum quasi adverbium.

erat] Duebner legendum putat *erant.* — Non assentior : idem enim intelligitur ad v. *fuit, surrectitavit, erat.*

3. Nonius v. *suspiciosus* p. 168 ed. Merc. Suspiciosum, qui in suspicione sit. *Cato de re Floriana: Sed si qui palam corpore pecuniam quaereret aut se lenoni locavisset, et si famosus et suspiciosus esset, vim in corpus liberum non aequum censuere adferri.*

sed si qui] corrigendum ex Gellio *sed nisi qui.*

4. Curius Fortunatianus l. 2. p. 81. ed. Capperonn. *Concisa narratione tunc tantum utemur, quando quaedam adversa sunt nobis, imo et cum singulae res gestae maximam invidiam continent, adversariorum possumus narrationem concidere, ut praepositis singulis rebus statim exaggeratione utamur. Cur ita? ut indignationem iudicum non semel, sed saepius in rebus singulis excitemus, sicuti fecit M. Cato de re Floriana.*

Quomodo inscriptio explicanda sit, haud facile dici potest, nec Popma nec Lion verbo rem tetigere. Forcellinius dicit, *Florius* ut Floralis a Flora derivandum esse et *de re Floria* accipiendum de ludis Floralibus. Atque Maiansius De Catone p. 43. arbitratur, Catonem hanc de ludis Floralibus orationem a. u. 581 (173) habuisse, cum a senatu decerneretur; ut Floralia essent annua (Ovidii Fast. l. 5, 329.), ac verisimile esse, Catonem eos improbasse velut lascivos et obscenos.

Weberus autem de vita Catonis p. 53 scribit, Catonem in censura a. 570 (184) de re Floria vel de lascivia ludorum Floralium coercenda orationem habuisse.

Alii vero, ut interpretes Gellii l. 9, 12 et Gierigius ad Ovidii Fastos l. 5, 331 non Catoni Censorio, sed Uticensi orationem de re Floria sive de ludis Floralibus tribuendam dicunt. Constat enim, Catonem Uticensem ludos Florales, quibus plebs nudis mimis delectari solebat, contemsisse, idque spectaculum fugisse. Valerius Max. 2, 10, 8. Seneca Epist. 97. Sed, si Cato Uticensis intelligendus erat, Gellius et Nonius

profecto nominatim hunc Catonem indicassent: quomodo enim lector hunc a Catone maiore, qui singulis fere paginis affertur, distinguere poterat? uterque scriptor probe nomine indicandus erat. Praeterea Cato iunior nihil scriptum reliquit, una oratione excepta de Catilina, quae invito eo a pueris excipiebatur, ut Plutarchus in vita Catonis min. c. 23 tradidit.

Sed utramque mihi explicationem displicere fateor. Ex fragmentis enim et ex loco Curii Fortunatiani apparet, orationem hanc non ad ludos Florales, sed ad causam quandam iudiciariam referendam esse. Sed qualis illa causa fuerit et quo anno sit acta, incertum, nec minus incertum, *de re Floria* an *de re Floriana* verum sit. Coniiciebam quidem, Catonem fortasse Floroniam virginem Vestalem, quae a. 538 (216) damnata est (Livius l. 22, 57.), stupri accusasse, eaque accusatione tirocinium eloquentiae posuisse (Quintil. 12, 7, 4.), cum illo anno octodecim annos haberet; unde *oratio de re Floronia* inscribenda esset: sed an aliis quoque haec opinio probabilis videatur, dubito.

71. Oratio de re A. Atili.

Inscriptio prorsus incerta.

Festus p. 344. *(Sontica)* causa dicitur a morbo (sontico, propter quem, quod est g)erendum, agere (desistimus. *M. Porciu)s Cato de re A. Atili (quid dicam causae extitis)se, timidusne (sis, an impedimento t)ibi causam sonticam (fuisse).*

de re A. Atili] *Cato de re Floria: A. Atili* etc. Ursinus explet probante Müllero. *Cato de regis Attali vectigalibus.* Scaliger. Ego orationem *De re A. Atili* inscribendam et A. Atilium intelligendum duco, qui praefectus erat classis in bello adversus Antiochum regem gesto, anno 563 (191), quo anno Cato in eodem bello Glabrionis consulis (v. supra Catonis oratt. adversus Man. Acilium Glabrionem) legatus fuerat. Liv. 36, 20.

72. Oratio de potestate tribunicia.

Oratio alias non cognita, ait Müller ad Festum p. 163. Index incertus est, nec in auctoritate quadam nititur,

sed maximam partem in coniectura Ursini. In editione priore fragmentum huius orationis cum oratione *De tribunis militum* coniunxeram, quod alienum videtur.

Festus p. 162. *Nemut nisi etiam, vel (nempe: usus est Cato de pot. tr)ibunici(a) cum ait: nemut . . . . aerumnas.*

73. Cato in Sercia.

Nescio quomodo haec inscriptio sit intelligenda, sitne corrupta an incorrupta, nec, si corruptam putas, veram emendandi viam invenies. Quamquam verisimile est, quod Wasse ad Fragmenta Historicorum T. 2. p. 301 suspicatur, legendum esse *Cato in Servium Galbam*, ita ut novum fragmentum illius orationis pro Hispanis contra Galbam esset. Maiansius autem p. 42 haec scribit: *Livius, lib.* 32, 26, *scribens de rebus, quae contigerunt anno* 556 *Sex. Aelio Paeto et T. Quintio Flaminino coss., refert coniurationem, quam obsides Carthaginensium, qui Setiae custodiebantur, excitarunt. De hac coniuratione videtur mihi Cato orationem habuisse, non solum propterea quod Festus in v. precem ita scripsit Precem Cato in ea quae est de Coniuratione, sed quia, si hoc fragmentum coniungatur cum altero a Nonio allegato, idem colligitur: nam sic se habet Cato Sercia. Accipite, si vultis, hoc onus in vestros collos.* ubi pro *Sercia* lego *Setia, id est, in oratione de Setia.* — Hanc coniecturam falsam arbitror, quod illo anno Cato a Roma aberat et in Sardinia praeturam gessit.

Nonius p. 200. *Collus* masculini generis. *Cato in Sercia: Accipite, si vultis, hoc onus in vestros collos.*

74. Oratio de bonis Dulciae.

Argumentum incertum.

Fronto p. 102. *Legi Catonis orationem De bonis Dulciae et aliam, qua tribuno diem dixit.*

Dulciae] sic codex manu secunda, *Pulchroe* prima manu.

qua tribuno diem dixit] oratio, opinor, quae inscripta est, *oratio, si se Coelius tribunus plebis appellasset.*

75. Oratio, qua tribuno diem dixit.

Eadem esse videtur atque illa *Oratio, si se Coelius tribunus plebis appellasset,* quam vide.

76. Oratio contra Cornelium apud populum.

Vid. *Oratio contra L. Cornelium Scipionem.*

77. Oratio in C. Caecilium.

Est ne oratio censoria?

In edit. priore fragmentum huius orationis alteri *in M. Coelium, si se appellasset* adiunxi, sed cum nullam videam causam, cur praenomen *C.* corruptum putem, fragmenta ambarum separanda censui. Nec aliter praecepit C. O. Müller.

Festus p. 242. *Prodidisse* non solum in illis dicitur, qui patriam hostibus prodiderunt, sed etiam tempus longius fecisse, ut *Cato: Te, C. Caecili, diem prodisse militibus legionis III, cum proditionem non haberent.*

diem] ambiguum, utrum diem militiae (Verlängerung der Dienstzeit) an diem vacationis (die Verlängerung der Frist des Urlaubs) interpreteris.

prodisse] *prodidisse* corrigit Ursinus. Recte. Equidem interpretor: „Du habest den Soldaten der dritten Legion die Dienstzeit verlängert, ungeachtet eine solche Verlängerung ungesetzlich war."

proditionem] i. e. prolationem diei, ius prodendi diem sive militiae sive vacationis.

haberent] *haberes* Scaliger; „*vereor ne minus recte; nam etiam milites, quibus longior vacatio* (sic igitur Müllerus intelligit *proditionem*, non prolationem stipendiorum.) *non concessa est, dici possunt proditionem non habere.*" Müller.

78. Oratio, si se Coelius trib. plebis appellavisset.

Inscriptio intellectu difficillima. Quaeritur enim primum, quo sit dictum casu *trib. pl.*, nominativo an accusativo. Alii enim aliter sentiunt. Sunt enim, qui legant *oratio, si se Coelius tribunum plebis appellasset.* Sic Maiansius p. 36: item Weberus p. 32 inscripsit *oratio in M. Coelium, si se tribunum plebis appellavisset.* atque haec adnotavit: Coelius titulum tribuni usurpaverat: cum apud Macrobium senator dicatur non ignobilis, fortasse coniicere licere, eum propter commissum illud falsum e senatu motum esse. quapropter censoriam esse existimat orationem. Hanc mihi explicationem non satisfacere fateor. Coelius enim non simulaverat esse tribunus pl., sed revera tribunus fuit, ut ex Gellio 1, 15 intelligitur. Sed alio fortasse sensu verba intelligenda putes: *oratio, si se Coelius tribunum pl. appellavisset.* id est, si Coelius Catonem tribunum pl. appellavisset, vel auxilium eius imploravisset. Constat autem, tribunos pl. non raro a litigatoribus appellatos esse. Conf. F. L. Keller Semestria l. 1. p. 139—170. Sed haec explicatio prorsus falsa est et ipsis fragmentis, quae extant, refellitur.

Igitur legendum arbitror *oratio, si se Coelius tribunus pl. appellavisset:* ego enim nominativum accipio, idque ex Gellii verbis 1, 15. fit probabile: dicit enim: *idem Cato in eadem oratione eidem M. Coelio tribuno pl. vilitatem opprobrans* etc., unde patet, M. Coelium tribunum pl. fuisse. Argumentum tale videtur. M. Coelius, tribunus pl., homo levis, obscenus et loquax, causam dixit, nescio cur; et inter adversarios eius Cato quoque extitit. minatus est tribunus, se accusaturum Catonem. Cato in eadem causa orationem contra eum habuit, quam inscripsit, *si se Coelius tribunus pl. appellasset* i. e. accusavisset. Ex fragmentis elucet, Coelium voluisse, ut in nova colonia deducenda a triumviris inter colonos reciperetur, Catonem autem dissuasisse.

Gellius 1, 15. *M. Cato* atrocissimus huiuscemodi vitii (stultae et inanis dicendi copiae) insectator est. Namque *in oratione, quae inscripta est, Si se Coelius trib. pleb. appellasset; Numquam*, ait, *tacet, quem morbus tenet loquendi, tanquam veternosum bibendi atque dormiendi. Quod si non conveniatis, cum convocari iubet, ita est cupidus orationis, ut conducat, qui auscultet: itaque auditis, non auscultatis tanquam pharmacopolam: nam eius verba audiuntur, verum ei se nemo committit, si aeger est.* — Idem *Cato* in eadem oratione eidem M. Coelio tribuno plebi vilitatem opprobrans non loquendi tantum, verum etiam tacendi: *Frusto*, inquit, *panis conduci potest, vel uti taceat, vel uti loquatur.*

tanquam veternosum] non aliter atque veternosum morbus tenet bibendi atque dormiendi. *Veternosus* a Paullo Festi Epitomatore p. 369 sic explicatur: *Veternosus dicitur, qui gravi premitur somno. Cato veternosum hydropicum intelligi voluit, cum ait: Veternosus quam plurimum bibit, tam maxime sitit.* Quod nescio an ex Catonis *libro de medicina* sit sumtum. Cato nostro loco utramque significationem hydropici et lethargi voci tribuit, ut natura illius morbi fert. Conf. Bentleius ad Horat. Epist. 1, 2, 34 (quem Duebnero debeo locum).

ut conducat] Si homines se iubente non conveniunt, adeo mercede comparare studet, ut habeat auditores.

auditis, non auscultatis] Pacuvius apud Cicer. Divinat. 1, 57. *Istis magis a u d i e n d u m quam a u s c u l t a n d u m censeo.* Auditis virum loquacem, non aliter atque audire solemus pharmacopolam: non auscultamus i. e. fidem non damus. Conf. Gronovius ad h. l. Doederlein Synonimik t. 3. p. 293.

Festus p. 344. *Spatiatorem* erratorem *Cato in An. Coelium si se appellavisset: In coloniam mehercules scribere nolim, si triumvirum sim, spatiatorem atque fescenninum.*

An. Coelium] *M. Coelium* corr. Ursinus.

in coloniam scribere] inter colonorum numerum recipere. Colonias a triumviris deduci solitas, nemini ignotum.

mehercules] *mercules* Cod. „Fortasse Cato ita scripsit." Müller.

triumvirum] *triumvir* Ursinus. „at nihil magis latinum quam hic genitivus est.“ Müller.

spatiatorem] spatiari est otiose ambulare, unde Cato *spatiatorem* eum vocat, quem in libro de re rust. c. 5, 2. *ambulatorem*: *Villicus ne sit ambulator.*

fescenninum] homo fescenninus dicitur lascivus atque obscenus, pariter atque versus fescennini lascivia et obscenitate abundabant. De re vid. Müller Die Etrusker t. 2. p. 284. Alii *fescenninum* volunt dici abiecte poetam.

Macrobius Saturnal. 2, 10. Ceterum superius plerumque nobilitatem haec propudia celebrare conquestus est. Sic nimirum *M. Cato senatorem non ignobilem Caecilium spatiatorem et fescenninum vocat, eumque staticulos dare his verbis ait: „Descendit de cantherio, inde staticulos dare, ridicularia fundere.“* et alibi in eundem: *„Praeterea cantat ubi collibuit: interdum graecos versus agit, iocos dicit, voces demutat, staticulos dat.“* Haec Cato, cui, ut videtis, etiam cantare non serii hominis videtur.

Totus hic locus legitur etiam apud Saresberiensem De Nugis Curialibus 8, 12. p. 592. *Catoni quoque visum est bene cantare non serii hominis esse. Unde nimirum Marcum, senatorem non ignobilem, Caecilium spatiatorem et fescenninum vocat etc.*

Caecilium] *Coelium* legendum suspicor.

senatorem] patet, Macrobium eundem hominem intelligere, qui a Festo nominatur, sed his errat, cum eum Caecilium (modo ea corruptela ne sit potius culpa codicum) pro Coelio, itidem senatorem, non tribunum plebis appellaverit. Quamquam tribuni plebis tunc temporis senatores quoque erant. Göttling Gesch. d. röm. Staatsverf. p. 293.

staticulos dare] Salmasius in Plinii Exercitatt. p. 94: „Cato de Coelio senatore staticuli pro motibus saltatoriis. Staticuli sunt ὀρχήματα: staticulos dare ut Virg. *Dat motus incompositos.*“ — Turnebus in Adversariis 17, 4. p. 538: „Staticulos dare est choream quandam et saltationem dare, non motoriam, sed statariam, qualis erat in choris στασίμοις.“

ridicularia] i. e. versus fescenninos, carmina iocosa.

versus agit] declamat graeca carmina.

voces demutat] demutare est corrumpere (Worte verdrehen). Nescio an *voces demutare* idem sit quod dicimus Parodien machen oder travestiren. — In Saresberiensi legitur *denuctat.*

Festus p. 169. Naeviam silvam — — quam obprobrii loco (obici ab antiquis solere), quod in ea morari ads(uessent perditi ac nequam ho)mines, testis est *M. Ca(to in ea quam composuit in) M. Caelium si se appella(visset): a porta Naevia atque ex . . .*

a porta Naevia] Müllerus adnotat: Ursini supplementa abieci, quippe plane falsa et inepta. Si boriolandum esset, haec fere ponerem: *Vise silvam proximam — a porta Naevia atque exploga, qui in ea homines consistant: invenies Coelium.*

Paulus p. 59. *Citeria* appellabatur effigies quaedam arguta et loquax ridiculi gratia, quae in pompa vehi solita sit. *Cato in M. Caecilium: „Quid ego cum illo dissertem amplius, quem ego denique credo in pompa vectitatum ire ludis pro citeria atque cum spectatoribus sermocinaturum?"*

M. Caecilium] legendum *M. Coelium.* nec aliter cod. Guelf. *M. Celium* teste Duebnero. Müllerus quoque hoc fragmentum eidem orationi inserendum putat.

vectitatum ire] *vectitatum iri* coniicit Scaliger et Haud in Tursellino t. 2. p. 266., qui haec verba sic vertit: am Ende, glaube ich, wird er als Spottbild aufgeführt werden. Müller nihil adnotavit.

Festus p. 234. *Pro scapulis* cum dicit Cato, significat pro iniuria verberum. nam complures leges erant in cives rogatae, quibus sanciebatur poena verberum. his significat prohibuisse multos suos civis in ea oratione, quae est *contra M. Coelium: si em percussi, saepe incolumis abii. praeterea pro rep. pro scapulis atque aerario multum R. P. profuit.*

prohibuisse] Cato significat, se verberibus cives romanos liberavisse: suasit enim legem Porciam de libertate civium a. 557 (197). Conf. supra p. 20.

si em] *hostem* Scaliger. „Sed *em* pro *eum* a Catone non alie-

num est. Ceterum Catonis verba magna obscuritate laborant." Müller.

pro rep.] corruptum puto. non convenit illud *pro republica reipublicae profui.*

profuit] *profui* A. Augustinus.

Priscianus t. 1. p. 244. Illi pro illius. *Cato in M. Caecilium: Quis illi modi esse vult?*

quis] *et quis* cod. Turic. Legendum *ecquis*, ut in cod. Regio 7497. IX saec. (teste Duebnero) legitur.

Vide *orationem in C. Caecilium.*

79. Oratio De auguribus.

Quando quave occasione data hanc orationem dixerit Cato, incertum. Sed fortasse Livius argumentum tradidit lib. 33, 42. *Sed magnum certamen cum omnibus sacerdotibus eo anno fuit quaestoribus urbanis Q. Fabio Labeoni et L. Aurelio. Pecunia opus erat, quod ultimam pensionem pecuniae in bellum collatae persolvi placuerat privatis. Quaestores ab auguribus pontificibusque, quod stipendium per bellum non contulissent, petebant. Ab sacerdotibus nequidquam tribuni plebis appellati, omniumque annorum, per quos non dederant, exactum est. — — Comitia deinde consularia habita a M. Marcello consule. creati consules L. Valerius Flaccus, M. Porcius Cato.*

eo anno] 558 (196).

Cato, opinor, ea de re orationem habuit, eaque in annum 558 (196) cadit.

Festus p. 241. *Probrum* virginis Vestalis ut capite puniretur, vir, qui eam incestavisset, verberibus necaretur, lex fixa in atrio Libertatis cum multis aliis legibus incendio consumta est, ut ait *M. Cato in ea oratione, quae de auguribus inscribitur. Adiicit quoque, virgines Vestales sacerdotio exaugurat(as primum, deinde).*

exauguratus] *exauctoratus* vitiose in edit. Dacerii. *Exaugurare* est aliquem solemni ritu augurum sacerdotio privare, *inaugurare* autem adhibitis auguriis initiare. Capitolinus in M. Anton. Philosopho 4. *multos* (sacerdotes) *inauguravit atque exauguravit.*

80. Oratio, Aediles plebis sacrosanctos esse.

Cum aediles plebis non minus quam tribuni providerent, ne patricii nimis sibi adrogarent neve plebeii detrimentum caperent, iam vetustissimis temporibus lege sanctum fuit, ut, qui *tribunis plebis*, *aedilibus*, iudicibus, decemviris *nocuisset*, *eius caput Iovi sacrum esset*, *familia ad aedem Cereris*, *Liberi Liberaeque venum iret.* Livius 3, 55. Niebuhr t. 3. p. 16. 47. t. 1. p. 650. 442. Kreuzer Röm. Antiquit. p. 196. 201. Dionys. Hal. Antiquitt. VI. 89. 90. Göttling G. d. röm. Staatsv. p. 299. „Auch die *aediles plebis* waren *sacrosancti*, weil sie gemäss dem sacrosanctum foedus gewählt waren, ganz gewiss wenigstens seit 306 u. c.: sie durften also nicht thätlich verletzt werden, obgleich einige dieses Recht ihnen absprachen. *Cato bestreitet diejenigen*, *welche dies läugneten.* Indessen hinderte dies nicht, dass Aedilen während ihres Amtes angeklagt und verurtheilt wurden.

Festus p. 318. *Sacrosanctum* dicitur, quod iureiurando interposito est institutum, si quis id violasset, ut morte poenas penderet. Cuius generis sunt *tribuni plebis aedilesque eiusdem ordinis.* quod adfirmat *M. Cato in ea, quam scripsit, Aedilis plebis sacrosanctos esse.*

eiusdem ordinis] ilidem plebeii.

quam scripsit] *qua scripsit* Maiansius p. 40.

81. Oratio pro L. Caesetio.

Incertum, quando causam L. Caesetii susceperit Cato. Ad milites hanc orationem habuisse Catonem, suspicatur Maiansius p. 34.

Festus p. 301. Sultis, si voltis . . . *M. Cato pro L. Caesetio: Audite, sultis, milites, si quis vestrum*

in bello superfuerit, si quis non invenerit pecuniam, egebit.

82. Oratio pro L. Caesare ad populum.

In editione priore fragmentum huius orationis orationi *pro L. Caesetio* coniunximus: sed separandum esse postea animadverti.

Priscianus t. 1. p. 493. *Ostendo* quoque ab eo compositum similiter facit ostentum et ostensum. — — *Cato pro L. Caesare ad populum: quod ego me spero ostenturum.*

Cato] hoc ipsum fragmentum a Diomede non Catoni, sed P. Rutilio Rufo tribuitur; atque Diomedi potius quam Prisciano fidem adhibendam esse, scribit Maiansius p. 34. Diomedes enim sic p. 372 ed. Putsch: „*P. Rutilius de vita sua: Uni una ostentata est. Item pro Lucio Caerucio ad populum* ex hoc derivavit participium: *Quod ego me spero ostenturum, non ostensurum.*" Cum Diomedes, ait Maiansius, cuius scripta Priscianus solet excerpere, hoc ipsum fragmentum tribuerit P. Rutilio in oratione *pro L. Caerucio ad populum*, Diomedi magis credendum est. — In edit. Diomedis anni 1526 p. 65 idem locus sic legitur: *Ideo P. Lucius Coelius ad populum: Ex hoc me spero ostenturum*, non *ostensurum.*

quod] *quem* duo codd. Krehlii.

83. Oratio contra Tiberium exulem.

Haec inscriptio in Gellii libro extat. Quaeritur, plena sit et integra annon. Imperfectam esse arbitror. Cum igitur in Prisciano *oratio Catonis adversus Tiberium Sempronium Longum* memoretur, probabile est coniicere, totam inscriptionem esse *oratio contra Tiberium Sempronium Longum exulem.* Sed ne sic quidem sensus est apertus. ignoramus enim, quis Ti. Sempron. Longus fuerit exul, et qua occasione contra exulem dixerit Cato, utrum cum de eo restituendo ferretur rogatio an alias. At fortasse emendanda est inscriptio: *oratio contra Tib. Sempronium Longum consulem.* Cato legatus fuerat Ti. Sempronii Longi consulis a. 560 (194). Plut. Cato 12. Ac supra vidi-

mus (p. 25—38), Catonem illo ipso anno, quo Ti. Sempronius consul erat, multas causas inimicitiasque suscepisse. Duebnerus autem p. 187 orationem *contra Tiberium exulem* separandam esse ab altera *adversus Tib. Sempronium Longum* existimat.

Weber p. 32 hanc orationem censoriis adnumeravit.

Gellius l. 2, 14. *In libro vetere M. Catonis, qui inscribitur: Contra Tiberium exulem* scriptum sic erat: *quid si vadimonium capite obvoluto stitisses?*

vadimonium] vadimonium sistere, i. e. iudicio adesse, vor Gericht sich stellen, erscheinen. Rein Das röm. Privatrecht p. 467. Heindorf ad Horat. Sat. 1, 9, 36. Plauti Curculio 1, 3, 5.

capite obvoluto] rei rerum capitalium in iudicio aderant capite obvoluto.

stitisses] Gellius adnotat: recte ille quidem *stitisses* scripsit, sed falsi et audaces emendatores e scripto per libros *stetisses* fecerunt, tamquam *stitisses* vanum et nihili verbum esset. Quin potius ipsi nequam et nihili sunt, qui ignorant, *stitisses* dictum a Catone, quoniam *sisteretur* vadimonium, non staretur.

Priscianus t. 1. p. 285. *Supellex* supellectilis. Vetustissimi tamen etiam *haec supellectilis* nominativum proferebant. *Cato adversum Tiberium Sempronium Longum: Si posset auctio fieri de artibus tuis, quasi supellectilis solet.*

84. Oratio apud censores in Lentulum.

Pupillorum curam habere, more maiorum sanctum et pium officium habebatur. Cum enim tutor pupillum negligebat, nec providebat, ne male rem gereret: ad censores causam deferre licuit: censura enim morum ad unumquodque pertinebat, quod moribus institutisque maiorum impium et irreligiosum ducebatur. Kreuzer Röm. Antiqu. p. 143. Niebuhr Hist. Rom. T. 2. p. 450. Lentulus quidam (Cn. Cornel. Lentulum, cuius meminit Livius l. 22, 49. l. 33, 27. intelligendum putat Bolhuisius) pupillum neglexisse videtur: cum igitur Cato causam eius suscepisset, apud censores tutorem

accusavit. Quo anno autem id sit factum, definiri nequit.

Gellius 5, 13. *Conveniebat facile constabatque ex moribus populi romani, primum iuxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei tutelaeque nostrae creditos, secundum eos proximum locum clientes habere, qui sese itidem in fidem patrociniumque nostrum dediderunt, tum in tertio loco esse hospites, postea esse cognatos affinesque. Huius moris observationisque multa sunt testimonia atque documenta in antiquitatibus perscripta: ex quibus unum hoc interim de clientibus cognatisque, quod prae manibus est, ponemus. M. Cato in oratione, quam dixit apud censores in Lentulum,* ita scripsit: *Quod maiores sanctius habuere, defendi pupillos quam clientem non fallere. Adversus cognatos pro cliente testatur, testimonium adversus clientem nemo dicit. Patrem primum, postea patronum proximum nomen habere.*

quod] i. e. nam maiores sanctius habuere. Deest sententia antecedens, cum qua haec coniuncta erat. *quid maiores sanctius habuere, quam defendi pupilloe, quam clientem non fallere?* Lud. Aurelius atque Duebner. Sed hoc exemplo Gellius probare studet, pupillos apud veteres romanos sanctiores habitos quam clientes. Id vero non tam aperte declaratur emendatione proposita, quam vulgata lectione. *Non maiores* etc. Maiansius p. 36. pro *quod maiores*. Sed, si coniectura opus est, legam *quin*.

adversus cognatos] idem dicit Gellius l. 20, 1, 40. *Sic clientem in fidem acceptum cariorem haberi quam propinquos, tuendumque esse contra cognatos censuit. neque peius ullum facinus existimatum est, quam si cui probaretur, clientem divisui habuisse.* Conf. Göttling Gesch. d. röm. Staatsv. p. 128.

testatur] passive, i. e. testimonium dicitur.

habere] legendum *habuere*, idque etiam Meiensius suadet. — Duebner supplendum putat *statuebant*.

85. Oratio pro L. Autronio.

Priscianus T. 1. p. 462. Vetustissimi et ausi pro ausus sum et gavisi pro gavisus sum protulerunt. *Ca-*

to Censorius in oratione pro L. Autronio: Beneficii postridie iussisti adesse in diem, ex die non ausi recusare.

L. Autronio] sic codd. *L. Antonio* edd. veteres. Extant denarii argentei gentis Autroniae.

beneficii] non liquet.

in diem,] interpunxi ante *ex die* cum Heinsio ad Tac. Ann. 6, 20.

86. Oratio pro L. Antonio.

Alii orationem *pro L. Autronio*, alii *pro L. Antonio* inscribunt.

Vide orat. praecedentem.

87. Oratio pro L. Turio contra Cn. Gellium.

Annus incertus, nec de L. Turio vel Cn. Gellio quidquam certi constat. Gellius reum fecit L. Turium, proque eo stetit Cato.

Weichert in Reliquiis Poet. Lat. p. 97 putat, L. Turium memorari in Bruto Ciceronis c. 67. *L. Turius parvo ingenio, sed multo labore, quoquo modo poterat, saepe dicebat, itaque ei paucae centuriae ad consulatum defuerunt.* Sed vereor, ne falsam protulerit opinionem. Nam cum Cicero ibi Turium cum M. Pisone, P. Murena, C. Censorino, C. Macro, C. Pisone et L. Torquato contulerit, qui omnes ab aetate Ciceronis proxime absunt, fieri non potest, ut idem Turius significetur, pro quo Cato maior, qui a. 605 (149) obiit, dixit, praesertim cum in illo opere sic versatus sit Cicero, ut oratores singulos accurato annorum ordine recenseret.

Glandorp vituperandus est, qui in Onomastico suo orationem Catonis *pro L. Furio*, nescio qua fretus auctoritate, attulit; nec minus Ellendt, qui p. 23 haec scribit: „*Aliis etiam orationes in iudicio habendas Cato scripsit, quod comparationis cum Lysia caput Cicero Brut. 17 non attigit. Harum una pro Furio contra*

Gellium fuit (Gell. 14, 2.), *quam Furio scriptam ait Festus* s. *Vindiciae.*“ — Ea autem opinio neque codicum firmatur testimonio, sed orationem *pro L. Turio contra Cn. Gellium* cum ea, quam habuit Cato *de multa contra L. Furium*, cuius apud Festum s. v. *vindiciae* fit mentio, confudisse videtur. Müllerus quoque ad Festum p. 378 Ellendtii opinionem repudiavit.

Deinde Cn. Gellius a Vossio vetus historicus esse dicitur in libro De historicis Latinis p. 35. Errat Vossius atque Krause (Fragm. Historicorum p. 202), qui idem fere tradidit. Hic enim annalium scriptor non eodem, quo Cato, tempore vixit, sed post Sullam demum librum suum composuisse probabile est. In loco Ciceronis autem de Legibus 1, 2, 3. nomen *Gellii* coniectura tantum viri docti niti, satis constat. Niebuhr Hist. t. 2. p. 10. Orellius in Onomastico s. *Gellius*.

Gellius 14, 2. *Quod ad pecuniam pertinet, quam apud iudicem peti dixisti, suadeo hercle tibi, utare M. Catonis, prudentissimi viri, consilio, qui in oratione, quam pro L. Turio contra Cn. Gellium dixit, ita esse maioribus traditum observatumque ait, ut si, quod inter duos actum est, neque tabulis neque testibus planum fieri possit, tum apud iudicem, qui de ea re cognosceret, uter ex iis vir melior esset, quaereretur, et si pares essent, seu boni pariter seu mali, tum illi, unde petitur, crederetur, ac secundum eum iudicaretur. — — Verba ex oratione M. Catonis haec sunt:*

Atque ego a maioribus memoria sic accepi, si quis quid alter ab altero peterent, si ambo pares essent, sive boni sive mali essent, quod duo res gessissent, uti testes non interessent, illi unde petitur, ei potius credendum esse. Nunc si sponsionem fecissent Gellius cum Turio: ni vir melior esset Gellius quam Turius, nemo, opinor, tam insanus esset, qui iudicaret, meliorem esse Gellium quam

Turium. Si non melior Gellius est Turio, potius oportet credi unde petitur.

duo res gessissent] *quod inter duos actum est*, supra Gellius interpretatus est. *quod duo rei gessissent* i. e. is qui petit et is unde petitur. Rutgers Var. Lect. V, 16. prob. Maiansio p. 34. *res gerere* explicat Popma res contrahere.

uti testes] „aut supple *ita*, aut pro *uti* lege *ubi* cum Salmasio de Modo Usurarum c. 11." — Maiansius.

sponsionem fecissent] sponsionem facere explicat Rein Das röm. Privatrecht p. 450. sq. Pluralem *fecissent* illustrat Garetonius ad Cic. or. pro Quintio c. 14. *eo*, quod ambo spoponderant. *Sponsionem* enim *facere* non minus actor quam reus dicitur.

ni vir] De formulis sponsionum v. F. L. Keller Semestria t. 1. p. 31.

unde petitur] opponitur petitor ei, unde petitur, sive reo. Cic. de Orat. 1, 37. *postulabat, ut illi, unde peteretur, vetus atque usitata exceptio daretur.*

Nonius p. 149. *Plebitatem* ignobilitatem. *Cato pro Veturio: Propter tenuitatem et plebitatem.*

Cato pro Veturio] *Cato pro L. Turio* legendum censet Maiansius p. 35. ego vero *Cotta pro Veturio*, ut supra diximus p. 66.

Nonius p. 137. *Musimones*, asini, muli aut equi breves. — *Cato Deletorio: Asinum aut musimonem aut arietem.*

Cato Deletorio] *Cato de L. Turio* legendum coniicit Maiansius p. 35. In priore editione emendabam *Cato de Laetorio.*

88. Suasio legis Maeviae.

Ex fragmento orationis, quod superest, patere videtur, eam temporibus belli cum Antiocho rege gesti habitam esse. Sed quae sit lex Maevia, a nullo scriptore illustratum. (Haec enim lex Maevia diversa est ab illa, cuius meminit Varro apud Nonium). Popma mutabat *lex Maenia*, sed nulla est ratio, qua coniectura probetur. Lex enim Maenia, quae aliunde nota est, ab hac causa aliena.

Priscianus T. 1. p. 549. *M. Cato in legis Maeviae suasione: Rex Seleucus arma nostratia facit.*

rex Seleucus] Seleucus Philopator, qui ab anno 567 (187) ad a. 579 (175) imperium tenuit. Polybius lib. 23, 7: *Ἧκον δὲ καὶ παρὰ Σελεύκου τοῦ βασιλέως πρεςβευταὶ, τήν τε φιλίαν ἀνανεωσόμενοι, καὶ δεκαναίαν μακρῶν πλοίων ἐπαγγελλόμενοι δώσειν τοῖς Ἀχαιοῖς.* Id anno 569 (185) factum testatur Clinton in Fastis t. 3. p. 317, ubi historiam regum Syriae tradidit, ideoque illo anno haec oratio dicta videtur.

89. Oratio contra C. Pisonem.

Weberus adnotavit p. 35: „*Perpetuam et praecipue insignem opem tulit Hispanis, veteri suae provinciae, propter quorum iniurias, Cicerone narrante (Divin. in Caecil. 20) cum multis graves inimicitias gessit. Itaque primum a. u.* 583 *perfecit, ut P. Furius Philus damnaretur. Nec dubito, quin ad illa tempora pertinuerit oratio in C. Pisonem, et ipsum olim praetorem Hispaniae.*" C. enim Calpurnius Piso a. 568 (186) praetor creatus, Hispaniam ulteriorem sortitus est. Liv. 39, 42. Appianus Hispanic. c. 56. Consul deinde a. 574 (180), eodem anno mortuus est. Liv. 39, 6. 8. 40, 35. 37. 39.

Quando autem Piso Catonem reum fecerit, non constat.

Priscian. T. 1. p. 503. *Cato contra C. Pisonem: Video, hac tempestate concucurrisse omnes adversarios.*

90. Oratio de Laetorio.

In Nonio legitur corrupte *Cato Deletorio*, quod in duas voces *De Laetorio* distinguendum arbitrabar vocabulum. Popma autem adnotavit: „*In Nonii vulgatis codicibus legitur Deletorio, unde restitui de lege Toria, ad quam pertinet unicum fragmentum de pastione pecoris. Eam legem tulit Sp. Torius sive Thorius tribunus pl., de quo Cicero in lib. 2. de Orat. et in Bruto (c. 36) ita: Sp. Thorius satis valuit in populari genere dicendi, is, qui agrum publicum vitiosa et inutili lege vectigali le-*

vavit." — Sic correxit Popma, non videns, legem Thoriam diu post mortem Catonis latam fuisse, anno scilicet 647 (107). Appian. Bell. Civil. 1, 27. Cato autem obiit a. 605 (149). Lion Popmam secure secutus est. Atque Weberus, cum nescivisse videatur, inscriptionem *de lege Thoria* nihil nisi commentum Popmae esse, in alium errorem incidit. Cum enim intellexisset, Catonem de lege Thoria agere non potuisse, iudicavit, hanc orationem ex Catonis reliquiis eximendam esse. Inscripsi quidem nunc non aliter atque in priore editione *Oratio de Laetorio*, sed praeferenda potius, puto, Maiansii opinio, qui orationi *de L. Turio* haec verba inseruit. Westermannus p. 327 item *pro L. Turio* verum putat.

Nonius p. 137. *Musimones* asini, muli aut equi breves. *Cato Deletorio: Asinum aut musimonem aut arietem.*

musimonem] Schneider ad Varron. De re rust. 2, 2. 12. p. 411.

91. Oratio de abrogandis legibus.

Cato in ea oratione de ratione legum abrogandarum retulisse videtur. Cato, priscae severitatis et antiquorum morum exemplum, nullas vel paucas veteres leges abrogandas censuit, quia novae plerumque essent molliores et laxiores. Livius 34, 3 et 6.

Charisius p. 59. *Bovile* vetat dici Varro ad Ciceronem octavo, et ipse semper *bubile* dicit; sed *Cato De abrogandis legibus bovile* dixit.

92. Oratio de habitu.

In libro Popmae *oratio Catonis de habitu* recepta est. Ea inscriptio ex Charisio sumta pag. 50 ed. Lind. *Sanguis masculino genere, et facit hunc sanguinem. Sed Cato de habitu ait: Sanguen demittatur. Et Lucretius: Visceribus viscos gigni sanguenque creari.* Weber p. 33 orationem censoriam esse putat;

atque Ellendt (Hallische Litt. Z. 1834. Januar. p. 89.) unam eandemque intelligendam, quae alias *de vestitu et vehiculis* appelletur. Si autem oratio intelligenda esset, ego *Cato de ambitu* emendarem, et audio, a Bolhuisio quoque eandem coniecturam esse propositam. Sed verisimile est, verba Charisii alium sensum habere, nempe *secundum propriam vocabuli formam* a Catone dici *sanguen* neutro genere, non *sanguis* masculino. *De habitu* ergo est, quod graeci dicunt, *κατὰ τὴν ἕξιν*. *Sanguen* enim ideo dixit, quia *sanguinis* facit, ut carmen carminis. Si *sanguis* diceret, par esset nominativus genitivo, ut anguis, pinguis. (Servius ad Virg. Aen. I. 211.) Ideo *orationem Catonis de habitu* delendam esse censeo.

93. Oratio de Indigitibus.

Eam a Catone in censura dictam arbitratur Weber.

Quando Catoni oratio de Indigitibus sive de cultu deorum Indigitum fuerit habenda, me non intelligere fateor, et certe magis est vero simile, non in oratione, sed in alio quo libro ea de re dixisse. De natura atque vi horum numinum disserit Hartung Religion der Römer t. 1. p. 81 sqq. Maiansius p. 44. dicit: „Indigites intelligo invocandos."

Festus p. 339. (Sequester) is dicitur, qui inter aliquos qui (certant, medius, ut) inter eos convenerit, (ita tenet depositum ali)quid, ut ei reddat, qui (cui?) id deberi (iure sibi con)stiterit. *Cato in ea ora(tione, quam habuit) de Indigitibus: Sinunt (miseros perire), ut bona rapiant; aut, (si superstites petant) seques prodent.*

seques prodent] *sequestro dent.* Ursinus. Haec supplementa prorsus incerta.

Incerta orationum fragmenta.

Catonis fragmenta incerta non cuncta recepi, sed ea potissimum, quae ex orationibus videntur excerpta. Multa igitur delevi, quae in editione priore receperam.

1. Gellius 13, 23. *M. Cato, consularis et censorius, publicis iam privatisque opulentis rebus villas suas inexcultas et rudes, ne tectorio quidem praelitas fuisse dicit ad annum usque aetatis suae septuagesimum. Atque ibi postea his verbis utitur: Neque mihi, inquit, aedificatio, neque vasum, neque vestimentum ullum est manupretiosum, neque pretiosus servus neque ancilla. Si quid est, quod utar, utor; si non est, egeo. Suum cuique per me uti atque frui licet. Vitio vertunt, quia multa egeo, at ego illis, quia nequeunt egere.*

ad annum LXX] Dixit igitur Cato hanc orationem non ante annum aetatis septuagesimum, id est, non ante annum urbis 590 (164). Unde patet, hoc fragmentum non ad *orationem de suis virtutibus contra Thermum*, ut in editione priore dixi, pertinere, si coniectura mea de anno, quo sit habita, haud inanis sit. Constat autem, Romanos inde ab a. 587 luxuriae indulsisse, cum L. Paulli triumphus de Macedonia finem attulisset tributorum.

manupretiosum] hoc vocab. explicat Schneider ad Catonem De re rust. c. 14. p. 63.

2. Fronto Epist. p. 184 ed. Rom.: Ipsa subieci Catonis verba: *Interea unamquamque turmam, manipulum, cohortem tentabam quid facere possent, proeliis levibus spectabam cuiusmodi quisque esset; si quis strenue fecerat, donabam honeste, ut alii idem vellent facere, atque in contione verbis multis laudabam. Interim aliquot pauca castra feci. Sed ubi anni tempus venit, castra hiberna . . .*

Catonis verba] In edit. priore hoc fragmentum inserueram orationi *de suis virtutibus contra Thermum*, sed *Originibus* eius potius vindicandum censeo, et ei quidem parti, ubi de rebus suis in Hispania gestis scribit.

3. Festus p. 344. (Stiricidium qu)asi stillicidium, cum stel(lae concretae frigore c)adunt. *Cato pro C . . . . n)ihilominus voluit semper (de stiricidio in) re praesenti cognosce(re atque statuere.)*

Cato pro C.] in edit. priore orationi *pro L. Cassetio* adiunximus. Müllerus vero *C.* praenomen esse censet.

Priscian. t. 1. p. 332. *Cato in oratione, qua*

suasit in senatu, Samnitis dixit pro Samnis: *Accessit ager, quem privatim habent, Gallicus, Samnitis, Apulus, Bruttius.*

qua suasit in senatu] Excidit fortasse *ut plura aera equestria fierent*, quod Krehlio quoque in mentem venit l. 1. p. 316. Sed nil certi affirmari potest.

5. Festus p. 344. *(Siremps)* ponitur pro eadem vel proinde (ac ea, quasi similis res ipsa) *Cato in dissuadendo le(gem . . . . re)licta est: Et praeterea rogas (quemquam adversus) ea si populus condemnave(rit, uti siremps lex s)iet quasi adversus le(ges fecisset).*

Cato in dissuadendo legem] In priore edit. Ursini supplementum *Cato in dissuadendo legem, quae postea relicta est* bona fide recepi: nunc vero cum talem inscriptionem orationis sensu carere intellexerim, eam delevi fragmentumque incertis orationibus inserui.

6. Paullus p. 59. *Coepiam* futurum tempus ab eo, quod est coepi. *Cato: Coepiam seditiosa verba loqui.*

seditiosa] *semesa*, quod Scaliger se dicit in veteri quodam schedio reperisse, a nullo critico posthac usquam repertum est. Müller.

7. Paullus p. 59. *Compluriens* a compluribus significat saepe. *Cato: Contumelias mihi dixisti compluriens.*

8. Festus p. 154: *(Magisteria* dicunt ut in omnibus) rebus, qui ma(gis ceteris possunt, ut magistros e)quitum et (magistros populi, item ludorum Apo)llinis, dixe(runt antiqui, quae nunc aliter di)cuntur, velit (velut?) *(ostendit Cato in oratione, quam dix)it contra o(rationem) . . . . .*

9. Festus p. 154. *Magnificior* (munificior?) quoque (idem deduxisse videtur) a munifice, cum dicamus (nunc munificentior, quamvis) munificens non sit (apud nos in usu. *Cato) in ea quam scripsit id . . . . . . munificior . . . .*

10. Festus p. 154. *Mihipte* pro mihi (ipsi *Cato* cum dixit) . . . *decuit talenta . . . .*

11. Festus p. 242. *Pelliculatio(nem Cato* a pelli-

cien)do, quod est inducen(do, *dixit in ea oration)e*, *quam scripsit de . . . .*

quam scripsit de] *re Floria* supplendum videtur.

12. Festus p. 242. (Praemiosam pro pecuniosa *Cato) in oratione, quam scribsit . . . . impudentiam praemio(sam.)*

13. Festus p. 162. *Neminis* (genitivo casu *Cato* usus est) . . . *et quis diceret cum sit (neminis).*

14. Festus p. 305. Suppremum — — *Cato d(e . . . do)lentis numquam cuiquam (reo apud Praetorem denegasse supp)remam advoca(tionem).*

15. Paullus p. 378. *Vecticularia* vita dicitur eorum, qui vectibus parietes alienos perfodiunt furandi gratia: *Cato: Vecticulariam vitam vivere, repente largiter habere, repente nihil.*

16. Festus p. 313. *struere* antiqui dicebant pro adiicere, augere. — *Cato: Iure, lege, libertate, republica communiter uti oportet, gloria atque honore, quomodo sibi quisque struxit.*

17. Gellius 2, 17. *Cato* et Salustius, *Foenoribus* inquiunt, *coopertus* est.

foenoribus] Gellius 4, 17: *Salustius Foenoribus, inquit, coopertus.* Vocabulum *foenoribus* corruptum puto. *facinoribus*, Gronovius.

18. In edit. priore haec scripsi: Festus *Mina: Cato in suasione: mina cogi nulla potuit.*

in suasione] supplevit Dacerius *legis Voconiae.* — Sed haec verba omnia non in Festo leguntur, sed a Scaligero excogitata et inserta sunt, ut ex adnotatione Mülleri p. 385 apparet. Conf. Lindemanni Festus p. 171 et 508.

19. Paulus p. 379. *Vopte* pro vos ipsi *Cato* posuit.

20. Priscianus t. 1. p. 107. *Cato* dixit: *Quod iter longius arduiusque erat a curia.*

Cato] in Originibus an in oratione quadam id dixerit, incertum.

21. Servius ad Virg. Aen. 4, 293. *Cato: Qua mollissimum est, adoriuntur.*

adoriuntur] Priceus ad Appuleii Metamorph. 4. p. 215 ed. Oudendorp. hoc fragmentum cum praecedente iongendum putabat: *Quod iter longius arduiusque erat, a clivis, qua mollissimum est, adoriuntur.* Quodsi haec verba sic recte se habent (quod dubito), ex libro *dierum dictarum de consulatu suo*, in quo res a Catone in Hispania gestae narrantur, sumta videntur.

22. Servius ad Virg. Aen. 3, 314. *Cato* ait: *Verba tertiato et quartato quempiam dicere prae metu.*

tertiato et quartato] quomodo *tertiato* sit explicandum, Freund in Lexico s. v. *tertio* docuit.

23. Interpretes Virgilii ad Aeneid. 2, 670. *Cato in contione: Apirensium bellum fecimus . . . tris missi ad(versus . . . quos . . , censorem habuistis, neque) . . . upli pectore adsecutus.*

Apirensium] *Epirensium*?

24. Quintilianus 9, 2, 21. *Cato: Cedo, si vos in eo loco essetis, quid aliud fecissetis?* et alibi: *Communem rem agi putatote, ac vos huic rei praepositos esse.*

Cato] Spalding haec verba Catoni abiudicabat, vocem *Cato* ex sequenti *cedo* ortam ratus. Erravit vir doctissimus.

25. Rufinianus De figuris p. 204 ipsum eundem locum ex Quintiliano descripsit: *Cato: Si vos in eo loco essetis, quid aliud faceretis?* et alibi: *Communem rem putatote, ac vos huic praepositos.*

faceretis] *fecissetis* Quintilianus. Illud temporum consecutioni aptius. Conf. Ochsnerus V. Cl. ad Cicer. Eclog. p. 91.

26. Quintil. 3, 6, 97. *Nothum, qui non sit legitimus, graeci vocant, latinum rei nomen, ut Cato quoque in oratione quadam testatus est*, non habemus, ideoque utimur peregrino.

27. Quintil. 5, 11, 39. Si causam veneficii dicat adultera, non *M. Catonis iudicio damnata videatur, qui nullam adulteram non eandem esse veneficam dixit?*

nullam adulteram] argumentum orationis ex Livii Epitome l. 48

petendum: *De veneficiis quaesitum. Publicia et Licinia nobiles feminae, quae viros suos consulares necasse insimulabantur cognita causa, cum praetori pro se vades dedissent. cognatorum decreto necatae sunt.* Ea causa a. 603 (151) acta est.

28. Isidorus de Different. ex edit. Iacobi Du Breul a. 1601. p. 754: Falsitas et mendacium differunt. *Cato: Tu, inquam, si verum supprimis, falsarius agnosceris; si falsa confingis, mendax esse videris.*

tu, inquam] *tu, tu, inquam* in Barthii Adversariis 39, 14. In cod. Basileensi semel tantum *tu* legitur.

supprimis] *comprimis* in Barthii Advers. Illud etiam in cod. Parisino legi testatur Duebner.

videris] *iudicaberis* varia lectio in editione Du Breul.

29. Charisius p. 122. Malitiose. *Cato senex: Malitiose istorum iurator . . . . vertove.*

30. Charisius p. 130. Seorsum. *Cato senex: Suapte natio sua separata seorsum.*

seorsum] non *seorsim*, ut recentiores amant, nescio qua analogia vel auctoritate commoti.

31. Charis. p. 131. Taetre. *Cato senex: Taetre aetatem exigit.*

32. Charis. p. 143. *Vita deum immortalium, Cato senex,* ubi Statilius Maximus *Ἐκφώνησις,* inquit, *ἀρχαϊκὴ ὡς ὦ πόποι.*

33. Festus p. 165. Negibundum a(ntiqui pro negante dixerunt. *Cato in) ea quam scripsit . . . .*

34. Cicero De Officiis 3, 29. Fidem in Capitolio vicinam Iovis optimi maximi, ut *in Catonis oratione* est, maiores nostri esse voluerunt.

Fidem] in templo Capitolino una cum Iove et Fides et Victoria habitabant. Conf. Hartung Relig. d. Römer T. 2. p. 38.

35. Plutarch. Cato c. 9. *Πρὸς δὲ δήμαρχον, ἐν διαβολῇ μὲν φαρμακείας γενόμενον, φαῦλον δὲ νόμον εἰσφέροντα καὶ βιαζόμενον· ὦ μειράκιον, εἶπεν, οὐκ οἶδα, πότερον χεῖρόν ἐστι, ὃ κίρνης, πινεῖν ἢ ὃ γράφεις κυρῶσαι.*

πρὸς δὲ δήμαρχον] Pighius in Annalibus T. 2. p. 438 et 439 hanc causam L. Licinio Lucullo et A. Postumio Albino consulibus anno 603 (151) actam opinatur. Legimus enim in epitome Liviani libri 48: *L. Lic. Lucullus et A. Postumius coss. cum delectum severe agerent, nec quemquam gratia dimitterent, a tribunis plebis, qui pro amicis suis vacationem impetrare non potuerunt, in carcerem conducti sunt.* Eorum unus tunc, adiicit Pighius, legem promulgasse iniquam videtur, qui cum veneficii infamia suspectus esset, a M. Catone censorio dissuasuro legem aspere suggillatus fuit. — Equidem nescio an hoc fragmentum orationi *Si se Coelius trib. pl. appellavisset* vel ei, qua (teste Frontone) tribuno plebis diem dixit, vindicandum sit.

VII. *Tib. Sempronius Gracchus, pater Tib. et Cai Gracchorum.*

Natus anno circiter 534 (220).

Tribunus plebis a. u. 567 (187): illo enim anno P. Scipionem Africanum maiorem, qui causam Lucii fratris acriter contra tribunos defenderat, adiuvit, cuius rei gratia Africanus filiam suam minorem, Corneliam, ei despondit. Livius l. 38, 57.

Praetor a. 574 (180): triumphat propraetor de Celtiberis a. 576 (178). Livius l. 40, 35. 44. 47. l. 41, 6. 28.

Consul a. 577 (177): triumphat de Sardis a. 578 (176). Liv. l. 41, 8. 12. 17. 28. Festus p. 322 ed. Müller.

Censor a. 585 (169).

Consul iterum a. 591 (163).

Cicero in Bruto 20, 79. *Erat iisdem* (cum Catone) *temporibus Ti. Gracchus P. f., qui bis consul et censor fuit, cuius est oratio graeca apud Rhodios, quem civem cum gravem tum etiam eloquentem constat fuisse.*

Cic. de Orat. 1, 9. *Ego vero si velim et nostrae civitatis exemplis uti et aliarum, plura proferre possim detrimenta publicis rebus quam adiumenta per homines eloquentissimos importata, sed ut reliqua praetermittam, omnium mihi videor exceptis, Crasse, vobis duobus eloquentissimos audisse Ti. et*

C. Sempronios, quorum pater homo prudens et gravis ***haudquaquam eloquens*** *et saepe alias et maxime censor saluti rei publicae fuit.*

haudquaquam eloquens] quod h. l. Cicero per Scaevolae personam dicit, Ti. Gracchum patrem non fuisse eloquentem, aliter ipse iudicat in Bruto, ut supra vidimus. Sed h. l. opponitur filiis, qui eloquentia multo magis conspicui, nihilominus maius damnum quam salutem reipublicae attulerant. Conf. Henrichsen.

maxime censor] rem narrat Livius l. 45, 15: *In quatuor urbanas tribus descripti erant libertini.* — — *Postremo eo descensum est, ut ex quatuor urbanis tribubus unam palam in atrio Libertatis sortirentur, in quam omnes, qui servitutem servissent, coniicerent. Esquilinae sors exiit, in ea T. Gracchus pronuntiavit, libertinos omnes censeri placere. Magno ea res honori censoribus apud senatum fuit. Gratiae actae et Sempronio.* Conf. Göttling Gesch. d. röm. Staatsverf. p. 142.

1. Oratio graeca apud Rhodios.

Ea dicta videtur a. 590 (164). Est enim verisimile, Ti. Gracchum anno 590 (164), quo anno ab senatu in Asiam legatus missus est ad res sociorum inspiciendas, in Rhodo insula commoratum esse, et occasione data orationem in senatu Rhodiorum habuisse. Polybius lib. XXVII. 11. Legatio Romanorum in Asiam. *Οἱ περὶ τὸν Τιβέριον καὶ Ποστούμιον κατὰ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς ἐπιπορευόμενοι τὰς νήσους καὶ τὰς κατὰ τὴν Ἀσίαν πόλεις, πλεῖστον δ᾽ ἐν τῇ Ῥόδῳ, καίπερ οὐ προςδεομένων τῶν Ῥοδίων κατὰ τοὺς τότε χρόνους.* Freinsheim Supplem. Liv. 46, 13. Constat autem, Romanos in bellis quae cum Antiocho et Perseo regibus in Graecia et Macedonia gesserunt, varie tractasse Rhodios, modo amice et benigne iis utentes, modo inimicitias cum iis exercentes, nec multum abfuit, quin iis a. 587 (167) bellum indiceretur. Conf. supra p. 102.

Apparet ex eo, quod graece dixit, satis eum graecis literis fuisse imbutum. Cicero in Bruto 20, 79. testatur, orationem hanc suis adhuc temporibus extitisse.

2. Oratio pro P. Scipione Africano maiore.

Ferebatur oratio Tib. Gracchi, tribuni plebis, pro Scipione maiore a. 567 (187) habita. Conf. supra p. 7.

Livius 38, 56. *Multa alia in Scipionis exitu maxime vitae, dieque dicta, morte, funere, sepulcro in diversum trahunt, ut, cui famae, quibus scriptis adsentiar, non habeam. Non de accusatore convenit, alii M. Naevium, alii Petillios diem dixisse scribunt, non de tempore, quo dicta dies sit, non de anno, quo mortuus sit, non ubi mortuus aut elatus sit. — — Nec inter scriptores rerum discrepat solum, sed orationes quoque, si modo ipsorum sunt, quae feruntur, P. Scipionis et Ti. Gracchi abhorrent inter se. Index orationis P. Scipionis nomen M. Naevii tribuni plebis habet, ipsa oratio sine nomine est accusatoris; nebulonem modo, modo nugatorem appellat. Ne Gracchi quidem oratio aut Petilliorum accusatorum Africani aut diei dictae Africano ullam mentionem habet. Alia tota serenda fabula est* (i. e. argumentum) *Gracchi orationi conveniens, et illi auctores sequendi sunt, qui, cum L. Scipio et accusatus et damnatus sit pecuniae captae ab rege, legatum in Etruria fuisse Africanum tradunt, quo post famam de fratris casu allatam relicta legatione cucurrisse eum Romam, et cum a porta recta ad forum se contulisset, quod in vincula duci fratrem dictum erat, repulisse a corpore eius viatorem, et tribunis retinentibus magis pie quam civiliter vim fecisse. Haec enim ipsa Gracchus queritur, dissolutam esse a privato tribuniciam potestatem, et ad postremum, cum auxilium L. Scipioni pollicetur, adiicit, tolerabilioris exempli esse, a tribuno plebis potius quam a privato victam videri et tribuniciam potestatem et rempublicam esse. Sed ita hanc unam impotentem eius iniuriam invidia onerat, ut increpando, quod degenerarit tan-*

tum a se ipse, cumulatas ei veteres laudes moderationis et temperantiae pro reprehensione praesenti reddat. Castigatum enim quondam ab eo populum, ait, quod eum perpetuum consulem et dictatorem vellet facere; prohibuisse statuas sibi in comitio, in rostris, in curia, in Capitolio, in cella Iovis poni; prohibuisse, ne decerneretur, ut imago sua triumphali ornatu e templo Iovis optimi maximi exiret. Cap. 57. *Haec vel in laudatione posita ingentem magnitudinem animi moderandis ad civilem habitum honoribus significarent, quae exprobrando inimicus fatetur.*

Hanc causam non solum Livius, sed Gellius quoque VII, 19 narrat et extat ea de re liber singularis: *De P. et L. Scipionum accusatione quaestio ed. Heerwagen Bayreuth* 1836. coll. Jahn Neue Jahrbücher 1837. XX B. 2 H. p. 210.

VIII. *L. Papirius Fregellanus.*

L. Papirius, Fregellis, colonia latina ad Lirim in finibus agri Samnitium (Mannert Italia I. p. 672) ortus, eadem fere aetate vixit, qua Tiberius Gracchus, pater Ti. et Cai Gracchorum, iterum consul a. 591 (168).

1. Oratio pro Fregellanis coloniisque latinis.

Ea dicta videtur a. 629 (125).

Eo enim anno M. Fulvius consul seditiones excitat rogatione proposita de civitate sociis Italicis danda. Fregellanos ob negatam civitatem rebellantes L. Opimius praetor ad deditionem adigit, urbemque diruit. Livius Epit. 60. Velleius 2, 6. Auctor ad Herennium 4, 9. Papirius rem Fregellanorum reliquarumque coloniarum latinarum defendit pro iisque in senatu orationem dixit.

Cicero in Bruto c. 46, 170. *Apud maiores nostros video disertissimum habitum ex Latio L. Pa-*

pirium Fregellanum Ti. Gracchi P. f. fere aetate, *eius etiam oratio est pro Fregellanis coloniisque latinis, habita in senatu.*

Sed quaeri potest, an verisimile sit, Papirium, qui aetate Ti. Gracchi senioris vixerit, anno 629 (125) adhuc inter vivos fuisse. Orellius id negavit, orationemque Papirii non ad illam rebellionem Fregellanorum, sed ad rem antiquiorem, nunc ignotam referendam existimat.

Ego autem puto, Papirium, si anno 591 (163), quo Ti. Gracchus iterum consul fuit, media fere aetate fuerit, usque ad a. 629 (125) vitam producere potuisse. Ellendt quoque auctor est, hanc orationem ad a. 629 (125) pertinere, sed in loco Ciceronis pro *Ti. Gracchi P. f.* corrigendum esse censet *Ti. Gracchi Ti. f.*, ut Tiberius Gracchus filius accipiatur.

IX. *L. Aemilius Paullus Macedonicus.*

Natus anno circiter u. 526 (228): secundo enim consulatu sexagenarius erat. Livius l. 44, 41. Plut. Aemil. c. 10.

Aedilis a. 562 (192): praetor a. 563 (191).

Consulatum gessit a. u. 572 (182) et 586 (168), quo anno bellum contra Perseum regem Macedoniae suscepit.

Triumphat a. 587 (167). Censor anno 590 (164). Mortuus est a. 594 (160).

Cicero Bruto c. 20, 80. *Atque etiam L. Paullus, Africani pater, personam principis civis facile dicendo tuebatur, et vero etiam tum Catone vivo.*

Plut. Aemil. c. 2. *Οὔτε λόγον ἤσκει περὶ δίκας.*

Oratio apud populum de rebus a se in bello Persico gestis.

Extabat Paulli oratio, quam de rebus a se gestis paucis diebus post triumphum anno 587 (167) habuit.

Legimus in Fastis Triumphalibus ad a. DXXCVI

(587 Varr.): *L. Aemilius L. f. M. n. Paullus II. procos. ex Macedonia et rege Perse per triduum IIII. III. pridie K. Decem.* (i. e. quarto et tertio die et pridie ante Kal. Dec.) *triumphum egit.*

Valerius Max. 5, 10. 2. *Aemilius Paullus nunc felicissimi nunc miserrimi patris clarissima repraesentatio. Ex quatuor filiis formae insignis, egregiae indolis, duos iure adoptionis in Corneliam Fabiamque gentem translatos sibi ipse denegavit, duos ei fortuna abstulit. Quorum alter triumphum patris funere suo quartum ante diem praecessit, alter in triumphali curru conspectus post diem tertium exspiravit. Quem casum quo robore animi sustinuerit, oratione, quam de rebus a se gestis apud populum habuit, hanc adiiciendo clausulam nulli ambiguum reliquit: Cum in maximo proventu felicitatis nostrae, Quirites, timerem, nequid mali fortuna moliretur, Iovem optimum maximum Iunonemque reginam et Minervam precatus sum, ut, si adversi quid populo romano immineret, totum in meam domum converteretur. Quapropter bene habet; annuendo enim votis meis id egerunt, ut vos potius meum casum doleatis quam ego vestro ingemiscerem.*

Livius lib. 45, 40. *Sed non Perseus tantum per illos dies documentum humanorum casuum fuit, in catenis ante currum victoris ducis per urbem hostium ductus, sed etiam victor Paullus auro purpuraque fulgens. Nam duobus e filiis, quos duobus datis in adoptionem solos nominis sacrorum familiaeque heredes retinuerat domi, minor ferme XII annos natus, quinque diebus ante triumphum, maior XIV annorum triduo post triumphum decessit, quos praetextatos curru vehi cum patre, sibi ipsos similes praedestinantes triumphos oportuerat. Paucis post diebus data a M. Antonio tribuno pl. con-*

cione, cum de suis rebus gestis more ceterorum imperatorum disseruisset, memorabilis eius oratio et digna romano principe fuit. — — — Postquam omnia (ait) *secundo navium cursu in Italiam pervenerunt, neque erat, quod ultra precarer, illud optavi, ut, cum ex summo retro volvi fortuna consuesset, mutationem eius domus mea potius quam respublica sentiret. itaque defunctam esse fortunam publicam mea tam insigni calamitate spero, quod triumphus meus velut ad ludibrium casuum humanorum duobus funeribus liberorum meorum est interpositus.*

Valerius Maximus ex ipsa Aemilii oratione locum reddidit, Livius autem proprio Marte et ex suo ingenio orationem finxit, ita quidem, ut ipsius Aemilii verba imitaretur, sed ea ornaret figurisque illustraret. Plutarchus quoque orationem Paulli in vita eius c. 36 retulit, nescio quo ex opere suntam. Conf. Westermann p. 37.

De tempore, quo haec oratio sit habita, a Valerio Maximo Livioque discedit Velleius, qui eam ante triumphi diem, non, ut ceteri, post triumphum dictam tradidit.

Velleius 1, 10. *Lucio Paullo Macedonicae victoriae compoti quattuor filii fuere. Ex iis duos natu maiores, unum P. Scipioni, P. Africani filio, nihil ex paterna maiestate praeter speciem nominis vigoremque eloquentiae retinenti, in adoptionem dederat, alterum Fabio Maximo, duos minores natu praetextatos, quo tempore victoriam adeptus est, habuit. Is cum in concione extra urbem more maiorum ante triumphi diem ordinem actorum suorum commemoraret, deos immortales precatus est, ut, si quis eorum invideret operibus ac fortunae suae, in ipsum potius saevirent quam in rempublicam. Quae vox veluti oraculo emissa magna parte eum spoliavit sanguinis sui. nam alterum ex iis, quos in*

familia retinuerat, liberis ante paucos triumphi, alterum post pauciores amisit dies.

X. *P. Cornelius Scipio, P. Scipionis maioris filius.*

Augur factus est a. 574 (180). Liv. l. 40, 42. Atque flamen Dialis erat, ut ex epigrammate apparet.

Cicero Bruto 19, 77. *Ipsum Scipionem accepimus non infantem fuisse. Filius quidem eius, is qui hunc minorem Scipionem a Paullo adoptavit, si corpore valuisset, in primis habitus esset disertus. Indicant cum oratiunculae tum historia quaedam graeca, scripta dulcissime.*

ipsum Scipionem] intelligit Scipionem maiorem.

Cicero Catone c. 11, 35. *P. Africani filius is, qui te adoptavit, quam tenui aut nulla potius valetudine! Quodni ita fuisset, alterum ille extitisset lumen civitatis: ad paternam enim magnitudinem animi doctrina uberior accesserat.*

Cicero de Officiis 1, 33, 121 idem fere tradidit.

Velleius 1, 10. 3. *Lucio Paulo quatuor filii fuere. Ex iis duos, natu maiores, unum P. Scipioni, P. Africani filio, nihil ex paterna maiestate praeter speciem nominis vigoremque eloquentiae retinenti, in adoptionem dederat, alterum Fabio Maximo.*

Extat de hoc viro elogium Saturnio metro compositum in Anthologia latina t. 1. p. 3. N. 3.

Quei apicem, insigne Dialis flaminis gessisti,
mors perfecit tua, ut essent omnia brevia,
honos, fama, virtusque, gloria atque ingenium.
Quibus sei in longa licuisset tibe utier vita,
facile facteis superasses gloriam maiorum.
Quare lubens te in gremium, Scipio, recipit
Terra, Publi, prognatum Publio, Corneli.

Orationes prorsus evanuere.

XI. *Q. Caecilius Metellus Macedonicus.*

Q. Metelli, de quo supra p. 10. diximus, filius. Natus esse videtur a. 566 (188). Praetor Macedoniae a. 606 (148) bellum gessit contra Andriscum Pseudophilippum, de eoque triumphavit anno 607 (147). (Vide Fastos Triumphales.) Extant denarii ad hunc triumphum respicientes. Vid. Drumann t. 2. p. 20. Petebat consulatum a. 609 (145) et 610 (144): at frustra: anno demum 611 (143) consul factus est. Censor a. 623 (131). Conf. Velleius 1, 10. Plin. Hist. 7, 44.

Cicero de Oratore 1, 49. *Multum inter se distant istae facultates, longeque sunt diversae atque seiunctae, neque eadem ratione ac via M. Cato, P. Africanus, Q. Metellus, C. Laelius, qui omnes eloquentes fuerunt, orationem suam et rei publicae dignitatem exornabant.*

Cicero Bruto c. 21. *Q. Metellus is, cuius quattuor filii consulares fuerunt, in primis est habitus eloquens, qui pro L. Cotta dixit accusante Africano; cuius et aliae sunt orationes, et contra Ti. Gracchum exposita est in C. Fannii annalibus.*

1. Oratio pro L. Aurelio Cotta contra Scipionem minorem.

Ea causa a. 623 (131) acta fertur. Scipio Africanus minor L. Aurelium Cottam repetundarum accusaverat. Cicero Divinat. in Caecil. 21. Valer. Max. 8, 1, 11. Metellus Cottam contra Scipionem defendit, quia Scipionis erat adversarius. Cicero de Offic. 1, 25. De Amicit. 21. De republ. 1, 19, 31. Vellei. 1, 11. Val. Max. 4, 1, 12. Plin. Hist. 7, 44. Causam a. 623 (131) actam tradit Pighius t. 3. p. 14, eamque certe non ante a. 622 (132) oratam esse, ex Cic. p. Murena 28 patet.

Causam totam infra in Scipione minore enarrabimus.

2. Oratio contra Tiberium Gracchum.

Ea a. 621 (133) dicta est.

Metellus contra legem agrariam, a Tiberio Graccho, tribuno plebis, a. 621 (133) latam, dixit. Constat, multos eam dissuasisse.

Cicero Brut. 21, 81. *Q. Metelli et aliae sunt orationes, et contra Ti. Gracchum exposita est in C. Fannii annalibus.*

C. Fannii annalibus] De C. Fannio historico v. Orellii Onomast. et Krause Fragm. Historicor. p. 171.

3. Oratio de prole augenda.

Eam Metellus in censura anno 623 (131) habuit. Populus romanus in bello Punico secundo, quod tot tantasque fecerat strages, numero decrevit, nec deinde, quamvis laeta sequerentur tempora, in pristinam copiam atque multitudinem rediit. Quapropter Metellus legem tulit, ut cuncti cives ducerent uxores liberisque operam darent. Conf. *Zumpt über den Stand der Bevölkerung und die Volksvermehrung im Alterthum. Berlin* 1841. 4. p. 25.

Livius Epit. libri 59. *Q. Pompeius et Q. Metellus, tum primum uterque ex plebe facti censores, lustrum condiderunt. Q. Metellus censor censuit, ut omnes cogerentur ducere uxores liberorum creandorum causa. Extat oratio eius, quam Augustus Caesar, cum de maritandis ordinibus ageret, velut in haec tempora scriptam in senatu recitavit.*

tunc primum] a. 623 (131).

Suetonius August. 89. *Etiam libros totos et senatui recitavit et populo notos per edictum saepe fecit, ut orationes Q. Metelli de prole augenda et Rutilii de modo aedificiorum.*

Extat huiusce orationis fragmentum apud Gellium 1, 6., etsi eam non Metello Macedonico sed Metello Numidico tribuit. In editione priore dixeram, fieri posse,

ut et Metellus Macedonicus et Metellus Numidicus censores diversis temporibus simili de re egissent. Et sic Dukerus quoque iudicavit ad Livii Epit. 59. Sed magis est vero simile, Gellium eandem intelligere orationem, oscitantia vero Metellum Numidicum pro Macedonico nominavisse, ut Clintoni placet in Fastis t. 3. p. 450. Livium enim in ea re errasse, minus probabile esse dicit. Conf. Oratt. *Metelli Numidici.*

Gellius 1, 6. *Legebatur oratio Metelli Numidici, gravis ac diserti viri, quam in censura dixit ad populum de ducendis uxoribus, cum eum ad matrimonia capessenda hortaretur. In ea oratione ita scriptum fuit:*

1\. *Si sine uxore possemus, Quirites, esse, omnes ea molestia careremus: sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit, saluti perpetuae potius quam brevi voluptati consulendum.*

2\. *Di immortales plurimum possunt, sed non plus velle debent nobis quam parentes. At parentes, si pergunt liberi errare, bonis exheredant. Quid ergo nos a diis immortalibus diutius exspectemus, nisi malis rationibus finem faciamus? His demum deos propitios esse aequum est, qui sibi adversarii non sunt. Di immortales virtutem approbare, non adhibere debent.*

sed non plus velle] quamvis dii omnia possint, non tamen aliter erga homines agere debent quam parentes, qui liberis nihil dant, quo digni non sunt, atque adeo eos exheredant, si a peccatis non desistunt. Sic dii hominem non ad virtutem cogunt, sed, si virtutem amat, beatum eum reddunt. Freinsheim in Supplem. ad Liv. 68, 39 interpretatur: *Deos quidem immortales posse omnia, sed hominibus nullam esse causam opinandi, indulgentiores sibi fore, quam sint in liberos boni sapientesque patres.*

velle debent nobis] *velle nobis debent* cod. reg. *non plus velle nobis debent* i. e. non magis benevoli nobis esse debent.

quid — diutius] quid amplius?

malis rationibus] i. e. pravis consiliis, malefactis.
faciamus] *facimus* cod. reg.
adhibere] i. e. nolentibus exhibere, offerre, dare, porrigere non debent.

4. Concio . . .

Res dubia et incerta.

Acron ad Horat. Serm. 2, 1, 65. *Metello*] *Q. Caecilius Metellus consularis filios consulares vidit et ab illis elatus est; hic potens fuit tempore Scipionis Africani, et cum in concione quaedam adversus se decreta clamaret, Scipio ait: Hi sunt, quos Hannibali eripui. Patere ergo, inquit, nos liberos esse.*

Acron Scholiasta Metellum Macedonicum intelligit, sed confundit Scipionem minorem, quocum perpetuas inimicitias eum exercuisse supra diximus, cum Scipione maiore: eius enim dictum est: *Hi sunt, quos Hannibali eripui!* Conf. Ruhnken ad Velleium 1, 11, 6. Ellendt Hallische Litt. Zeit. 1834. Januar.

XII. *T. Annius Luscus.*

T. Annium Luscum consulem a. 601 (153) intelligendum opinor: eum enim oratorem fuisse, testis est Cicero. Orationum eius extat fragmentum: ii enim errant, qui orationem contra Gracchum T. Annio Lusco Rufo consuli a. 626 (128) tribuunt. erat enim Luscus iam vir consularis, (Livius auctor est) cum a. 621 (133) eam diceret: igitur Annius consul a. 601, non consul a. 626 intelligendus est. Conf. de eodem Lusco Livius l. 42, 25. l. 43, 17.

Cicero in Bruto c. 20. *T. Annium Luscum, Q. Fulvii collegam, non indisertum fuisse dicunt.*

Oratio adversus Tiberium Gracchum.

T. Annius, vir consularis, hanc orationem a. u. 621 (133) adversus leges Tiberii Gracchi habuit. Errat Pighius ad a. 620, cum scribit, T. Annium, qui con-

tra Ti. Gracchum dixisset, praeturam a. 621 (133), consulatum a. 626 (128) obtinuisse. Livius enim testis est, Annium iam consularem fuisse a. 621 (133): igitur Annius consul a. 626 alius est. Conf. Drakenborg ad Livii Epit. 58.

Livius Epit. lib. 58. *Ti. Sempronius Gracchus tribunus plebis cum legem agrariam ferret adversus voluntatem senatus et equestris ordinis, ne quis ex publico agro plus quam quingenta iugera possideret, in eum furorem exarsit, ut M. Octavio collegae causam diversae partis defendenti potestatem lege lata abrogaret seque et C. Gracchum fratrem et Ap. Claudium socerum triumviros ad dividendum agrum crearet. Promulgavit et aliam legem agrariam, qua sibi latius agrum patefaceret, ut iidem triumviri iudicarent, qua publicus ager, qua privatus esset. Deinde cum minus agri esset quam quod dividi posset sine offensa etiam plebis, quoniam eos ad cupiditatem amplum modum sperandi incitaverat, legem se promulgaturum ostendit, ut iis, qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia, quae regis Attali fuisset, divideretur. Heredem autem populum romanum reliquerat Attalus, rex Pergami, Eumenis filius. Tot indignitatibus commotus graviter senatus, ante omnes T. A n n i u s c o n s u l a r i s, qui cum in senatu in Gracchum perorasset, raptus ab eo ad populum delatusque plebi, rursus in eum pro rostris contionatus est.*

Plut. Tib. Graccho c. 14. *Τίτος Ἄννιος, οὐκ ἐπιεικὴς μὲν οὐδὲ σώφρων ἄνθρωπος, ἐν δὲ λόγῳ περὶ τὰς ἐρωτήσεις καὶ ἀποκρίσεις ἄμαχος εἶναι δοκῶν, εἰς ὁρισμόν τινα προὐκαλεῖτο τὸν Τιβέριον, ἦ μὴν ἱερὸν ὄντα καὶ ἄσυλον ἐκ τῶν νόμων ἠτιμωκέναι τὸν συνάρχοντα. Θορυβούντων δὲ πολλῶν ἐκπηδήσας ὁ Τιβέριος τόν τε δῆμον συνεκάλει καὶ τὸν Ἄννιον ἀχθῆναι κελεύσας ἐβούλετο κατηγορεῖν. Ὁ δὲ καὶ τῷ λόγῳ καὶ τῇ δόξῃ πολὺ λειπόμενος εἰς τὴν ἑαυτοῦ δεινότητα κατεδύετο καὶ παρεκάλει μικρὰ πρὸ τῶν λόγων ἀποκρίνασθαι τὸν Τιβέ-*

ριον. *Συγχωροῦντος δ' ἐρωτᾶν ἐκεῖνον καὶ σιωπῆς γενομένης εἶπεν ὁ Ἄννιος· ἂν σὺ μὲν ἀτιμοῦν με βούλῃ καὶ προπηλακίζειν, ἐγὼ δέ τινα τῶν σῶν ἐπικαλέσωμαι συναρχόντων, ὁ δ' ἀναβῇ βοηθήσων, σὺ δ' ὀργισθῇς, ἆρά γ' αὐτοῦ τὴν ἀρχὴν ἀφαιρήσῃ; πρὸς ταύτην λέγεται τὴν ἐρώτησιν οὕτω διαπορηθῆναι τὸν Τιβέριον, ὥστε πάντων ὄντα καὶ τῷ λέγειν ἑτοιμότατον καὶ τῷ θαρρεῖν ἰταμότατον ἀποσιωπῆσαι.*

Τίτος Ἄννιος] Kallwasser in nota ad h. l. non aliter quam Pighius T. Annium Luscum Rufum intelligit, qui postea a. u. 626 (128) consul fuit. Id falsum est, quia in Livio T. Annius iam consularis fuisse dicitur, unde patet, consulem anni 601 (153) significari.

Festus p. 314. *Satura* et cibi genus ex variis rebus conditum est, et lex multis aliis legibus conferta. — — *T. Annius Luscus in ea, quam dixit adversus Ti. Gracchum: Imperium quod plebes per saturam dederat, id abrogatum est.*

imperium] Turnebi Adversaria 26, 34 p. 944.: Ti. Gracchus Octavio collegae imperium, quo lege populi praeditus fuerat, violenter derogavit.

XIII. *Servius Sulpicius Galba.*

Natus esse videtur a. 563 (191), (si praeturam anno legitimo, XL aetatis, obtinuit).

Tribunus militum in exercitu L. Aemilii Paulli in Macedonia a. u. 587 (167). Livius 45. 35, 37. Praetor a. 603 (151) male adversus Lusitanos pugnavit. Liv. Epit. 48. Orosius 4, 21. Consul fuit a. 610 (144).

Ceterum tres Sulpicii oratores fuere celeberrimi, is, de quo hic agitur, deinde P. Sulpicius Rufus atque Servius Sulpicius Rufus, de quibus infra dicetur.

Cicero Bruto c. 21. *Inter hos* (Laelium et Scipionem) *aetate paulum his antecedens sine controversia Ser. Galba eloquentia praestitit, et nimirum is princeps ex latinis illa oratorum propria et quasi legitima opera tractavit, ut egrederetur a proposito*

ornandi causa, ut delectaret animos, ut permoveret, ut augeret rem, ut miserationibus, ut communibus locis uteretur. Sed nescio quo modo huius, quem constat eloquentia praestitisse, exiliores orationes sunt et redolentes magis antiquitatem quam aut Laelii aut Scipionis aut etiam ipsius Catonis, itaque exaruerunt, vix iam ut appareant.

ibidem c. 86, 295. *Galbam laudas. Si ut illius aetatis principem, assentior; sic enim accepimus. Sin ut oratorem, cedo, quaeso, orationes (sunt enim) et dic, hunc, quem tu plus quam te amas, Brutum velle te illo modo dicere.*

ibidem c. 97, 333. *Nonne cernimus, vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles constitisse? Galba fuit inter tot aequales unus excellens, cui, quemadmodum accepimus, et Cato cedebat senior et qui temporibus illis aetate inferiores fuerunt.*

Cicero de Oratore 3, 7, 27. *Adspicite nunc eos homines atque intuemini, quorum de facultate quaerimus, quid intersit inter oratorum studia atque naturas. — Gravitatem Africanus, lenitatem Laelius, asperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo et canorum. Quis horum non princeps temporibus illis fuit, et suo tamen quisque in genere princeps?*

Livius l. 45, 39. *Galba nihil praeterquam loqui, et id ipsum maledice ac maligne didicit.*

Taciti Dialog. de Orator. c. 18. *Haec ideo praedixi, ut, si qua ex horum oratorum fama gloriaque laus temporibus acquiritur, eandem docerem in medio sitam et propiorem nobis quam Servio Galbae, Gaio Carboni, quosque alios merito antiquos vocaverimus. sunt enim horridi et impoliti et rudes et informes, et quos utinam ne in illa parte imitatus esset Calvus vester aut Coelius aut ipse Cicero.*

ibid. c. 25. *Quod ad Servium Galbam et C. Laelium adtinet, et si quos alios antiquorum agitare*

non destitit, non exigit defensorem, cum fatear quaedam eloquentiae eorum ut nascenti adhuc nec satis adultae defuisse.

1. Orationes duae adversus L. Scribonium Libonem tribunum plebis.

Ea causa acta est a. 605 (149). Conf. *Catonis oratio in Serv. Sulp. Galbam pro Lusitanis p.* 120.

Livii Epit. lib. 49. *Cum L. Scribonius tribunus pl. rogationem promulgasset, ut Lusitani, qui in fidem populi romani dediti, a Ser. Galba in Galliam venissent, in libertatem restituerentur, M. Cato acerrime suasit. Extat oratio in annalibus eius inclusa. Q. Fulvius Nobilior, et saepe ab eo in senatu laceratus, respondit pro Galba. Ipse quoque Galba, cum se damnari videret, complexus duos filios praetextatos et Sulpicii Galli filium, cuius tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, ut rogatio antiquaretur. E x t a n t t r e s o r a t i o n e s e i u s, duae adversus Libonem tribunum pl. rogationemque eius habitae de Lusitanis, una contra L. Cornelium Cethegum, in qua Lusitanos propter sese castra habentes caesos fatetur, quod compertum habuerit, equo atque homine suo ritu immolatis per speciem pacis adoriri exercitum suum in animo habuisse.*

Suetonius Galba c. 3. *Familiam illustravit Ser. Galba consularis et temporum suorum eloquentissimus, quem tradunt, Hispaniam ex praetura obtinentem triginta Lusitanorum millibus perfidia trucidatis Viriathini belli causam extitisse.*

triginta millibus] immodice auxit numerum Suetonius aut annalium scriptor, quem secutus est.

Cicero Bruto c. 23, 89. *Ex hac Rutilii narratione suspicari licet, — elegantiam in Laelio, vim in Galba fuisse. Quae quidem vis tum maxime cognita est, cum Lusitanis a Ser. Galba praetore contra interpositam, ut existimabatur, fidem interfectis, L.*

Libone tribuno pl. populum incitante et rogationem in Galbam privilegii similem ferente, summa senectute M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit. Tum igitur nihil recusans Galba pro sese et populi romani fidem implorans cum suos pueros tum C. Galli etiam filium flens commendabat, isque se tum eripuit flamma, propter pueros misericordia populi commota.

Valerius Max. 8, 1, 2. *Cum a Libone tribuno pl. Ser. Galba pro rostris vehementer increparetur, quod Lusitanorum magnam manum interposita fide praetor in Hispania interemisset, actionique tribuniciae Cato — subscriberet, reus pro se iam nihil recusans, parvulos liberos suos et Galli, sanguine sibi coniunctum filium flens commendare coepit, eoque facto mitigata concione, qui omnium consensu periturus erat, pene nullum triste suffragium habuit.*

Fronto has orationes Galbae legisse videtur.

Fronto Epist. p. 85. *Galbam certe ad Centumcellas produces. — Cato quid dicat de Galba absoluto, tu melius scis, ego memini propter fratris filios eum absolutum. τὸ δὲ ἀκριβὲς ipse inspice.*

Galbam] nihil aliud nisi Galbae orationes adversus Libonem intelligendum puto.

2. Oratio adversus L. Cornelium Cethegum.

In eadem causa anno 605 (149) dicta. L. Cethegi meminit Drumann Gesch. Roms t. 2. p. 556.

Huc pertinet Livii Epit. lib. 49, quem locum supra dedimus.

3. Oratio pro publicanis.

Haec causa acta est a. 616 (138). Vide *Laelii orationes pro publicanis p.* 172.

Cicero narrat in Bruto c. 22, *Laelium* (postquam duas actiones in causa pro publicanis suscepisset) *cum eum socii domum reduxissent egissentque gratias,*

et ne defatigaretur oravissent, locutum esse ita: se quae fecisset honoris eorum causa studiose accurateque fecisse, sed se arbitrari causam illam a Ser. Galba, quod is in dicendo atrocior acriorque esset, gravius et vehementius posse defendi, itaque auctoritate C. Laelii publicanos causam detulisse ad Galbam, illum autem, quod ei viro succedendum esset, verecunde et dubitanter recepisse. Unum quasi comperendinatus medium diem fuisse, quem totum Galbam in consideranda causa componendaque posuisse. — — Quid multa? magna exspectatione plurimis audientibus coram ipso Laelio sic illam causam tanta vi tantaque gravitate dixisse Galbam, ut nulla fere pars orationis silentio praeteriretur. itaque multis querelis multaque miseratione adhibita socios omnibus approbantibus illa die quaestione liberatos esse.

socii] die Pachtgesellschaft. Ii publicani, quibus silva Sila publice locata erat, caedis rei fuere, eorumque causam defendit Laelius, deinde Galba.

XIV. *C. Laelius Sapiens.*

Ellendt p. XXVI statuit, Laelium anno 567 (187) vel 568 (186) natum esse. Erat deinde tribunus plebis a. 603 (151), praetor a. 609 (145), consul cum Q. Servilio Caepione anno 614 (140).

Cicero in Bruto c. 21. *C. Laelius et P. Africanus in primis eloquentes, quorum extant orationes, ex quibus existimari de ingeniis oratorum potest.— De ipsius Laelii et Scipionis ingenio, quamquam ea est iam, ut plurimum tribuatur ambobus, dicendi tamen laus est in Laelio illustrior.* c. 23. *Elegantia in Laelio, vis in Galba fuit.*

ibid. c. 86. *Probas Lepidi orationes. paulum hic tibi assentior. modo ita laudes ut antiquas. quod idem de Africano, de Laelio, cuius tu oratione negas fieri quidquam posse dulcius, addis etiam,*

nescio quid augustius. nomine nos capis summi viri vitaeque elegantissimae verissimis laudibus. Remove haec. nae ista dulcis oratio ita sit abiecta, ut eam aspicere nemo velit.

Cicero de Oratore 1, 49, 215. *Multum inter se distant istae facultates, longeque sunt diversae atque seiunctae, neque eadem ratione ac via M. Cato, P. Africanus, Q. Metellus, C. L a e l i u s, qui omnes eloquentes fuerunt, orationem suam et rei publicae dignitatem exornabant.*

P. Africanus] minor. *Q. Metellus*] Macedonicus.

Velleius 2, 9. *Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Aemilianus, L a e l i u s que, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius. Nec praetereundus Metellus Numidicus et Scaurus, et ante omnes L. Crassus et M. Antonius.*

Quintilian 12, 10, 10. *In oratione vero si species intueri velis, totidem pene reperias ingeniorum quot corporum formas. Sed fuere quaedam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam iam ingenii vim prae se ferentia. Hinc sint L a e l i i, Africani, Catones etiam Gracchique, quos tu licet Polygnotos vel Callonas appelles. Mediam illam formam teneant L. Crassus, Q. Hortensius. Tum deinde efflorescat non multum inter se distantium tempore oratorum ingens proventus. At M. Tullium, non illum habemus Euphranorem circa plurium artium species praestantem, sed in omnibus, quae in quoque laudantur, eminentissimum.*

ibid. 12, 10, 39. *Non Scipio, L a e l i u s, Cato in eloquendo velut A t t i c i R o m a n o r u m fuerunt?*

Appuleius Apologia p. 589. ed. Oud. *Quamcunque orationem struxerit Avitus, ita illi erit undique perfecte absoluta, ut in illa nec Cato gravitatem requirat, n e c L a e l i u s l e n i t a t e m nec Gracchus impetum nec Caesar calorem nec Hortensius distribu-*

tionem nec Calvus argutias nec parsimoniam Salustius nec opulentiam Cicero.

Novimus adhuc paucas tantum Laelii orationes.

1. Oratio de Collegiis contra legem Liciniam.

Eam orationem Laelius in practura a. 609 (145) habuit. C. Licinius Crassus (vid. Drumann t. 4. p. 58.) tribunus plebis legem tulerat, ut sacerdotes non amplius collegiis pontificum, sed a populo in comitiis non aliter quam reliqui magistratus crearentur. Ea autem re non solum conditionem sacerdotum, sed instituta quoque sacra et totam pene rem publicam mutatam fore, facile intelligi potest: si enim Licinius effecisset, ut a populo crearentur sacerdotes, non amplius cuncta sacerdotum collegia optimatium partibus stetissent, sed plebi favissent, cum ii potissimum a populo electi forent, qui populares erant, non ii, qui optimatium causam defendebant; nec diutius optimates, collegiis adiuti sacerdotum, hominibus popularibus, novas res molientibus, resistere potuissent. Laelius in oratione sua ea potissimum causa legem Licinii impugnavit, quod nova haec creandi ratio more maiorum et sacris populi romani vetita esset. Lex perlata non est. Plures postea idem voluere, nec tamen ante annum 650 (104) vicerunt. Drumann t. 3. p. 15. Ius Pontificium von Hüllmann p. 33 sqq. Rubino über röm. Verf. u. Gesch. p. 335.

Cicero Brut. 21. *De ipsius Laelii et Scipionis ingenio, quamquam ea est iam, ut plurimum tribuatur ambobus, dicendi tamen laus est in Laelio illustrior. At oratio Laelii de collegiis non melior quam de multis quam voles Scipionis, non quo illa Laelii quidquam sit dulcius, aut quo de religione dici posset augustius, sed multo tamen vetustior et horridior ille quam Scipio, et cum sint in dicendo variae voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur, et lubenter verbis etiam uti paulo magis priscis Laelius.*

Cicero Laelio c. 25. *Meministis, Q. Maximo fratre Scipionis et L. Mancino consulibus quam popularis lex de sacerdotiis C. Licinii Crassi videbatur: cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur, atque is primus instituit, in forum versus agere cum populo, tamen illius vendibilem orationem religio deorum immortalium nobis defendentibus facile vincebat. Atque id actum est praetore me, quinquennio ante quam consul sum factus.*

Q. Maximo] Q. Fabius Maximus Aemilianus, Aemilii Paulli filius pariter atque Scipio Aemilianus minor.

Cicero De natura deorum 3, 2. *Cum de religione agitur, Ti. Coruncanium, P. Scipionem, P. Scaevolam pontifices maximos, non Zenonem aut Cleanthem, aut Chrysippum sequor, habeoque C. Laelium augurem eundemque sapientem, quem potius audiam de religione dicentem in illa oratione nobili quam quemquam principem Stoicorum.*

ibid. lib. 3, 17. *Quando enim me in hunc locum deduxit oratio, docebo meliora me didicisse de colendis diis immortalibus iure pontificio et more maiorum, capedunculis iis, quas Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Laelius, quam rationibus Stoicorum.*

Nonius p. 398. *Samium* est testeum. M. Tullius de republica lib. VI. *Oratio extat Laeli, quam omnes habemus in manibus, quam simpuvia pontificum diis immortalibus grata sint, Samiaeque, ut is scribit, capedines.*

simpuvia] simpuvium, calix ligneus.

capedines] capedo, capeduncula, capis vasis genus est pontificialis. Priscian. t. 1. p. 263. Cicero Paradox. 1. 2, 11. *Minusne gratas diis immortalibus capedines ac fictiles hirnulas fuisse quam filicatas istorum pateras arbitramur?*

In editione priore adieci locum Macrobii Saturnal. 1, 6., ubi liber *M. Laelii auguris* memoratur, corrigendumque putabam *Cai Laelii*, sed curni *M.* quidam

Laelius augur aliquando de religione et de sacris institutis, de quibus multi scripsere, librum confecerit?

2. Orationes duae pro publicanis.

Hanc causam Laelius egit a. u. 616 (138), sed duabus actionibus habitis Ser. Sulpicio Galbae eam detulit, ut supra diximus p. 167.

Cicero in Bruto 22. *Memoria teneo, Smyrnae me ex P. Rutilio Rufo audivisse, cum diceret adolescentulo se accidisse, ut ex senatus consulto P. Scipio et D. Brutus (ut opinor) consules de re atroci magnaque quaererent. Nam cum in silva Sila facta caedes esset, notique homines interfecti, insimulareturque familia, partim etiam liberi societatis eius, quae picarias de P. Cornelio L. Mummio censoribus redemisset, decrevisse senatum, ut de ea re cognoscerent et statuerent consules, causam pro publicanis accurate, ut semper solitus esset, eleganterque dixisse Laelium. Cum consules re audita amplius de consilii sententia pronuntiavissent, paucis interpositis diebus iterum Laelium multo diligentius meliusque dixisse, iterumque eodem modo a consulibus rem esse prolatam. Tum Laelium, cum eum socii domum reduxissent egissentque gratias et, ne defatigaretur, oravissent, locutum esse ita, se quae fecisset, honoris eorum gratia studiose accurateque fecisse, sed se arbitrari causam illam a Servio Galba, quod is in dicendo atrocior acriorque esset, gravius et vehementius posse defendi, itaque auctoritate C. Laelii publicanos causam detulisse ad Galbam.*

P. Scipio et D. Brutus consules] a. 616 (138).

liberi] an opponuntur familiae? ita ut servi et liberi caedis rei esse ferrentur.

P. Cornelio et L. Mummio censoribus] a. 612 (142).

3. Dissuasio legis Papiriae.

Ea oratio a. 623 (131) dicta est.

C. Papirius Carbo tribunus plebis anno 623 (131) rogationem tulit, ut eundem tribunum plebi, quoties vellet, creare liceret, sed Laelius et Scipio Africanus rogationem dissuaserunt. C. Gracchus contra suasit legem popularem, quae effecisset, ut auctoritas et potentia optimatium minueretur. Lex perlata non est. Conf. Livii Epit. lib. 59.

Cicero Laelio 25. *Concio, quae ex imperitissimis constat, tamen iudicare solet, quid intersit inter popularem, id est, assentatorem et levem civem, et inter constantem severum et gravem. Quibus blanditiis C. Papirius nuper influebat in aures concionis, cum ferret legem de tribunis plebis reficiendis. Dissuasimus nos.* Conf. C. Gracchi oratio atque Africani.

4. Oratio pro se apud populum.

Haec causa aliunde nota non est, sed cum sciamus, Laelium sese multum opposuisse C. Papirio Carboni atque Gracchis, praesertim in dissuasione legis Papiriae, verisimile est, ab his eum apud populum reum factum, a. 623 (131) vel 625 (129).

Festus p. 314. *Satura* et cibi genus ex variis rebus conditum est et lex multis aliis legibus conferta. . . . . *C. Laelius in ea, quam pro se dixit: Dein postero die quasi per saturam sententiis exquisitis in deditionem accipitur.*

Satura] v. Göttling Gesch. d. röm. Staatsv. p. 353. qui explicat, quid *lex satura* sit.

C. Laelius] Laelii verba apud Festum exciderunt; id enim exemplum, quod apud eum deinceps legitur, ex Salustii Iugurtha 29, 7. sumtum. Grammaticum autem ipsum in ea re errasse, ut Perizonius in Animadvers. histor. p. 379 arbitratur, probabile non est. Vere igitur Müllerus adnotat: *Exciderunt Laelii verba et Salustii nomen.*

Festus p. 193. *Obsidium* tamquam praesidium, subsidium recte dicitur. Cuius etiam auctor *C. Laelius pro se apud populum: Ut in nobis terra marique simul obsidium facerent.*

ut in nobis] *uti nobis* vere correxit Ant. Augustinus, *ut ii nobis* Falsterus Memoriis p. 72.

Alb. Lion in Indice scriptorum, editioni Festi Müllerianae adiecto p. 441, putat, locum Festi p. 182 *Oreae: Coelius pro se apud populum: equusque mihi sub feminibus occisus erat, oreas detraho inspectante L. Stertinio* — non Coelio sed Laelio vindicandum, eamque amplector libenter opinionem. Vide *Coelii orationes.*

5. Laudatio P. Scipionis Africani, Q. Tuberoni scripta.

Hanc laudationem funebrem scripsit anno 625 (129), quo anno P. Africanus minor supremum diem obiit, interemptus, ut fama erat, a C. Carbone. Duo adolescentes, Africani nepotes, eum pro rostris laudarunt. Laelius ambobus orationes scripsit. Q. Tubero inter oratores infra nominabitur.

Cicero de Oratore 2, 84, 341. *Nostrae laudationes, quibus in foro utimur, aut testimonii brevitatem habent nudam atque inornatam, aut scribuntur ad funebrem concionem, quae ad orationis laudem minime accommodata est. Sed quoniam est utendum aliquando, nonnumquam etiam scribendum, velut Q. Tuberoni Africanum avunculum laudanti scripsit C. Laelius, — sit a nobis quoque tractatus is locus.*

Q. Tuberoni] praenomen correxi ex Bruto c. 31. p. Murena 36. *P. Tuberoni* vulgo legebatur.

6. Laudatio P. Scipionis Africani, Q. Fabio Maximo scripta.

In funere P. Scipionis minoris oratio funebris a Q. Fabio Maximo, Africani nepote, qui postea Allobrogi-

cus dictus est, habita. eam orationem Fabio Laelius scripsit.

Cicero pro Murena c. 36. *Africanum cum supremo die Maximus laudaret, gratias egit diis immortalibus, quod ille vir in hac republica potissimum natus esset: necesse enim fuisse, ibi esse terrarum imperium, ubi ille esset.*

Scholia Bobiensia in Cicer. orat. p. Milone p. 283 edit. Orelli: *P. Scipio Aemilianus, cum Latinorum causam societatis iure contra C. Gracchum triumvirum eiusque collegas perseveranter defensurus esset, ne ager ipsorum divideretur, repentina morte domi suae interceptus est, non sine infamia et ipsius C. Gracchi et uxoris suae Semproniae: qui excessit vita LVI annos natus, in eiusque faucibus vestigia livoris inventa sunt. Super eius laudibus extat oratio C. Laeli Sapientis, qua usus videtur Q. Fabius Maximus in laudatione mortui Scipionis, in cuius extrema parte haec verba sunt:*

Quiapropter neque tanta diis immortalibus gratia haberi potest, quanta habenda est, quod is cum illo animo atque ingenio hac civitate potissimum natus est, neque ita moleste atque aegre ferri quam ferundum est, quum eo morbo mortem obiit et in eodem tempore periit, quum et vobis et omnibus, qui hanc rempublicam salvam volunt, maxime vivo opus est, Quirites.

quiapropter] in edit. priore legendum dixi *quapropter*. Sed mutandum non videtur; similiter veteres *quianam* pro quare, quod Virgilius quoque carminibus suis inseruit teste Quintiliano 8, 3, 25.

hac civitate] fortasse legendum *in hac civitate*. ut supra: *quod ille vir in hac republica potissimum natus esset.*

mortem obiit] sic Orellius emendavit codicis scripturam *cum eo morborum te movit*. Maius *cum eo morbo obiit*.

in eodem tempore] an *in eo tempore?* Orellius meam coniecturam probat, cum syllaba *dem* e geminatione sequentis *tem* videatur orta.

opus est] *opus esset* in ed. pri. conieci, probantibus Orellio et Duebnero.

Fragmenta incerta.

Priscian. t. 1. p. 369. *Laelius: Impubes libripens esse non potest neque antestari*, προδιαμαρτυρηθῆναι.

Laelius] non satis constat, C. Laelium Sapientem hic intelligi; fragmentum enim potius auctori cuidam de iure tribuendum videtur, velut Laelio Felici, cuius librum ad Q. Mucium Scaevolam Gellius laudat 15, 27. (v. Maiansius t. 2 p. 208.) Erant, qui Livio traderent, et in ipsa editione Drakenborchii t. XIV. p. 810 ed. Stuttg. inter fragmenta eius legitur. Alius est Q. Laelius, quem unum ex principibus grammaticis appellat Charisius p. 81. Sed Duebner *L. Aelius* verum putat, idque probo.

libripens] Rein das röm. Privatrecht p. 139.

antestari] v. Analecta Krehlii ad t. 2. p. 525. Interpretes ad Horat. Satir. 1, 9, 76. Rein l. l.

XV. *P. Cornelius Scipio Aemilianus Africanus minor.*

Natus est a. 569 (185) (decessit enim anno aetatis LVI. a. u. 625). Conf. Clinton Fasti T. 3. p. 59. Ellendt autem scribit p. XXVI., natalem Scipionis annum esse 572 vel 573. Plutarchus vero, cuius infra afferemus verba, testis est, Scipionem natum esse a. 571 (183): scribit enim, cum mortuum esse LIV aetatis anno.

A. 603 (151) tribunus militum in Celtiberia.

A. 605 (149) contra Carthaginienses feliciter pugnat et exercitum Manilii consulis servat.

A. 606 (148) regnum Masinissae inter filios eius divisit.

A. 607 (147), dum aedilitatem peteret, consul factus est, XXXVII annos natus, legibus solutus. Bellum Punicum tertium confecit et ex Africa triumphavit a. 608 (146).

Censuram gessit a. 612 (142).

Consul iterum creatur a. 620 (134), bellumque Numantinum ei decretum est. A. 622 (132) de Numantinis triumphavit.

A. 625 (129), cum ferveret seditio a C. Graccho, C. Carbone, M. Fulvio Flacco triumviris agris divi-

dundis excitata, Africanus consiliis eorum se opposuit, et clam interemtus est, anno fere aetatis quinquagesimo sexto, ut Velleius scribit 2, 4. et Scholia Bobiensia in Cic. or. p. Mil. p. 283 ed. Orelli, vel anno LIV, ut Plutarch. Apophthegm. T. VIII. ed. Hutten p. 150 dicit: ἔτεσιν πεντήκοντα καὶ τέσσαρσιν ἐβίωσε.

Cicero in Bruto c. 21. *C. Laelius et P. Africanus inprimis eloquentes, quorum extant orationes, ex quibus existimari de ingeniis oratorum potest. — De ipsius Laelii et Scipionis ingenio, quamquam ea est iam, ut plurimum tribuatur ambobus, dicendi tamen laus est in Laelio illustrior.*

Cicero de oratore 1. 49. 215. *Multum inter se distant istae facultates, longeque sunt diversae atque seiunctae, neque eadem ratione ac via M. Cato, P. Africanus, Q. Metellus, C. Laelius, qui omnes eloquentes fuerunt, orationem suam et reip. dignitatem exornabant.*

Velleius 2, 9. *Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Aemilianus, Laeliusque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius, nec praetereundus Metellus Numidicus et Scaurus, et ante omnes L. Crassus et M. Antonius.*

Quintil. 12, 10, 10. *In oratione vero si species intueri velis, totidem pene reperias ingeniorum quot corporum formas. Sed fuere quaedam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam iam ingenii vim prae se ferentia. Hinc sint Laelii, Africani, Catones etiam Gracchique, quos tu licet Polygnotos vel Callonas appelles.*

Fronto quoque, qui M. Antoninum imperatorem litteris instituit, orationum meminit Scipionis, ut ex epistola Marci Caesaris ad eum lib. 2. 13. p. 58 cognosci potest: *Feci tamen mihi, inquit, per hos dies excerpta ex libris sexaginta in quinque tomis. sed cum leges sexaginta, inibi sunt et Novianae Atellaniolae et Scipionis oratiunculae, ne tu numerum nimis expavescas.*

Novianae Atellaniolae] sic correxit Maius atque Duebnerus. Vulgo legitur *Novianae et Atellaniolae*.

Gellius 2, 20. *Scipio omnium aetatis suae purissime locutus est.*

1. Oratio, postquam ex Africa rediit.

Dicta est a. 608 (146).

P. Scipio tertium bellum Punicum confecit, Carthaginem diruit atque Africam in provinciae formam redegit. Postquam ex Africa rediit, orationem de rebus suis gestis habuit et splendidissimum de Poenis et Asdrubale triumphum egit a. 608 (146). Conf. Sigonius in libro de vita et rebus gestis P. Scipionis Aemiliani p. 632 edit. Arntzen.

Festus p. 258. *Quatenus* significat qua fine, ut hactenus hac fine. At *quatinus* quoniam; sed antiqui quatenos dicebant, *ut Scipio Africanus in ea oratione, quam scripsit, postquam ex Africa rediit: Uti negotium natum erat, quatenos castra nostra ita munita erant, ut posses partem exercitus abducere.*

natum] Plaut. Truculent. 5, 70. *Fiat, ut rem natam video, hoc accipiendum est, quod datur.*

2. Oratio pro rostris, cum censor creatus erat.

A. 612 (142) dicta.

P. Scipio Africanus et L. Mummius, nec ingenio nec moribus convenientes, cum a populo censores creati essent, Scipio orationem pro rostris habuit, in qua ingenue professus est, qua ratione munera censoria administraturus esset, et simul Mummium collegam perstrinxit, dictoque notavit,

Valerius Max. 6, 4, 2. *Nihilo segnior Scipionis Aemiliani aut in curia aut in concione gravitas, qui cum haberet consortem censurae Mummium, ut nobilem ita enervis vitae, pro rostris dixit, se ex maiestate reip. omnia gesturum, si sibi cives vel dedissent collegam vel non dedissent.*

Aurelius Victor de viris ill. 58. *Scipio Aemilianus censor Mummio collega segniore in senatu ait: utinam mihi collegam aut dedissetis aut non dedissetis!*

3. Oratio, quam dixit in censura, cum ad maiorum mores populum hortaretur.

Oratio anno 612 (142) dicta.

Gellius 4, 20. *Inter censorum severitates tria haec exempla in litteris sunt castigatissimae disciplinae. Unum est huiuscemodi. Censor adigebat de uxoribus solenne iusiurandum. Verba erant ita concepta: Ut tu ex animi tui sententia uxorem habes? Qui iurabat, cavillator quidam et canicola et nimis ridicularius fuit. Is locum esse sibi ioci dicundi ratus, cum ita, uti mos erat, censor dixisset: ut tu ex animi tui sententia uxorem habes? Habeo equidem, inquit, uxorem, sed non hercle ex animi mei sententia. Tum censor eum, quia intempestive lascivisset, in aerarios retulit, causamque hanc ioci scurrilis apud se dicti subscripsit. Altera severitas eiusdem sectae disciplinaeque est. Deliberatum est de nota eius, qui ad censores ab amico advocatus est, et in iure stans clare nimis ac sonore oscitavit, atque inibi ut plecteretur fuit, tamquam illud indicium esset vagi animi et alucinantis et fluxae atque apertae securitatis. Sed cum ille deiurasset, invitissimum sese ac repugnantem oscitatione victum, tenerique eo vitio, quod oscedo appellatur, tum notae iam destinatae exemtus est. P. Scipio Africanus, Pauli f. utramque historiam posuit in oratione, quam dixit in censura, cum ad maiorum mores populum hortaretur.*

habeo equidem] Id accidit a. 570 (184) Catone censore, ut ex Cic. de orat. 2, 64 novimus. Vid. Drakenborch ad Liv. 39, 42. Quaerebatur a censore in censendis civibus, haberentne uxores an coeli-

bes esseot: censorum enim erat officium, uxorium exigere a coelibe. Id aes poenae nomine primi exegerunt M. Furius Camillus et M. Postumius censores a. 350 (403). Vid. Scaliger ad Festum v. *Uxorium*. Valer. Max. 2, 9, 1.

ex animi tui sententia] duplici sensu accipi potest: ea enim verba non tantum significant *ex tua voluntate*, sed in iure iurando solemnia „bei Ehr und Gewissen"

Gellius 5, 19. *Animadvertimus in oratione P. Scipionis, quam censor habuit ad populum de moribus, inter ea, quae reprehendebat, quod contra maiorum instituta fierent, id etiam eum culpavisse, quod filius adoptivus patri adoptatori inter praemia patrum prodesset. Verba ex ea oratione haec sunt: In alia tribu patrem, in alia filium suffragium ferre, filium adoptivum tam procedere, quam si se natum habeat; absentes censeri iubere, ut ad censum nemini necessum sit venire.*

inter praemia patrum] pater, qui plures filios genuerat, beneficia quaedam, legibus et more maiorum constituta accepit. Deinde paulatim receptum erat, ut ei, qui filios non naturales, sed adoptivos tantum haberet, iisdem uti beneficiis liceret. Quod contra legem et consuetudinem Romanorum erat. De praemiis maritorum patrumque, quae lege Julia Popaea fixa erant, locutus est Lipsius in Excursu ad Taciti Annal. 3, 25. Idem de nostro loco dixit in Taciti annalibus 15, 19. Institutionum lib. 1. Tit. XXV. 1. *Adoptivi liberi non prosunt, in adoptionem autem dati naturali patri prosunt.* Cf. Zumpt über d. Stand d. Bevölkerung p. 43.

in alia tribu] id vetitum erat: filius enim adoptivus in tribum patris adoptivi receptus, non amplius in tribu patris naturalis suffragium tulit.

procedere] i. e. tantundem prodesse patri adoptivo.

absentes censeri] antea cives Romae tantum censum iurati deferebant; et ex provinciis statuto tempore Romam ad censendum migrare solebant, deinde invaluit mos, ut in provinciis quoque tabulae conficerentur censuales. Conf. Fuss Antiquit. Rom. p. 69. Velleius 2, 15.

Paulus p. 151. *Millus* collare canum venaticorum, factum ex corio confixumque clavis ferreis eminentibus

adversus impetum luporum. *Scipio Aemilianus ad populum: Vobis, inquit, reique publicae praesidio erit is, quasi millus cani.*

ad populum] in orationem de moribus ad populum fragmentum referendum arbitror.

4. Oratio adversus P. Sulpicium Gallum.

Oratio censoria a. 612 (142) dicta. P. Scipio Sulpicium Gallum ignominia censoria notavit.

Gellius 7, 12. *Tunicis uti virum prolixis ultra brachia et usque in primores manus ac prope in digitos, Romae atque omni in Latio indecorum fuit. Eas tunicas graeco vocabulo nostri χειριδωτούς appellaverunt. — Hac antiquitate inductus P. Africanus Pauli f., vir omnibus bonis artibus atque omni virtute praeditus, P. Sulpicio Gallo, homini delicato, inter pleraque alia, quae obiectabat, id quoque probro dedit, quod tunicis uteretur manus totas operientibus. Verba sunt haec Scipionis:*

Nam qui cotidie unguentatus adversum speculum ornetur, cuius supercilia radantur, qui barba vulsa feminibusque subvulsis ambulet, qui in conviviis adolescentulus cum amatore, cum chiridota tunica interior accubuerit, qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit: eumne quisquam dubitet, quin idem fecerit, quod cinaedi facere solent?

adversum speculum] i. e. vor dem Spiegel. Hand Tursellin. t. 1. p. 180.

cum chiridota tunica] Gallus von Becker T. 2. p. 88. Idem Iulio Caesari obiiciebatur. Drumann Roms Gesch. t. 3. p. 737.

interior] Lipsii coniecturam ad Taciti Annal. XI, 2. sum secutus. In accubitu, inquit, ille mos, ut uxores recumberent in sinu virorum. Sed et amicae puerique meritorii non aliter iacebant apud amatores. id vocabant interiorem iacere. itaque Scipio arguit ecce mollitiem a decubitu ipso — *inferior* vulgo.

5. Oratio pro aede Castoris.

Oratio, opinor, censoria, anno 612 (142) dicta.

Inscriptio quidem ambigua, quae varie accipi potest. Alii enim intelligunt, Scipionem aedem Castoris dedicasse: id vero aliunde notum non est, sed aedem Herculis ab eo in censura dedicatam accepimus. Freinshemius Supplem. ad Liv. lib. 54, 6. Alii autem melius, *pro aede Castoris* nihil aliud esse nisi *in aede Castoris* (Die Rede gehalten im Tempel des Castor), loco nitentes Festi pag. 246. „*pro censu classis iuniorum Ser. Tullius cum dixit in descriptione centuriarum, accipi debet in censu, sicuti pro aede Castoris, pro tribunali, pro testimonio.*" — Conf. Dacerius ad Festum p. 589. ed. Lindemanni. Similiter dicebant pro rostris, pro vallo. In aede igitur Castoris orationem dixit Africanus, in eoque templo senatus saepenumero convocari, atque maximarum rerum frequentissimae quotidie advocationes fieri solebant, ut Cicero ait Verr. Accusat. 1. 49, 129. vid. Klotz ad h. l. T. 2. p. 730. Similiter M. Antonius orationem *pro aede Castoris* habuisse dicitur. Cic. Philipp. 3, 11. Aedes Castoris in foro romano fuisse traditur. Bunsen Beschreibung Roms T. 3. p. 63. T. 3. P. 2. p. 87. Ambrosch Studien im Gebiet des altrömischen Bodens 1 Heft p. 99.

Festus p. 286. *Reque eapse Scipio Africanus, Paulli filius, cum pro aede Castoris dixit*, hac compositione usus est: *Quibus de hominibus ego saepe atque in multis locis opera, factis, consiliis reque eapse saepe benemeritus spem.* id est, et re ipsa.

reque eapse] fortasse legendum *reque apse*: contractioni enim *reapse* pro re ipsa copulam interiecit Scipio. Vide Huschke Comment. de Annio Cimbro p. 45.

saepe benemeritus] *saepe* delendum dicit Ant. Augustin. prob. Müllero.

spem] legendum *siem*. Scalig. et Ursin. prob. Müll.

6. Orationes pro se contra Ti. Claudium Asellum tribunum plebis de mulcta ad populum.

Eae a. 615 (139) sunt habitae.

P. Scipio Ti. Claudio Asello in censura a. 612 (142) equum ademerat, sed L. Mummius collega, non approbans hanc animadversionem, Asellum ex aerariis exemit, equumque publicum restituit. Conf. praeter ceteros locos, quos mox afferemus, Festus s. v. *religionis* p. 286. Deinde cum Asellus a. 615 (139) tribunatum plebis obtinuisset, P. Scipioni litem intendit. Causa tanta erat, ut non una actione res diiudicaretur, sed quinque orationes a Scipione haberentur.

Gellius 3, 4. *In libris, quos de vita P. Scipionis Africani compositos legimus, scriptum esse animadvertimus, P. Scipioni, Paulli filio, postquam de Poenis triumphaverat censorque fuerat, eidem diem dictum esse ad populum a Claudio Asello, tribuno plebei, cui equum in censura ademerat, eumque, cum esset reus, neque barbam desivisse radi, neque non candida veste uti neque fuisse cultu solito reorum. Sed cum in eo tempore Scipionem minorem quadraginta annorum fuisse constaret, quod de barba rasa ita scriptum esset, mirabamur. Comperimus autem ceteros quoque in iisdem temporibus nobiles viros barbam in eiusmodi aetate rasitavisse.*

quadraginta annorum] Gellius numerum annorum non accurate definivit: Scipio anno 569 natus, anno 609 quadraginta annos habuit: sed tum nondum censor fuerat, et tamen Gellius scribit, post censuram Scipionem hanc egisse causam. Statuamus igitur, Gellium non accurate esse locutum: Scipio enim eo anno, quo causa acta est, quadraginta et quinque annorum fuit. Gronovio, *quinquaginta* conicienti, non assentior.

Gellius 7, 11. *Levitatem plerumque nunc pro inconstantia et mutabilitate dici audio et nequitiam pro solertia astutiaque. Sed veterum hominum qui proprie atque integre locuti sunt, leves dixerunt, quos vulgo nunc viles et nullo honore dignos dicimus*

et levitatem appellaverunt perinde quasi vilitatem, et nequam hominem nulli rei neque frugis bonae, quod genus fere graeci ἄσωτον vel ἀκόλαστον dicunt. . . . P. Africanus pro se contra Tib. Asellum de multa ad populum: „Omnia mala, probra, flagitia, quae homines faciunt, in duabus rebus sunt, malitia atque nequitia. Utrum defendis malitiam an nequitiam an utrumque simul? Si nequitiam defendere vis, licet: sed tu in uno scorto maiorem pecuniam absumsisti, quam quanti omne instrumentum fundi Sabini in censum dedicavisti. Ni hoc ita est, qui spondet mille nummum? Sed tu plus tertia parte pecuniae paternae perdidisti atque absumsisti in flagitiis. Ni hoc ita est, qui spondet mille nummum? Non vis nequitiam. Age malitiam saltem defendas. Sed tu verbis conceptis coniuravisti sciens sciente animo tuo. Ni hoc ita est, qui spondet mille nummum?" —

defendis] Dices, reprehensionem malitiae atque nequitiae in te non cadere?

omne instrumentum] omnia instrumenta vel subsidia, quae ad culturam fundi pertinent.

in censum dedicavisti] in censum dedicare, id est, in censum deferre. Cicero pro Flacco 32, 79. *at haec praedia etiam in censum dedicavisti*, quo loco vide quae Klotzius t. 3. p. 394 adnotavit. Conf. Gronov. de Vet. Pecunia p. 260.

ni hoc ita est] *si hoc ita est* ex codicibus defendit Garatonius ad Cic. Quintianam c. 8. Sed conf. F. L. Keller Semestria lib. 1. p. 37.

non vis nequitiam] non vis nequitiam defendere; concedis, te non vacare culpa nequitiae.

coniuravisti] i. e. tu iniisti coniurationem, fuisti particeps coniurationis. Sed legendum videtur *periuravisti*.

Gellius 2, 20. *Quod apud Scipionem, omnium aetatis suae purissime locutum, legimus roboraria, aliquot Romae doctos viros dicere audivi id significare, quod nos vivaria dicimus, appellataque esse a tabulis roboreis, quibus septa essent, quod genus*

septorum vidimus in Italia locis plerisque. Verba ex oratione eius contra Claudium Asellum quinta haec sunt: „Ubi agros optime cultos atque villas expolitissimas vidisset, in his regionibus excelsissimo locorum murum statuere aiebat, inde corrigere viam, aliis per vineas medias, aliis per roborarium atque piscinam, aliis per villam." —

Cicero de Oratore 2, 64, 258. *In hoc genus ridiculi coniiciuntur proverbia, ut illud Scipionis, cum Asellus omnes provincias stipendia merentem se peragrasse gloriaretur: Agas asellum* et cetera.

Agas asellum] ridiculum duplex oritur et a proverbio et a similitudine nominis. Proverbium ita supplet Turnebus *Agas asellum, si bovem agere non queas.* Sed fortasse aliter interpretandum: Propterea, quod omnes provincias miles peragrasti, non plus de rep. es meritus, quam si quis asellum per totum orbem terrarum egisset. Similiter Fredericus Magnus militibus quibusdam saepe dicebat: Vos estis similes huic mulo meo, qui omnibus, quae gessi, bellis interfuit, nec tamen adhuc rem militarem didicit.

Cicero de Orat. 2, 66, 268. *Arguta etiam significatio est, cum parva re et saepe verbo res obscura et latens illustratur. ut Asello Africanus, obiicienti lustrum illud infelix, Noli, inquit, mirari: is enim, qui te ex aerariis exemit, lustrum condidit et taurum immolavit. Tacita suspicio est, ut religione civitatem obstrinxisse videatur Mummius, quod Asellum ignominia levarit.*

is enim] Censu peracto censores inter se sortiebantur, uter lustrum conderet, censorque, cui id sorte obvenerat, in campo Martio suovetaurilia faciebat; victimisque ter circumlatis populum lustrabat, atque hoc modo lustrum conditum est. Henrichsen ad Cic. l. l. Cum Scipio et Mummius essent Censores, L. Mummio sors obtigit, lustrum condendi. Cum autem eodem tempore pestilentia Romae grassari coepisset, Asellus obiiciebat Africano lustrum infelix, tamquam dii propter illum immisissent morbum. Sed Africanus optime excusat, cum dicat, non se, sed Mummium lustrum fecisse, et diis quidem invitis, quod Asellum nota censoria levasset. Eiusdem rei meminit Lucilius lib. XI. apud Gellium 4, 17.

Scipiadae magno improbus obiiciebat Asellus,
Lustrum illo censore malum infelixque fuisse.

Ceterum ex loco Ciceronis patet, errare Valerium Maximum 4, 1, 10, qui dicit, Africanum (non Mummium collegam) lustrum condidisse.

lustrum condidit] Clinton in Fastis t. 3. p. 450 comprobat, Mummium altero censurae anno, id est, a. 613 (141) lustrum condidisse.

Ceterum haec Scipionis et Aselli contentio tam illustris fuit, ut a rhetoribus inter exempla rhetorices referretur. Augustinus Princip. rhetor. p. 326. Capperonn. *ἀμφίδοξος est controversia, in qua vel honestatem personae turpitudo rei maculat, velut si Scipio petat praemii nomine mortem Tiberii Aselli.*

7. Oratio de imperio D. Bruti.

Oratio de imperio prorogando Decimi Iunii Bruti in annum 619 (135) cadere videtur. D. Brutus inde ab anno 616 (138), quo anno consul erat, in Lusitania, et ab anno 619 (135) prorogato imperio in Hispania ulteriore prospere bellum gessit, unde a. 622 (132) rediens de Lusitanis et Gallaecis triumphavit et Gallaeci nomen meruit. Livius Epit. 55. 56.

Festus p. 241. *Potestur. Scipio Africanus in ea, quae est de imperio D. Bruti.*

8. Oratio in L. Aurelium Cottam.

Ea causa non ante annum 623 (131) acta est, cum Scipio Cottam accusavisse dicatur, postquam iam bis consul fuerat et Carthaginem Numantiamque deleverat. constat autem, a. 622 (132) eum ex Hispania rediisse et de Numantinis triumphasse.

Quaeritur, qui sit L. Aurelius Cotta. Plerique L. Aurelium Cottam consulem a. 610 (144) intelligunt.

Conf. Onomast. Tullian. s. n. Melius autem Ferratius in Epistolis p. 251, qui L. Aurelium Cottam filium intelligit, eumque post praeturam, postquam provinciam obtinuisset, causam repetundarum dixisse, a Scipione postulatum, eundemque consulatum triennio post Scipionis mortem a. 635 (119) adeptum esse scribit. *Priorem Cottam*, ait Ferratius, *accusare de repetundis Scipio bis consul non potuit, cum non potuerit Cotta duodecim annos post consulatum privatus obtinere provinciam. iis enim temporibus privati non mittebantur in provincias cum imperio. posterior igitur Cotta significatur, qui adeptus est consulatum post Scipionis mortem, et causam illam dixit praetorius, non consularis.* Eundem Cottam filium intelligendum opinatur Klotz Ciceros Reden T. 2. p. 664.

Q. Caecilius Metellus Macedonicus Cottam defendit orationemque contra Scipionem habuit, quocum multas inimicitias exercere solebat. Vid. supra p. 159.

Cotta absolutus est nequitia iudicum, ita ut haec quoque causa (teste Appiano) C. Graccho ansam daret, iudicia senatoribus eripiendi equitibusque transferendi.

Cottam patrem non meliore fama usum quam filium, ex dicto eiusdem Scipionis apparet, quod apud Valer. Max. 6, 4, 2. extat.

Cicero pro Murena 28, 58. *Bis consul fuerat P. Africanus et duos terrores huius imperii, Carthaginem Numantiamque, deleverat, cum accusavit L. Cottam. Erat in eo summa eloquentia, summa fides, summa integritas, auctoritas tanta, quanta in ipso imperio populi romani, quod illius opera tenebatur. Saepe hoc maiores natu dicere audivi, hanc accusatoris eximiam dignitatem plurimum L. Cottae profuisse. Noluerunt sapientissimi homines, qui tum rem illam iudicabant, ita quemquam cadere in iudicio, ut nimiis adversarii viribus abiectus videretur.*

Valer. Max. 8, 1, 11. *Quemadmodum splendor amplissimorum virorum in protegendis reis plurimum valuit, ita in opprimendis non sane multum potuit. quin etiam evidenter noxiis, dum eos acrius impugnat, profuit. P. Scipio Aemilianus L. Cottam ad praetorem accusavit. Cuius causa quamquam gravissimis criminibus erat confossa, septies ampliata et ad ultimum octavo iudicio absoluta est, quia homines sapientissimi verebantur, ne praecipuae accusatoris amplitudini damnatio eius donata existimaretur.*

Cicero in Q. Caecilium Divinationis c. 21. *Neque enim magis animos hominum nocentium res umquam ulla commovit quam haec maiorum consuetudo longo intervallo repetita ac relata, sociorum querimoniae delatae ad hominem non inertissimum, susceptae ab eo, qui videbatur eorum fortunas fide diligentiaque sua posse defendere. — — Cuius consuetudinis atque instituti patres maioresque nostros non poenitebat tum, cum — P. Africanus, homo virtute, fortuna, gloria, rebus gestis amplissimus, postquam bis consul et censor fuerat, L. Cottam in iudicium vocabat.*

id. p. Fonteio c. 13. *Quam multa Manius Aquilius audivit in suo iudicio? quam multa L. Cotta, denique P. Rutilius, qui, etsi damnatus est, mihi videtur tamen inter viros optimos atque innocentissimos esse numerandus.*

Taciti Annal. 3, 66. *Gaium Silanum proconsulem Asiae, repetundarum a sociis postulatum, Mamercus Scaurus e consularibus, Iunius Otho praetor, Brutidius Niger aedilis simul corripiunt, obiectantque violatum Augusti numen, spretam Tiberii maiestatem, Mamercus antiqua exempla iaciens, L. Cottam a Scipione Africano, Servium Galbam a Catone censorio, P. Rutilium a Marco Scauro accusatos. videlicet Scipio et Cato talia ulciscebantur.*

Appianus de bellis Civil. 1, 22. *Ὁ μὲν δὴ Γάϊος Γράκχος οὕτως ἐδημάρχει τὸ δεύτερον. — τὰ δικαστήρια, ἀδοξοῦντα ἐπὶ δωροδοκίαις, ἐς τοὺς ἱππέας ἀπὸ τῶν βουλευτῶν μετέφερε, τὰ ὑπόγυια μάλιστα αὐτοῖς ὀνειδίζων, ὅτι Αὐρήλιος Κόττας καὶ Σαλινάτωρ καὶ τρίτος ἐπὶ τούτοις Μάνιος Ἀκυίλιος, ὁ τὴν Ἀσίαν ἑλὼν, σαφῶς δεδωροδοκηκότες, ἀφεῖντο ὑπὸ τῶν δικασάντων.*

Σαλινάτωρ] Salinatorem a. 624 reum esse factum, Pighius scribit.

Μάνιος Ἀκυίλιος] Manium Aquilium P. Lentulus princeps senatus accusavit. Cic. in Q. Caecil. divin. c. 21.

Pseudo-Asconius in Divinationem p. 124: *L. Cottam P. Africanus post secundum consulatum et censuram dicitur accusasse.*

post] Cod. Lugd. cum edit. pr. *ante secundum consulatum*, eamque lectionem frustra defendere studet Rau in libro Var. Lectt. ad Cic. oratt. p. 178. Conf. *Analecta Orellii ad Pseudo-Asconium p.* 342. Madwig de Asconio p. 111.

9. Dissuasio legis Papiriae.

Oratio a. 623 (131) dicta adversus legem seditiosam C. Papirii Carbonis tribuni pl.

Livius Epit. lib. 59. *Cum Carbo tribunus plebi rogationem tulisset, ut eundem tribunum plebi, quoties vellet, creare liceret, rogationem eius P. Africanus gravissima oratione dissuasit, in qua dixit, Ti. Gracchum iure caesum videri. C. Gracchus contra suasit rogationem, sed Scipio tenuit.*

Cicero in Laelio c. 25. *Concio quae ex imperitissimis constat, tamen iudicarė solet, quid intersit inter popularem, id est, assentatorem et levem civem, et inter constantem, severum et gravem. Quibus blanditiis C. Papirius nuper influebat in aures concionis, cum ferret legem de tribunis plebis reficiendis! Dissuasimus nos: sed nihil de me, de Scipione dicam libentius. Quanta illi, dii immortales, fuit gravitas, quanta in oratione maiestas, ut facile*

ducem populi romani, non comitem diceres. Sed affuistis et est in manibus oratio. Itaque lex popularis suffragiis populi repudiata est.

Velleius lib. 2, 4. *P. Scipio, eum interrogante tribuno Carbone, quid de Ti. Gracchi caede sentiret, respondit, si is occupandae reipublicae animum habuisset, iure caesum. Et cum omnis concio adclamasset, Hostium, inquit, armatorum toties clamore non territus, qui possum vestro moveri, quorum noverca est Italia!*

Valer. Max. 6, 2, 3. *C. Carbo, tribunus pl., nuper sepultae Gracchanae seditionis turbulentissimus vindex — P. Africanum, a Numantiae ruinis summo cum gloriae fulgore venientem, ab ipsa pene porta in rostra perductum, quid de Ti. Gracchi morte, cuius sororem in matrimonio habebat, sentiret, interrogavit. — at is iure eum caesum videri respondit. Cui dicto cum concio, tribunicio furore instincta, violenter succlamasset, Taceant, inquit, quibus Italia noverca est. Orto deinde murmure, Non efficietis, ait, ut solutos verear, quos alligatos adduxi.*

Aurelius Victor de viris illust. c. 58. *Ob res gestas superbus Gracchum iure caesum videri respondit* (Scipio), *obstrepente populo, Taceant, inquit, quibus Italia noverca, non mater est; et addidit: quos ego sub corona vendidi!*

Plutarchus Apophthegmata T. VIII. ed. Hutt. p. 155. *ἐπεὶ δὲ τὴν Νομαντίαν ἑλὼν καὶ θριαμβεύσας τὸ δεύτερον, πρὸς Γάϊον Γράκχον ὑπέρ τε τῆς βουλῆς καὶ τῶν συμμάχων κατέστη διαφορὰ, καὶ λυπούμενος ὁ δῆμος ἐθορύβησεν αὐτὸν ἐπὶ τοῦ βήματος. Ἐμὲ (εἶπεν) οὐδέποτε στρατοπέδων ἀλαλαγμὸς ἐθορύβησεν, οὔτιγε συγκλύδων ἀνθρώπων, ὧν οὐ μητέρα τὴν Ἰταλίαν ἀλλὰ μητρυιὰν οὖσαν ἐπίσταμαι. Τῶν δὲ περὶ τὸν Γάϊον βοώντων κτεῖναι*

τὸν τύραννον· εἰκότως (εἶπεν) οἱ τῇ πατρίδι πολεμοῦντες ἐμὲ βούλονται προανελεῖν. οὐ γὰρ οἷόν τε τὴν Ῥώμην πεσεῖν, Σκιπίωνος ἑστῶτος, οὐδὲ ζῆν Σκιπίωνα, τῆς Ῥώμης πεσούσης.

10. Oratio contra legem iudiciariam Tib. Gracchi.

Tiberius Gracchus tribunus pl. a. 621 (133) rogationem promulgavit, ut iudicia senatoribus eriperentur equitibusque transferrentur. Scipio Africanus dissuasit legem et vicit. Deinde C. Gracchus altero tribunatu a. 632 (122) eandem legem iudicariam repetivit, eique contigit quod fratri non cesserat. Vid. Drumann t. 2. p. 490. Walter Gesch. d. röm. Rechts p. 243.

Plut. vit. Tib. Gracchi c. 16. ἐπεὶ δὲ συνορῶντες οἱ φίλοι τὰς ἀπειλὰς καὶ τὴν σύστασιν ᾤοντο δεῖν ἑτέρας περιέχεσθαι δημαρχίας εἰς τὸ μέλλον, αὖθις ἄλλοις νόμοις ἀνελάμβανε τὸ πλῆθος, τοῦτε χρόνου τῶν στρατειῶν ἀφαιρῶν καὶ διδοὺς ἐπικαλεῖσθαι τὸν δῆμον ἀπὸ τῶν δικαστῶν, καὶ τοῖς κρίνουσι τότε συγκλητικοῖς οὖσι καταμιγνὺς ἐκ τῶν ἱππέων τὸν ἴσον ἀριθμὸν καὶ πάντα τρόπον ἤδη τῆς βουλῆς τὴν ἰσχὺν κολούων.

Dio Cassius Fragm. 88. ὅτι ὁ Γράκχος ὁ Τιβέριος τοῖς στρατευομένοις ἐκ τοῦ ὁμίλου νόμους τινὰς ἐπικουροῦντας ἔγραφε, καὶ τὰ δικαστήρια ἀπὸ τῆς βουλῆς ἐπὶ τοὺς ἱππέας μετῆγε, φύρων καὶ ταράσσων πάντα τὰ καθεστηκότα, ὅπως ἔχγε τούτου ἀσφαλείας τινὸς ἐπιλάβηται. καὶ ὡς οὐδὲν οὐδὲ ἐνταῦθα αὐτῷ προεχώρει, ἀλλὰ καὶ ἐπ' ἐξόδῳ τῆς ἀρχῆς ἦν, ἐπεχείρησε καὶ ἐς τὸ ἐπιὸν ἔτος μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ δημαρχῆσαι, καὶ τὸν πενθερὸν ὕπατον ἀποδεῖξαι.

Florus quoque l. 3, 17. utrique Graccho legem iudiciariam vindicare videtur: *Iudiciaria lege Gracchi diviserant populum romanum et bicipitem ex una fecerant civitatem.* Ahrens autem in libro *Die drei Volkstribunen Tib. Gracchus, M. Drusus und P. Sulpicius* pag. 29, Tib. Gracchum legem iudiciariam promulgavisse negat, et ego quoque in edit. priore id negavi, sed temere: extant enim testimonia auctorum luculenta.

Macrobius Saturnal. 2, 10. *Nobilium vero filios et, quod dictu nefas est, filias quoque virgines inter studiosa numerasse saltandi meditationem, testis est Scipio Africanus Aemilianus, qui in oratione contra legem iudiciariam Tib. Gracchi sic ait:*

Docentur praestigias inhonestas: cum cinaedulis, et sambuca psalterioque eunt in ludum histrionum. Discunt cantare, quae maiores nostri ingenuis probro ducier voluerunt. Eunt, inquam, in ludum saltatorium inter cinaedos virgines puerique ingenui. Haec cum mihi quisquam narrabat, non poteram animum inducere, ea liberos suos homines nobiles docere. Sed cum ductus sum in ludum saltatorium, plus medius fidius in eo ludo vidi pueris virginibusque quingentis; in his unum, quod me reipublicae maxime misertum est, puerum bullatum, petitoris filium non minorem annis duodecim, cum crotalis saltare, quam saltationem impudicus servulus honeste saltare non posset.

docentur] liberi ingenui.

in ludum histrionum] malim *histrionium*. Duebner. Id vocabulum a lexicis nostris abest.

ludum saltatorium] saltatio apud romanos inter res turpes et obscenas habebatur. Cornelius Nepos in Praefatione: *In scenam vero prodire et populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus (in Graecia) fuit turpitudini, quae omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota ponuntur.* Cicero de Officiis 1, 42. or. p. Murena c. 6.

quisquam] exspectas *quispiam*.

quingentis] Saresberiensis, qui in libro De Nugis curialibus 8, 12. p. 592 totum ex Macrobio locum transtulit, legit aptius *ducentis*.

in his unum] Saresberiensis: *in his, quod me reip. maxime misertum est, vidi unum filium petitoris, puerum bullatum, non minorem* etc.

petitoris] Macrobius ipse explicat: *Vides, quemadmodum ingemuerit Africanus, quod vidisset, cum crotalis saltantem filium petitoris, id est, candidati, quem ne tunc quidem spes et ratio adipi-*

scendi magistratus, quo tempore se suosque ab omni probro debuit vindicare, potuerit coercere, quo minus faceret, quod scilicet turpe non habebatur.

Fragmenta incerta.

1. Isidorus Originum lib. 2. 21, 4. Climax est gradatio, ut est illud *Africani: Ex innocentia nascitur dignitas, ex dignitate honor, ex honore imperium, ex imperio libertas.*

2. Ibidem: Sic et apud *Scipionem: Vi atque ingratis coactus cum illo sponsionem feci, facta sponsione ad iudicem adduxi, adductum primo coetu damnavi, damnatum ex voluntate dimisi.*

atque ingratis] sic Arevalus. *atque ingratiis* Ellendt pag. XXX. prob. Duebnero. Huschke in Analectis Litterariis p. 99 eundem locum affert ex libro *Nouveau Traité de diplomatique T. III. tab.* 59. *p.* 437, ubi legitur: *Vi ad que mentu gratis*, unde emendabat *vi atque metu ingratis.* Conf. Hand in Tursellino t. 3. p. 381.

sponsionem feci] v. supra p. 142. F. L. Kelleri Semestria t. 1. p. 22 sqq.

primo coetu] Plaut. Amph. 2, 2, 25. *Eos auspicio meo atque ductu primo coetu vicimus.*

3. Cicero de Oratore 2, 62, 253. *Ambigua sunt in primis acuta atque in verbo posita, non in re. — ut illud Africani, quod est apud Lucilium:*

Quid? Decius, Nuculam an confixum vis facere?
inquit.

Quid? Decius] sensus non apertus, nec interpretes adhuc facem attulere. Intelligitur Q. Decius, Opimii accusator. Vid. Drakenborg ad Liv. Epit. 61.

XVI. *M. Aemilius Lepidus Porcina.*

Consul fuit a. u. 617 (137). Eiusdem res gestas, ab Appiano de rebus Hispaniensibus c. 80 sqq. narratas, praetermisit silentio Drumannus Gesch. Roms 1. p. 3.

Cicero Bruto c. 25. *M. Aemilius Lepidus, qui est Porcina dictus, iisdem temporibus fere quibus Galba, sed paulo minor natu, et summus orator est*

habitus, et fuit, ut apparet ex orationibus, scriptor sane bonus. Hoc in oratore latino primum mihi videtur et laevitas apparuisse illa graecorum et verborum comprehensio, etiam artifex, ut ita dicam, stilus. Hunc studiose duo adolescentes ingeniosissimi et prope aequales, C. Carbo et Ti. Gracchus audire soliti sunt.

Ibidem c. 86, 295. *Probas Lepidi orationes. Paulum hic tibi assentior, modo ita laudes ut antiquas: quod idem de Africano, de Laelio.*

Ibidem c. 97, 333. *Nonne cernimus, vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles extitisse? Galba fuit inter tot aequales unus excellens; Lepidus postea, deinde Carbo.*

Cicero de Oratore 1, 10, 39. *Equidem et Ser. Galbam memoria teneo, divinum hominem in dicendo, et M. Aemilium Porcinam et C. ipsum Carbonem ignarum legum, haesitantem in maiorum institutis, rudem in iure civili.*

Auctor ad Herennium 4, 5. *Allatis exemplis a Catone, a Gracchis, a Laelio, a Scipione, Galba, Porcina, Crasso, Antonio ceterisque; item sumtis aliis a poetis et historiarum scriptoribus, necesse erit, eum, qui discet, ab omnibus putare omnia, ab uno pauca vix potuisse sumi.*

1. Dissuasio legis Cassiae.

L. Cassius Longinus tribunus pl. a. 617 (137) legem tabellariam tulit. Lepidus eam dissuasit, sed lata est P. Scipione minore potissimum auctore. Extant denarii ad legem Cassiam alludentes. Eckhel Doctr. Tom. 5. p. 166. Göttling Gesch. d. röm. Staatsv. p. 395.

Cicero Bruto c. 25, 97. *L. Cassius multum potuit non eloquentia, sed dicendo tamen. cuius quidem legi tabellariae M. Antius Briso tribunus pl. diu restitit, M. Lepido consule adiuvante. eaque res*

P. Africano vituperationi fuit, quod eius auctoritate de sententia deductus Briso putabatur.

2. Oratio adversus censores de multa.

Ea causa acta est a. u. 629 (125), Cn. Servilio Caepione et L. Cassio Longino censoribus. Pighius falso Aemilium in ipso consulatu a. 617 multatum existimat. Conf. Ruhnkenius ad Velleium 2, 10. Ellendt p. XXXIII.

Velleius 2, 10. *Prosequamur notam severam censorum Cassii Longini Caepionisque, qui abhinc annos CLVII. Lepidum Aemilium augurem, quod sex millibus aedes conduxisset, adesse iusserunt. At nunc, si quis tanti habitet, vix ut senator agnoscitur.*

Valer. Max. 8, 1. Damnati 7. *Admodum severae notae et illud populi iudicium, cum M. Aemilium Porcinam a L. Cassio accusatum crimine nimis sublime extructae villae in Alsiensi agro gravi multa affecit.*

3. Oratio, uti lex Aemilia abrogetur.

Priscianus t. 1. p. 456: *Aemilius Porcina in oratione, uti lex Aemilia abrogetur: Tempore adstiturum et petiturum me esse.*

me esse] *ne abessem* Falster Memor. Obscur. p. 11.

Incertum est, quae lex Aemilia sit intelligenda: plures enim fuerunt. Novimus enim legem Aemiliam de censura minuenda, anno 320 (434) latam, deinde legem sumptuariam et de libertinorum suffragiis, a M. Aemilio Scauro consule anno 639 (115) latas, et fortasse ad has referenda erit oratio Lepidi. Nam non assentior Ellendtio p. XXXIV., qui Aemilium Porcinam usque ad hunc annum vitam produxisse negat.

Incerta.

M. Haupt editioni *Halieuticorum Ovidii* libellum *De generibus Nominum* adiecit, ubi p. 98 legitur:

Situs loci generis masculini ut Porcina „illis situs felix.“

situs felix] hoc exemplum nihil probat. An *ille situs felix?*

XVII. *L. Scribonius Libo.*

Tribunus plebis a. u. 605 (149).

Cicero Bruto c. 23, 90. *Atque etiam ipsum Libonem non infantem video fuisse, ut ex orationibus eius intelligi potest.*

1. Rogatio in Ser. Sulpicium Galbam.

Ea causa acta a. 605 (149).

Cicero Bruto c. 23. Vide Orat. *Catonis adversus Sulpicium Galbam* p. 120, item orationes *Galbae adversus Libonem tribunum plebis rogationemque eius* p. 166.

XVIII. *Lucius et Spurius Mummii.*

Lucius Mummius Achaicus consul a. 608 (146), censor a. 612 (142).

Spurius Mummius frater, amicus P. Scipionis Africani minoris, litteris erat deditus nec ulla munera rei publicae suscepit, nisi quod legatus fratris ad Corinthum erat a. 608 (146).

Cicero Bruto 25. *Fuerunt etiam in oratorum numero mediocrium L. et Sp. Mummii fratres, quorum extant amborum orationes. Simplex quidem Lucius et antiquus, Spurius autem nihilo ille quidem ornatior, sed tamen adstrictior: fuit enim doctus ex disciplina stoicorum.*

Orationum nullum adhuc vestigium.

Spurius Mummius autem non solum orationes, sed etiam epistolas poeticas reliquit. Cicero Epist. ad Atticum 13, 6. Ceterum distinguendus est Mummius Atel-

lanarum scriptor, cuius fragmenta extant apud Priscianum T. 1. p. 514 (quem locum in edit. pr. ad Mummium oratorem retuleram), Macrobium Sat. 1. 10. Charisium p. 84 ed. Lindem.

XIX. *Spurius Postumius Albinus Magnus.*

Aedilis curulis anno 597 (157), consul a. 606 (148).

In editione priore una cum ceteris interpretibus *Bruti* Sp. Postumium Albinum aedilem curulem a. 636, consulem a. 644 intelligendum putabam. Sed cum Cicero temporum ordine accurate observato oratores enumeraverit, fieri nequit, quin Sp. Albinus consul a. 606 (148) sit. Ii enim, quos una hoc loco memorat oratores, cuncti ad hanc ferme aetatem pertinent, L. Mummius fuit consul a. 608 (146), L. Orestes a. 628 (126), P. Popillius a. 622 (132), C. Tuditanus a. 625 (129), M. Aemilius Lepidus a. 617 (137), Q. Pompeius a. 613 (141). Alter Sp. Albinus, qui a. 644 (110) consulatum obtinuit, in Bruto c. 34 nominatur.

Sp. Postumius Albinus idem est, cui Lucilius, qui hoc ipso consule natus est (v. Clinton Fasti in a. 606) librum Satirarum inscripsit. Vid. Burmannus in Anthologia latina t. 1. p. 570.

Cicero Bruto c. 25. *Multae sunt Sp. Albini orationes.*

1. Oratio adversus C. Furium Cresinum.

Ea causa acta a. 597 (157).

Plinius Hist. Nat. 18, 6, 8. *Nequeo mihi temperare, quo minus unum exemplum antiquitatis afferam, ex quo intelligi possit, apud populum etiam de culturis agendi morem fuisse, qualiterque defendi soliti sint illi viri. C. Furius Cresinus e servitute liberatus, cum in parvo admodum agello largiores multo fructus perciperet quam ex amplis-*

simis vicinitas, in invidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem a Sp. Albino curuli die dicta, metuens damnationem, cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit et adduxit familiam validam atque (ut ait Piso) bene curatam ac vestitam, ferramenta egregie facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos. Postea dixit: Veneficia mea, Quirites, haec sunt, nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes meas vigiliasque et sudores. Omnium sententiis absolutus itaque est.

XX. *Lucius et Gaius Aurelii Orestae.*

L. Aurelius Orestes consul fuit a. 628 (136) et rebellantes Sardos subegit.

C. Aurelium Orestam praetorem a. 624 (130) fuisse scribit Pighius t. 3. p. 19.

Cicero Bruto c. 25. *Sunt etiam L. et C. Aureliorum Orestarum orationes, quos aliquo video in numero oratorum fuisse.*

XXI. *Q. Pompeius Auli filius.*

Consul a. 613 (141), censor a. 623 (131). Eius vitam tradidit Drumannus Gesch. Roms t. 4, p. 307.

Cicero Bruto c. 25. *Q. Pompeius non contemptus orator temporibus illis fuit, qui summos honores homo per se cognitus sine ulla commendatione maiorum est adeptus. Tum L. Cassius multum potuit, non eloquentia, sed dicendo tamen. Tum duo Caepiones multum clientes consilio et lingua, plus auctoritate tamen et gratia sublevabant. Sed Pompeii sunt scripta nec nimis extenuata, quamquam veterum est similis, et plena prudentiae.*

Sed Pompeii] Difficultas huius loci non est silentio praetermittenda. Reditus enim ad Q. Pompeium, postquam iam de aliis oratoribus

locutus est, aliquid offensionis habet. Unde Madwig in Opusculis Acad. p. 138 egregie emendavit *Sexti Pompeii* pro *Sed Pompeii*, et Sextum Pompeium, Cn. Strabonis et Sexti Pompeii, iuris consulti et stoici, patrem intelligit.

1. Oratio . . .

Priscian. t. 1 p. 371. *Q. Pompeius: Me miserum, quem illae feminae despicari ausae sunt.*

Q. Pompeius] Duebnerus hoc fragmentum addidit, quod in editione priore omiseram, cum non ex oratore sumtum putarem. Et, si oratoris est, incertum, utrum Q. Pompeio A. filio, an Q. Pompeio Rufo, de quo infra dicemus, vindicandum sit.

XXII. *C. Fannius C. f. Strabo.*

Tribunus plebis a. 620 (134), aedilis plebis a. 624 (130), praetor a. 627 (127), consul fuit a. 632 (122). Eius vitam accurate descripsit Orellius in Onomastico, erroresque, quos et Pighius et Krausius in libro *de historicis latinis* p. 171 sqq. commiserant, correxit.

1. Oratio de sociis et nomine latino contra C. Gracchum.

Eam Fannius consul habuit a. 632 (122).

C. Gracchus tribunus pl. a. 632 (122) praeter alias legem de suffragiis sociorum promulgavit, id est, ut sociis latini nominis pariter atque civibus romanis idem ius suffragii ferundi esset, vel ut Latini eodem civitatis iure fruerentur. Appianus de bellis civil. 1, 23. *Καὶ τοὺς Λατίνους ἐπὶ πάντα ἐκάλει (ὁ Γράκχος) τὰ Ῥωμαίων, ὡς οὐκ εὐπρεπῶς συγγενέσι τῆς βουλῆς ἀντιστῆναι δυναμένης· τῶν τε ἑτέρων συμμάχων, οἷς οὐκ ἐξῆν ψῆφον ἐν ταῖς Ῥωμαίων χειροτονίαις φέρειν, ἐδίδου φέρειν ἀπὸ τοῦδε, ἐπὶ τῷ ἔχειν καὶ τούσδε ἐν ταῖς χειροτονίαις τῶν νόμων αὐτῷ συντελοῦντας. Ἐφ᾽ ᾧ δὴ μάλιστα ἡ βουλὴ διαταραχθεῖσα, τοὺς ὑπάτους ἐκέλευσε προγράψαι, μηδένα τῶν οὐ φερόντων ψῆφον ἐπιδημεῖν τῇ πόλει, μηδὲ προς-*

πελάζειν ἀπὸ τεσσαράκοντα σταδίων παρὰ τὴν ἐσομένην περὶ τῶνδε τῶν νόμων χειροτονίαν. Conf. Walter Geschichte des röm. Rechtes pag. 194. Dissuasit legem Gracchi Fannius consul.

Cicero Bruto c. 26, 99. *C. Fannius, C. f., qui consul cum Domitio fuit, unam orationem de sociis et nomine latino contra Gracchum reliquit, sane et bonam et nobilem. Tum Atticus: Estne ista Fannii? nam varia opinio pueris nobis erat. Alii a C. Persio litterato homine scriptam esse aiebant, illo, quem significat valde doctum esse Lucilius, alii multos nobiles, quod quisque potuisset, in illam orationem contulisse. Tum ego: audivi equidem ista de maioribus natu, sed numquam sum adductus, ut crederem, eamque suspicionem propter hanc causam credo fuisse, quod Fannius in mediocribus oratoribus habitus esset, oratio autem vel optima esset illo quidem tempore orationum omnium. Sed nec eiusmodi est, ut à pluribus confusa videatur (unus enim sonus est totius orationis et idem stilus) nec de Persio reticuisset Gracchus, cum et Fannius de Menelao Maratheno et de ceteris obiecisset; praesertim cum Fannius nunquam sit habitus elinguis. nam et causas defensitavit et tribunatus eius arbitrio et auctoritate P. Africani gestus non obscurus fuit.*

tribunatus] Fannius tribunus pl. a. 620 (134), quo anno P. Scipio iterum consul fuit.

Cicero de Oratore 3, 47, 183. *Est paeon hic posterior non syllabarum numero, sed aurium mensura par fere cretico, qui est ex longa et brevi et longa. A quo numero exorsus est Fannius: Si, Quirites, minas illius* etc.

illius] an Gai Gracchi?

Locus Ciceronis in libro Rufini de compositione et de metris oratorum p. 187 ed. Orell. repetitur una cum fragmento orationis Fannianae.

Julius Victor Arte rhetorica p. 224 ed. Orell. *A Gaio Fannio adversus Gracchum dictum est: „Si Latinis civitatem dederitis, credo, existimatis, vos ita ut nunc constitisse, in contione habituros locum aut ludis et festis diebus interfuturos. Nonne illos omnia occupaturos putatis?" — Collegit enim, non esse recipiendos in civitatem, ex his, quae eventura sint.*

constitisse] corruptum est. *constitutum est* Orelli. Melius Spengel in Actis Societatis graecae t. 1. p. 37. *ut nunc consuestis*. Duebner coniicit *ut nunc constituitis* vel *constituistis*.

Charisius p. 82. *Senatuis* ut fluctuis, ita genitivum, inquit Plinius, declinabant, ut *G. Fannius consul contra G. Gracchum: Senatuis consulta.*

Incerta.

Priscianus t. 1. p. 368. *C. Fannius: Haec apiscuntur.* ἐπιτυγχάνονται.

C. Fannius] incertum, ex oratione C. Fanni C. f. an ex annalibus sit sumtum, quos C. Fannius, M. f., non Fannius orator confecit quique praeterea C. Laelii gener fuit, id quod olim addubitaverat Atticus, ut ex epistola Ciceronis ad eum lib. 12, 5. patet.

XXIII. *C. Persius.*

Cicero de Oratore 2, 6. *Persius fuit omnium fere nostrorum hominum doctissimus.*

Scripsit aliis orationes, quod ex eo colligam, quod multi Fannii orationem contra C. Gracchum ab eo scriptam putabant.

Cicero Bruto 26. *C. Fannius unam orationem de sociis et nomine latino contra Gracchum reliquit, sane et bonam et nobilem. Tum Atticus: Quid ergo? estne ista Fannii? nam varia opinio pueris nobis erat. Alii a C. Persio litterato homine scriptam esse aiebant, illo, quem significat valde doctum esse Lucilius.*

XXIV. *M. Sergius.*

M. Sergius Silus bello Punico secundo fortitudine et virtute bellica tantopere excelluit, ut statua equestris honoris causa publice statueretur, cuius imaginem in denariis habemus gentis Sergiae. Vid. Eckhel Doctr. Num. t. 5. p. 306. Eiusdem fit mentio apud Polybium lib. 31, 9, 6. Praeturam obtinuit a. u. 557 (197), Livio teste lib. 32, 27. Pighius in Annal. ad a. 556 p. 253.

1. Oratio pro se, cum sacris arceretur.

Eam in praetura habuit a. 557 (197), cum sacris arceretur a collegis ut debilis.

Plinius Hist. 7, 28. *M. Sergio, ut quidem arbitror, nemo quenquam hominum iure praetulerit, licet pronepos Catilina gratiam nomini deroget. Secundo stipendio dextram manum perdidit, stipendiis duobus ter et vicies vulneratus est, ob id neutra manu, neutro pede satis utilis, uno tantum servo, plurimis postea stipendiis debilis miles. Bis ab Hannibale captus (neque enim cum quolibet hoste res fuit), bis vinculorum eius profugus, XX mensibus nullo non die in catenis aut compedibus custoditus. Sinistra manu sola quater pugnavit, duobus equis insidente eo suffossis. Dextram sibi ferream fecit, eaque religata proeliatus Cremonam obsidione exemit, Placentiam tutatus est, duodena castra hostium in Gallia cepit, quae omnia ex oratione eius apparent habita, cum in praetura sacris arceretur a collegis ut debilis.*

uno tantum servo] an *servatus?* Sed Doederleinius Lat. Synonmik t. 3. p. 306 sic explicat: „*Servo* bedeutet hier als Substantivum von servos, salvus einen Soldaten, der noch den Gebrauch aller seiner Glieder hat, im Gegensatz von debilo, was als Nebeoform von *debilis* Nooius p. 95 aus Ennius anführt."

sacris arceretur] magistratus romani multis sacris interesse solebant, velut ludis Circeusibus, supplicatiooibus, lectisterniis. Vid. Hartung

Die Religion der Römer t. 1 p. 166 sqq. Pighius l. l. dicit: *Atque inprimis erat urbani praetoris, sacra publica in urbe ac supplicationes, quae bis eo anno sunt indictae, curare.*

ut debilis] romani nefas habebant, quemquam, corpore debilitatum, sacra publica diis facere. Hartung t. 1. p. 181.

XXV. *C. Titius.*

Cicero scribit in Bruto c. 45, 167, C. Titium eadem vixisse aetate, qua Antonium et Crassum, qui inde ab a. 606 (148) usque ad a. 667 (87) vixerunt, eundemque orationes reliquisse. Nec discrepat a Cicerone Macrobius, qui in Saturnalium lib. 2, 12. Titium *virum aetatis Lucilianae* appellat: Lucilium autem a. 606 (148) natum, e vita excessisse constat a. 651 (103).

Cum autem C. Titius legem Fanniam sumtuariam suaserit, quae a. 593 (161) lata est, eamque orationem memoriae prodiderit, quaeri potest, utrum Titius, cuius apud Ciceronem facta est mentio, sit intelligendus, an Titius senior. Sed verisimile est, unum tantum Titium oratorem fuisse, eundemque adolescentem anno 593 (161) legem Fanniam suasisse et tamen aetati Lucilianae inserendum esse. Pighius coniicit, Titium a. 593 (161) quaestorem, a. 599 (155) tribunum plebis, a. 601 (153) aedilem, a. 604 (150) praetorem fuisse. Fischer quoque (Römische Zeittafeln) scribit, Titium a. 593 legem Fanniam suasisse.

Westermannus autem p. 124 putat, Titium, aequalem Antonii et Herennii, non a. 593 legem Fanniam suadere potuisse, sed multis annis postea. Sed quando id fecerit, quave occasione iterum de lege Fannia ageretur (eam enim a. 593 latam esse, dubitari nequit. conf. Baiteri Index Legum Ciceron. p. 273.), prorsus incertum est.

Alius Titii, non eiusdem, fit mentio apud Dionem Cassium Fragment. n. 114. (n. 243 in versione Tafelii): *Γάϊος Τίτιος, ἀνὴρ ἀγοραῖος καὶ ἐκ δικαστη-*

ρίων τὸν βίον ποιούμενος, τῇ τε παῤῥησίᾳ μετὰ ἀναισχυντίας κατακορεῖ χρώμενος.

Cicero Bruto 45. *Eiusdem fere temporis (cum Crasso et Antonio) fuit eques romanus C. Titius, qui meo iudicio eo pervenisse videtur, quo potuit fere latinus orator sine graecis litteris et sine multo usu pervenire. Huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut pene Attico stilo scriptae esse videantur: easdem argutias in tragoedias satis ille quidem acute, sed parum tragice transtulit. Quem studebat imitari L. Afranius poeta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis, disertus.*

exemplorum] v. Ernesti Lex. Technol. Lat. Rhet. p. 153.

in tragoedias] Titii poetae nemo meminit praeter Frontonem p. 15.

1. Oratio pro lege Fannia.

Ea est dicta a. 593 (161).

Macrobius Saturnal. 2. 12. *Inter pisces Tiberinos praecipuum locum lupus tenuit, et quidem is, qui inter duos pontes captus est. Id ostendunt cum multi alii tum etiam C. Titius, vir aetatis Lucilianae, in oratione, qua legem Fanniam suasit. Cuius verba ideo pono, quia non solum de lupo inter duos pontes capto erunt testimonio, sed etiam mores, quibus plerique tunc vivebant, facile publicabunt. Describens enim homines prodigos, in forum ad iudicandum ebrios commeantes, quaeque soleant inter se sermocinari, sic ait: „Ludunt alea, studiose unguentis delibuti, scortis stipati. Ubi horae decem sunt, iubent puerum vocari, ut comitium eat percunctatum, quid in foro gestum sit, qui suaserint, qui dissuaserint, quot tribus iusserint, quot vetuerint; inde ad comitium vadunt, ne litem suam faciant. Dum eunt, nulla est in angiporto amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habeant. Ve-*

niunt in comitium tristes, iubent dicere; quorum negotium est, dicunt, iudex testes poscit, ipsus it minctum. Ubi redit, ait se omnia audivisse, tabulas poscit. Literas inspicit, vix prae vino sustinet palpebras, eunti in consilium ibi haec oratio: Quid mihi negotii est cum istis nugacibus? quam potius potamus mulsum mixtum vino graeco, edimus turdum pinguem bonumque piscem, lupum germanum, qui inter duos pontes captus fuit." Haec Titius. —

Totum hunc locum in usum suum convertit Joannes Saresberiensis de Nugis Curialium lib. 8, 7.

Ludunt alea] Bunsen Beschreibung von Rom t. 3. P. 2. p. 70 hunc locum sic vertit: Der Redner schildert einen Richter, der mit seinen Beisitzern an dem Tage, wo er einen Rechtsstreit auf dem Comitium entscheiden soll, ein schwelgerisches Gastmal hat. „Sie spielen Würfel, sorgfältig mit Salben bestrichen, schlechte Weibsbilder um sich her. Wie es zehn Uhr ist (zwei Stunden vor Sonnenuntergang, 21 ½ Uhr im neuen Rom) lassen sie den Sclaven rufen, dass er aufs Comitium gehe zu fragen, was auf dem Forum verhandelt sei, welche für, welche gegen den Gesetzesvorschlag gesprochen, wie viele Tribus für, wie viele gegen gestimmt. Dann gehen sie aufs Comitium, damit sie selbst nicht einen Rechtsstreit bekommen (weil sie den Termin nicht eingehalten). Auf dem Wege bleibt keine eingemauerte Amphora leer: denn ihr Bauch ist voll vom Weine. Unmuthig kommen sie im Comitium an: sie lassen die Sachwalter vortreten. Die, deren Amt es ist, reden. Der Richter fordert die Zeugen vor: er selbst geht abseiten. Wie er zurück kommt, sagt er: ich habe alles gehört, geht die Stimmtafeln ab. Er sieht die Buchstaben an, mit Mühe hält er die Wimpern auf. Wie er zur Berathung geht, spricht er also: Was habe ich mit jenen Schwätzern zu thun! wie viel besser ists, wir trinken Süsstrank mit griechischem Wein angemacht und essen einen fetten Krametsvogel und einen guten Fisch, einen echten Hecht, der zwischen den beiden Brücken (pons sublicius und pons palatinus) gefangen ist." —

unguentis delibuti] *delibuti unguentis* Cod. X sec. apud Duebnerum. item Ioannes Saresberiensis l. l. *ludunt alea studiose, delibuti unguentis.*

litem suam faciant] i. e. ne ipsi in causam cadant, ne ipsi culpae fiant rei propter vadimonium desertum. Bunsen bene vertit: damit

sie selbst nicht einen Rechtsstreit bekommen. Seneca De Consolatione ad Polybium c. 21. *Quid cessas? conqueramur, atque adeo ipse hanc litem meam faciam.* Gellius 10, 1. *Nam et Varro satis aperte, quid diei oporteret, edocuit, et ego adversus eum, qui doctus esse dicebatur, litem meam facere absens nolui.*

angiporto] *angiportu* Io. Saresberi. *habeant*] *habent* Io. Saresber.

dicunt] *narrant* cod. X. sec. apud Duebner. item Saresber.: *Iubent dicere quorum negotium est. Narrant.*

tabulas] tabellae iudicum suffragia ferentium in comitiis.

literas] in tabulis aut *A* i. e. absolvo, et *K* i. e. condemno inscriptum est, aut *L* (libero) et *D* (damno), ut ex denariis gentis Cassiae atque Coeliae apparet. Conf. Eckhel t. 5. p. 176. Göttling G. d. röm. Staatsverf. p. 395.

eunti in consilium] i. e. wie er zur Abstimmung geht. *Mittere in consilium* dicitur, cum is, qui praeest iudicio, perorata causa iubet iudices sententiam ferre. Ipsi autem iudices dicuntur *ire in consilium.* Ernesti Clavis Latinit. Io. Saresber. habet in *concilium.*

nugacibus] *nugatoribus* cod. X. sec. ap. Duebn. item Saresberiensis.

quam potius] *potiusquam* cod. X. sec. ap. Duebn. item Saresberi. *quin potius — ?* vere emendat Madwig ad. Cic. De finib. 4, 8. p. 518.

potamus] *potemus* Saresberi.

mulsum] v. Beekers Gallus t. 2. p. 174. Mulsum vulgare vino vernaculo, mulsum optimum et pretiosissimum vino graeco miscebatur.

mixtum vino] *mixtum cum vino* Io Saresber.

qui inter duos pontes] inter pontem sublicium et palatinum. Plinius Histor. 9, 54. *Sergius Orata primus optimum saporem ostreis Lucrinis adiudicavit, quando eadem aquatilium genera aliubi atque aliubi meliora, sicut lupi pisces in Tiberi amne inter duos pontes.* Io. Saresber. omittit vocab. *duos.*

Macrobius Saturnal. 2, 9. *Ubi iam luxuria tunc accusaretur, quando tot rebus farta fuit coena pontificum? ipsa vero edulium genera quam dictu turpia? Nam Titius in suasione legis Fanniae obiicit seculo suo, quod porcum Troianum mensis inferant; quem illi ideo sic vocabant, quasi aliis inclusis animalibus gravidum, ut ille Troianus equus gravidus armatis fuit.*

Titius] sic scripsi pro *Cincius*, quod vulgo legitur, auctore Ioanne Saresberiense de Nugis Curialium 8, 7. p. 556. qui Macrobii locum ad verbum transtulit: *Nam Titius in suasione legis Funniae obiicit seculo suo, quod porcum Troianum mensis inferant, quem illi ideo sic vocabant, quasi aliis inclusis animalibus gravidum, sicut Troianus ille equus gravidus armatis fuit.* Alii, ut Baiterus in Indice legum s. *lege Fannia sumtuaria*, et Fischer Zeittafeln ad a. 593 putant, et a. Cincio quodam et a Titio legem Fanniam fuisse defensam. Sed melius est, Ioannem sequi Saresberiensem, ut qui veram demonstrasse viam videatur.

porcum Troianum] Tale artificium culinae in coena Trimalchionis convivas exhilarat, auctore Petronio c. 40, ubi legimus: *strictoque venatorio cultro latus apri vehementer percussit, ex cuius plaga turdi evolaverunt.* Beckers Gallus 2 T. p. 188. Conf. de his artibus Böttigeri Comment. *Ein antiker Küchenzettel aus Rom.* Kleine Schriften T. 3. p. 217.

Querat forsitan aliquis, unde habuerit Macrobius orationem Titii, qui antiquis oratoribus adnumerandus est. Equidem suspicor, vetera eloquentiae monumenta etiam tum extitisse in Licinii Muciani opere, qui aevo Vespasiani imperatoris oratorum romanorum orationes collegerat et in unum corpus redegerat.

XXVI. *Cincius.*

Legendum ***C. Titius***, ut paulo ante dictum est.

XXVII. *Favorinus.*

Omnia incerta, nomen oratoris absurdum, sed a codicibus Gellii, qui adhuc sunt collati, medicina nulla affertur.

Legimus namque apud Gellium 15, 8. *Locus ex oratione Favorini veteris oratoris de coenarum atque luxuriae opprobratione, qua usus est, cum legem Liciniam de sumtu minuendo suasit. Cum legeremus orationem veterem Favorini, non indiserti viri, quam orationem totam, ut meminisse possemus, odio esse hercle istiusmodi sum-*

tus atque victus, perdidicimus. Verba, quae apposuimus, Favorini haec sunt.

Duplex est quaestio, una, quis est Favorinus, orator vetus? altera, quae est lex Licinia de sumtu minuendo quandoque lata?

Oratori nulli romano nomen est Favorini: id enim nomen latinum non est. Igitur aliud nomen quaerendum et ex verbis Gellii explorandum. Nec crediderim, Gellium ipsum tam stolidum fuisse, ut Favorinum veterem oratorem latinum putaret. Falsterus solus in Memoriis p. 54 nihil mutandum esse, scribit: „*Favorinus orator romanus, cuius aetatis nescio. Ego praeter necessitatem a codicibus minime recedendum esse arbitror, retinendum vero nomen Favorini, quod post nostrum usurparunt Favorinus peripateticus apud Plut. Sympos. VII.* 10 *et Favorinus Platonicus (apud Suidam, Gellium aliosque).*

Pithoeus corrigit *Fannius*, praesertim cum lex Fannia sumtuaria, a. 593 (161) lata, sit notissima. Gellius 2, 24.

Iac. Gronovius *P. Augurinum* pro Favorino esse legendum dicit.

Mich. Virdungus (ad Agricolam Taciti) tribuit orationem *Favonio*. Eique opinioni in editione priore sum assensus, cum arbitrarer, M. Favonium a. 699 (55) legem sumtuariam, a M. Licinio Crasso et Pompeio coss. promulgatam (nec tamen perlatam, ut ex Dione Cass. 39, 37 apparet) suasisse. Sed ea opinio, quae Westermanno quoque p. 218 placebat, coniectura tantum, non auctoritate et testimonio scriptorum nititur, et a Drumanno Gesch. Roms t. 3. p. 34 atque a Baitero in Indice Legum p. 276 non sine causa repudiatur, propterea quod isti consules legem suam ipsi abiecerint, verba autem Gellii et Macrobii et Festi necessario ad legem perlatam referenda sint.

Altera igitur quaestio est: quae est lex Licinia sumtuaria? *Licinia lex*, inquit Macrobius Sat. 2, 13., *lata est a P. Licinio Crasso Divite.*

Gronovius ad Gellium 2, 24 legem Liciniam anno 665 (89) assignat, cum P. Licinius Crassus censor erat.

Bach in Hist. Iurisprudentiae p. 165 anno 657 (97), cum consul erat. Eum secutus est Kreuzer Abriss der Röm. Antiqu. p. 429 et Weichert Poet. Lat. Rel. p. 48. et Walter Gesch. d. röm. Rechts p. 252.

Pighius T. 3. p. 122. dicit, eam legem a P. Licinio anno 644 (110), cum tribunus plebis erat, latam esse. Cum eo consentit Varges in Specimine Lucilianarum Quaestt. in Museo Rhenano III. 1. 1835. p. 42.

Fr. Wüllner in Comment. de Laevio poeta (Allgem. Schulzeitung 1830 Decemb. n. 155) anno 650 (104), cum praetor erat.

Drumann t. 4. p. 70 scribit: Ignoramus, quo annorum ordine magistratus inferiores obtinuerit Licinius et quando legem sumtuariam tulerit: id autem factum est, antequam consul fuit. Pighius putat, latam in tribunatu, alii in praetura; id discerni nequit: sed certum est, eam non in consulatum Crassi cadere, ut Luzac in Hortensio p. 77 credit, siquidem Lucilius poeta, qui eam in Satiris memoravit, ante hunc annum mortuus sit, id est, a. 651 (103).

Constat igitur, legem Liciniam sumtuariam ante annum 657 (97), id est, ante consulatum Crassi latam, sed omnino incertum, quis orator eam suaserit: Favonius enim minor est natu; Fannius autem, quem alii intelligendum putabant, longe maior natu.

Gellius 15, 8. Verba haec, quae apposuimus, *Favorini* sunt:

Praefecti popinae atque luxuriae negant coenam lautam esse, nisi, cum libentissime edis, tum auferatur et alia esca melior atque amplior succenturietur. Is nunc flos coenae habetur inter istos, quibus sumtus et fastidium pro facetiis procedit: qui negant ullam avem praeter ficedulam totam comesse oportere, ceterarum avium atque altilium, nisi tantum apponatur, ut a cluniculis, inferiore parte, saturi fiant, convivium putant inopia sordere: superiorem

partem avium atque altilium qui edunt, eos palatum non habere. Si proportione luxuria pergit crescere, quid relinquitur, nisi uti delibari sibi coenas iubeant, ne edendo defetigentur, quando stratus auro argento purpura amplior aliquot hominibus quam diis immortalibus adornatur.

praefecti] hoc fragmentum illi simillimum, quod *Titio* tribuitur et ex suasione legis Fanniae sumtuariae sumtum fertur (v. p. 204).

praefecti popinae etc.] Similiter Pseudo-Cicero in or. post reditum c. 6, 15. *His utitur quasi praefectis libidinum suarum.*

nisi, cum] „*Reg. alter a sec. m. n i s i s i, c u m, sine dubio e collatione antiquioris ms.*" Dueboer.

flos coenae] i. e. ea nunc exquisitissima coena habetur. Galli itidem c'est la fleur d'un repas.

fastidium] Scaliger in Festum s. v. *cuppes* p. 368 ed. Lind. dicit: Fastidium est, quod vulgus Gallorum dicit *friandise* et fastidiosus *friand*. Vetustissimus orator Favorinus: „*Is nunc flos coenae habetur inter istos, quibus sumtus et fastidium pro facetiis procedit.*" — An igitur Scaligerus *Favorini* nomen verum et incorruptum esse censuit?

pro facetiis procedit] i. e. pro deliciis habetur.

ficedulam] die Feigendrossel. Petronius in coena Trimalchionis c. 33. *pinguissimam ficedulam inveni piperato vitello circumdatam.* Macrobius Sat. 2, 9.

altilium] aves distinguuntur ab avibus altilibus i. e. ab iis, quae ali solent, ut anseres.

inferiori parte] haec verba eandem avium partem significant, quae *a cluniculis* significatur. Quid? si *inferiore parte* glossa est? ait Gessnerus in Thesauro s. v. *cluniculus*. Conf. Martialis l. 13, 52.

Tota quidem ponatur anas, sed pectore tantum
et cervice sapit: cetera redde coco.

Böttiger Kleine Schriften t. 3. p. 223.

palatum non habere] *non* deest in codicibus. I. Gronov. emendat *palatum haud habere*. F. Gronov. melius *eis palatum habere*.

defetigentur] „ita cod. Reg. et duo alii apud Gronov." Dueboer. Volgo *defatigentur*.

quando] si quidem.

stratus] triclinia hominum luxuriosorum auro argento ebore purpurea veste magis iam insignia erant quam triclinia, quae in lectisterniis diis parari solebant.

aliquot] corruptum puto. Scaliger *aliqua*, ut ad *purpuram* pertineat. An *aliquanto*? amplior aliquanto i. e. multo amplior.

XXVIII. *C. Papirius Carbo.*

Natus fere anno 590 (164).

Tribunus plebis a. 623 (131), praetor a. 630 (124), consul a. 634 (120). Accusatus a L. Crasso maiestatis a. 635 (119) morte voluntaria iudicium effugit.

C. Papirius Carbo filius infra inter oratores nominabitur, eiusque exstat fragmentum in *Oratore Ciceronis* c. 63, 213, quod in *Onomastico Ciceronis* Carboni patri tribuitur, quod fieri nequit, cum Carbo pater diu antequam Cicero natus est, e vita excederet, ita ut in *Oratore* suo non potuisset scribere Cicero: *Me stante C. Carbo C. F. tribunus pl. in concione dixit et cett.*

Cicero Bruto c. 25. *M. Aemilium Lepidum, qui est Porcina dictus, studiose duo adolescentes ingeniosissimi et prope aequales, C. Carbo et Ti. Gracchus audire soliti sunt.*

Ibidem c. 27. *Utinam in Ti. Graccho Gaioque Carbone talis mens ad rem publicam bene gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit, profecto nemo his viris gloria praestitisset. Sed eorum alter propter turbulentissimum tribunatum ab ipsa re publica est interfectus, alter propter perpetuam in populari ratione levitatem morte voluntaria se a severitate iudicum vindicavit. Sed fuit uterque summus orator atque hoc memoria patrum teste dicimus. Nam et Carbonis et Gracchi habemus orationes, nondum satis splendidas verbis, sed acutas prudentiaeque plenissimas. — Carbo, quod vita suppeditavit, est in multis iudiciis causisque cognitus. Hunc qui audierant prudentes homines, in quibus familiaris noster L. Gellius, canorum oratorem et volubilem et satis acrem atque eundem et vehementem et valde dulcem et perfacetum fuisse dicebant: addebant, in-*

dustrium etiam et diligentem et in exercitationibus commentationibusque multum operae solitum esse ponere. Hic optimus illis temporibus est patronus habitus.

Ibidem c. 86. *Carbonem in summis oratoribus habitum scio, sed cum in ceteris rebus tum in dicendo semper, quo nihil est melius, id laudari, qualecunque est, solet. Dico idem de Gracchis.*

Ibidem c. 97. *Nonne cernimus, vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles constitisse? Galba fuit inter tot aequales unus excellens — Lepidus postea, deinde Carbo.*

Cicero De Oratore 1, 10. *Ser. Galbam memoria teneo, divinum hominem in dicendo, et M. Aemilium Porcinam et C. ipsum Carbonem ignarum legum, haesitantem in maiorum institutis, rudem in iure civili.*

Ibid. 3, 7. *Gravitatem Africanus, lenitatem Laelius, asperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo et canorum. Quis horum non princeps temporibus illis fuit? et suo tamen quisque in genere princeps.*

Tacit. De Orator. 18. *Servius Galba, Gaius Carbo, quosque alios merito antiquos vocaverimus, sunt horridi et inpoliti et rudes et informes.*

1. Oratio pro lege sua de tribunis pl. reficiundis.

C. Papirius Carbo tribunus pleb. eam legem a. 623 (131) promulgavit.

Livius Epit. lib. 59. *Cum Carbo tribunus pl. rogationem tulisset, ut eundem tribunum plebis, quoties vellet, creare liceret, rogationem eius P. Africanus gravissima oratione dissuasit, in qua dixit, Ti. Gracchum iure caesum videri. Gracchus contra suasit rogationem, sed Scipio tenuit.*

Conf. Orat. *Scipionis* p. 189., *Laelii* p. 173., *C. Gracchi.*

Cicero in Laelio 25. *Concio, quae ex imperitissimis constat, tamen iudicare solet, quid intersit inter popularem, id est, assentatorem et levem civem et inter constantem severum et gravem. Quibus blanditiis nuper C. Papirius influebat in aures concionis, cum ferret legem de tribunis pl. reficiendis. Dissuasimus nos. Sed nihil de me, de Scipione dicam libentius. — — Lex popularis suffragiis populi repudiata est.*

2. Oratio pro lege sua tabellaria.

Carbo in tribunatu a. 623 (133) legem dedit tabellariam, ut in legibus iubendis ac vetandis populus tabellis, non suffragiis uteretur. Vid. Walter Gesch. des röm. Rechts p. 257.

Cicero De Legibus 3, 16, 15. *Sunt quattuor leges tabellariae — Gabinia — Cassia — Carbonis est tertia, de iubendis legibus ac vetandis, seditiosi atque improbi civis, cui ne reditus quidem ad bonos salutem a bonis potuit afferre.*

3. Oratio pro L. Opimio contra Q. Decium tribunum pl.

Ea causa acta a. 634 (120). L. Opimius consul a. 633 (121) C. Gracchum et magnam civium multitudinem tumultu facto cecidit. Anno sequenti, postquam consulatu functus erat, maiestatis crimine apud populum a Q. Decio tribuno pl. accusatur. C. Carbo consul, qui antea in C. Gracchi partibus steterat et eiusdem leges seditiosas admodum defenderat, mutato repente consilio Opimii causam suscepit, et in oratione sua C. Gracchum iure caesum videri dixit. Hac inconstantia et levitate animi et suis partibus et optimatibus pariter invisus, ita ut ne reditus quidem eius ad bonos (id est, ad optimates) salutem a bonis posset afferre, ut Cicero ait De Legibus 3, 16, 35. sequenti enim anno maiestatis condemnatus est.

Livius Epit. lib. 61. *C. Gracchus seditioso tribunatu acto, cum Aventinum quoque armata multitudine occupasset, a L. Opimio consule ex senatus consulto vocato ad arma populo pulsus et occisus est et cum eo Fulvius Flaccus consularis, socius eiusdem furoris. — — L. Opimius accusatus apud populum a Q. Decio tribuno pl., quod indemnatos cives in carcerem coniecisset, absolutus est.*

Cicero de Oratore 2, 25. *Saepe autem res non sit necne, sed qualis sit, quaeritur, ut cum Opimii causam defendebat apud populum audiente me C. Carbo consul, nihil de C. Gracchi nece negabat, sed id iure pro salute patriae factum esse dicebat, ut eidem Carboni tribuno plebis, alia tum mente rem publicam capessenti, P. Africanus de Ti. Graccho interroganti responderat, iure caesum videri.*

Cicero de Orat. 2, 39. *Carbo: Si consul est, qui consulit patriae, quid aliud fecit Opimius?*

Ibidem 2, 40. *Si Gracchus nefarie, praeclare Opimius.*

4. Oratio pro se contra L. Licinium Crassum.

C. Carbo a. 635 (119) maiestatis accusatur a L. Licinio Crasso, qui tum unum et vigesimum annum aetatis agebat. Sed nescio, orationem habuerit Carbo an statim reus factus de salute sua desperaverit et veneno vitam finiverit. Vide Orat. *Crassi.*

Cicero Bruto c. 27. *Carbo propter perpetuam in populari ratione levitatem morte voluntaria se a severitate iudicum vindicavit.*

Cicero ad Familiares 9, 21. *Caius Carbo accusante L. Crasso cantharidas sumsisse dicitur: is et tribunus pl. seditiosus et P. Africano vim attulisse existimatus est.*

Aliter rem narrat Valerius Max. lib. 3, 7, 6., qui C. Carbonem Crasso accusante in exilium missum esse scribit. Conf. Perizonii Animadv. hist. p. 93.

XXIX. *Tiberius Sempronius Gracchus.*

Natus est a. 590 (164): nam in tribunatu a. u. 621 (133) interfectus est, cum nondum trigesimum annum attigisset. Plut. vit. Cai Gracchi c. 1. Sed, si anno legitimo quaesturam obierat anno 617 (137), natus esse videtur a. 586 (168): annus enim unus et trigesimus quaestoribus lege praescriptus erat. Conf. Westermann p. 71.

Cicero Bruto 27. *Utinam in Ti. Graccho Caioque Carbone talis mens ad rem publicam bene gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit, profecto nemo his viris gloria praestitisset. Sed eorum alter propter turbulentissimum tribunatum, ad quem ex invidia foederis Numantini bonis iratus accesserat, ab ipsa re publica est interfectus. — Sed fuit uterque summus orator. atque hoc memoria patrum teste dicimus. nam et Carbonis et Gracchi habemus orationes nondum satis splendidas verbis, sed acutas prudentiaeque plenissimas. Fuit Ti. Gracchus diligentia Corneliae matris a puero doctus et graecis litteris eruditus. nam semper habuit exquisitos e Graecia magistros, in eis iam adolescens Diophanem Mytilenaeum, Graeciae temporibus illis disertissimum. Sed ei breve tempus ingenii augendi et declarandi fuit.* c. 25. *M. Aemilium Lepidum Porcinam studiose duo adolescentes ingeniosissimi et prope aequales C. Carbo et Tib. Gracchus audire soliti sunt.*

Ibid. c. 58, 211. *Legimus epistolas Corneliae, matris Gracchorum: apparet, filios non tam in gremio educatos quam in sermone matris.*

epistolas] idem scribit Quintilianus I. 1, 1, 6. *Gracchorum eloquentiae multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus.* Epistolae Corneliae non amplius extant. Eas enim, quae vulgo inter fragmenta Cornelii Nepotis leguntur, rhetori cuidam tribuendas esse, plerisque persuasum est. Vid Lange Vermischle Schriften und Reden p. 108.

Ibidem c. 86. *Carbonem in summis oratoribus habitum scio, sed cum in ceteris rebus tum in dicendo semper, quo nihil est melius, id laudari qualecunque est, solet. Dico idem de* G r a c c h i s, *etsi de iis ea sunt a te dicta, quibus ego assentior.*

Ibid. c. 97. *Nonne cernimus, vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles constitisse? Galba fuit inter tot aequales unus excellens, Lepidus postea, deinde Carbo: nam Gracchi in concionibus, multo faciliore et liberiore genere dicendi, quorum tamen ipsorum ad aetatem laus eloquentiae perfecta nondum fuit.*

in concionibus] int. excellebant.

Quintil. 2, 5, 21. *Duo autem genera maxime cavenda pueris puto. Unum, ne quis eos antiquitatis nimius admirator in Gracchorum Catonisque et aliorum similium lectione durescere velit; fient enim horridi atque ieiuni. Nam neque vim eorum adhuc intellectu consequentur et elocutione, quae tum sine dubio erat optima, sed nostris temporibus aliena est, contenti, quod est pessimum, similes sibi magnis viris videbuntur.*

Ausonii Gratiarum actio p. 727 ed. Toll. *Et aliqua de oratoriis tuis virtutibus dicerem, nisi vererer mihi gratificari. Non enim Sulpicius acrior in concionibus nec* m a i o r i s G r a c c h i *commendabilior modestia fuit nec patris tui gravior auctoritas.*

Sulpicius] P. Sulpicius Rufus, de quo infra dicetur.

Plut. vit. Tib. Gracchi c. 2. *ὁ λόγος τοῦ μὲν Γαΐου φοβερὸς καὶ περιπαθὴς ἐις δείνωσιν, ἡδίων δ' ὁ τοῦ Τιβερίου καὶ μᾶλλον ἐπαγωγὸς οἴκτου, τῇ δὲ λέξει καθαρὸς καὶ διαπεπονημένος ἀκριβῶς ἐκεῖνος, ὁ δὲ Γαΐου πιθανὸς καὶ γεγανωμένος.*

1. Concio in Mancinum.

Acta videtur causa a. 618 (136).

Cum C. Hostilius Mancinus consul a. u. 617 (137) rebus male gestis ob foedus Numantinum (Livius Epit. 55. Plut. Vit. Tib. Gracchi c. 7. Cicero de Offic. 3, 30.) reus esset, Ti. Gracchus, quaestor eius, simul in iudicium vocatus, duabus rebus invidiam populi effugit, tum quia leges populares promulgaturum sese in tribunatu promiserat, tum relegando culpam in Mancinum imperatorem. Conf. Rubino Untersuch. üb. röm. Verf. u. Gesch. T. 1. p. 277.

Aurel. Victor. de Vir. Ill. c. 64. *Ti. Gracchus, quaestor Mancino in Hispania, foedus eius flagitiosum probavit. Periculum deditionis eloquentiae gratia effugit.*

Rhetores saepe hanc causam tractare solebant.

Quintil. 7, 4, 13. *Interdum culpa in hominem relegatur, ut si Gracchus reus foederis Numantini, cuius metu leges populares tulisse in tribunatu videtur, missum se ab imperatore suo diceret.*

Martianus Capella p. 415 ed. Capperonnier: *Remotio est, cum obiectum crimen in alterum vel in aliud ab eo, qui percellitur, removetur: in alium, ut Ti. Gracchus in Mancinum, qui auctor faciendi foederis fuit, quod tam senatus quam populus improbarat.*

2. Orationes pro legibus suis.

Ti. Gracchus in tribunatu suo a. 621 (133) leges populares tulit, easque multis orationibus et suasisse et

defendisse, probabile est. De legibus Semproniis v. Indicem Legum a Baitero confectum, deinde Ahrens in libro *Die drei Volkstribunen Ti. Gracchus, Drusus und Sulpicius*, atque Göttling p. 432.

Cicero Bruto c. 27. *Ti. Gracchus propter turbulentissimum tribunatum, ad quem ex invidia foederis Numantini bonis iratus accesserat, ab ipsa re publica est interfectus.*

Velleius 2, 2. *Immanem deditio Mancini civitatis movit dissensionem. Quippe Tiber. Gracchus, quo quaestore et auctore id foedus ictum erat, nunc graviter ferens aliquid a se factum infirmari, nunc similis vel iudicii vel poenae metuens discrimen, tribunus pl. creatus, descivit a bonis, pollicitusque toti Italiae civitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus omnium statum concutientibus summa imis miscuit, et in praeruptum atque anceps periculum adduxit remp.* Conf. Livii Epit. lib. 58.

In Plutarchi vita Ti. Gracchi c. 9 et 15. et in Appiano Bell. civil. 1. 9 et 11. plures orationes huius viri referuntur, quae vel ab ipsis his scriptoribus fictae vel ex aliis libris mutuatae videntur. Vide Ellendt p. XXXIX et Westermannus p. 71.

XXX. *L. Calpurnius Piso Frugi.*

Tribunus pl. a. 605 (149), consul a. 621 (133), quo anno Ti. Gracchi seditio coorta est; censor a. 634 (120), ut a Pighio in Fastis Consularibus coniectura constitutum est, quem secutus est *Liebaldt De L. Pisone Annalium scriptore.* Naumburg 1836. 4. p. 2. 4. alii enim annum censurae definiri posse negant. Vide Drumann Roms Geschichte t. 2. p. 81 sq.

Cicero Bruto c. 27. *L. Piso et causas egit et multarum legum aut auctor aut dissuasor fuit, isque et orationes reliquit, quae iam evanuerunt, et annales sane exiliter scriptos.*

1. Oratio pro lege sua de pecuniis repetundis.

Piso in tribunatu a. 605 (149) hanc legem tulit.

Cicero Bruto c. 27. *L. Piso tribunus pl. legem primus de pecuniis repetundis Censorino et Manilio coss. tulit.*

Verr. IV. 25. de Offic. 2, 21. Index Legum ab Orellio confectus. Walter Gesch. d. röm. R. p. 835. 860. Göttling Gesch. d. röm. Staatsverf. p. 422 sqq.

2. Orationes contra leges Gai Gracchi.

Eae sunt habitae a. 631 (123) et 632 (122).

Extabat etiam Gai Gracchi oratio in L. Pisonem de lege frumentaria. Cicero p. Fonteio 13. Tuscul. 3, 20. Conf. Liebaldt De L. Pisone p. 6.

XXXI. *M. Fulvius Flaccus.*

Socius Gracchorum, homo popularis, legum seditiosarum auctor et suasor. Triumvir agris dividundis creatur a. 623 (131). Consul a. 629 (125). Tribunus pl. a. 632 (122), quo magistratu una cum C. Graccho per Opimium consulem a. 633 (121) seditione coorta occiditur. Appian. Bell. Civil. 1. 24. Liv. Epit. 61. Velleius 2, 6.

Cicero Bruto c. 28. *In aliquo numero etiam M. Fulvius Flaccus et C. Cato, Africani sororis filius, mediocres oratores: etsi Flacci scripta sunt, sed ut studiosi literarum.*

scripta sunt] i. e. orationes reliquit, quarum infra enarrabo argumenta, quantum fieri potest. Incertum, an idem sit cum Fulvio Flacco, historico, qui a Varrone, Censorino, Macrobio laudatur.

1. Oratio adversus P. Scipionem Nasicam Serapionem.

Ea dicta est anno 622 (132). Fulvius accusavit P. Scipionem Nasicam, qui anno 621 (133) seditione coorta Ti. Gracchum interfecerat, isque a populo incitato damnatus fuisset, nisi in exilium voluntarium decessisset.

Cicero de Oratore 2, 70. *Placet etiam mihi illud Scipionis illius, qui Ti. Gracchum perculit. Cum ei M. Flaccus multis probris obiectis P. Mucium iudicem tulisset, Eiero, inquit, iniquus est. Cum esset admurmuratum, Ah, inquit, P. C. non ego mihi illum iniquum eiero, verum omnibus.*

Valer. Max. 5, 3, 2. *Quis ignorat, tantum laudis Scipionem Nasicam toga quantum armis utrumque Africanum meruisse? Qui pestifera Ti. Gracchi manu faucibus oppressam rempubl. strangulari passus non est. Sed is quoque propter iniquissimam virtutum suarum apud cives aestimationem sub titulo legationis Pergamum secessit, et quod vitae superfuit, ibi sine ullo ingratae patriae desiderio peregit.*

Aurel. Vict. de Vir. illust. c. 64. *Nasica ut invidiae subtraheretur, per speciem legationis in Asiam ablegatus est.* Plut. Tib. Graccho c. 21.

2. Oratio adversus P. Corn. Scipionem Africanum minorem.

Ea dicta est anno 625 (129). M. Fulvius Flaccus, triumvir agris dividundis cum C. Graccho et C. Papirio Carbone creatus, plebem seditiosis concionibus concitavit, Africanumque, patronum sociorum Italicorum, qui triumviris in agro sociorum dividundo adversatus est, pro rostris vituperavit tamquam inimicum plebis romanae.

Liv. Epit. lib. 59. *Seditiones a triumviris Fulvio Flacco et C. Graccho et C. Papirio Carbone agro dividendo creatis excitatae. Quibus cum P. Scipio*

Africanus adversaretur, fortisque ac validus de die domum se recepisset, mortuus in cubiculo inventus est. Suspecta fuit, tamquam ei venenum dedisset, Sempronia uxor, hinc maxime, quod soror esset Gracchorum, cum quibus simultas Africano fuerat. De morte tamen eius nulla quaestio acta.

Plut. Vit. Cai Gracchi c. 10. *Ὅτε Σκιπίων Ἀφρικανὸς ἐξ οὐδενὸς αἰτίου προφανοῦς ἐτελεύτησε καὶ σημεῖά τινα τῷ νεκρῷ πληγῶν καὶ βίας ἐπιδραμεῖν ἔδοξεν, τὸ μὲν πλεῖστον ἐπὶ τὸν Φούλβιον ἦλθε τῆς διαβολῆς ἐχθρὸν ὄντα καὶ τὴν ἡμέραν ἐκείνην ἐπὶ τοῦ βήματος τῷ Σκιπίωνι λελοιδορημένον, ἥψατο δὲ καὶ τοῦ Γαΐου ὑπόνοια.*

Appian. Bell. Civ. 1. 19. 20. Scholia Bobiensia p. Milone p. 283.

3. Oratio pro lege sua de civitate sociis Italicis danda.

M. Fulvius consul cam suasit a. 629 (125).

Valer. Max. 9, 5, 1. *M. Fulvius Flaccus consul, M. Plautii Hypsaei collega, cum perniciosissimas reipublicae leges introduceret de civitate danda et de provocatione ad populum eorum, qui civitatem mutare voluissent, aegre compulsus est, ut in curiam veniret. Deinde partim monenti, partim oranti senatui ut incepto desisteret, responsum non dedit.* Appian. Bell. Civ. 1, 21.

4. Orationes pro legibus Gai Gracchi.

Fulvius tribunus pl. a. 632 (122) C. Gracchum adiuvit eiusque leges suasit.

Appian. Bell. Civ. 1, 24.

XXXII. *M. Iunius Pennus.*

Tribunus pl. a. 628 (126).

Cicero Bruto c. 28. *M. Pennus facile agitavit in tribunatu C. Gracchum, paulum aetate antecedens:*

fuit enim M. Lepido et L. Oreste coss. quaestor Gracchus, tribunus Pennus, illius M. filius, qui cum Q. Aelio consul fuit, sed is omnia summa sperans aedilicius est mortuus.

C. Gracchum] M. Pennus in tribunatu legem tulit de peregrinis, quam C. Gracchus dissuasit, ut in orationibus C. Gracchi mox dicemus.

Equidem Iunium Pennum non inter oratores retulissem, nisi Ellendt ad Ciceronis locum p. 82. id fecisset, orationum Penni particulam apud Plinium Hist. 33, 2, 9. legi ratus. Ibi enim legimus: *Equitum quidem etiam nomen ipsum saepe variatum est, in his quoque qui ad equitatum trahebantur. Celeres sub Romulo regibusque appellati sunt, deinde flexumines, postea trossuli, cum oppidum in Tuscis citra Volsinios sine ullo peditum adiumento cepissent eius vocabuli, idque duravit ultra C. Gracchum. Iunius certe, qui ab amicitia eius Gracchanus appellatus est, scriptum reliquit his verbis: „Quod ad equestrem ordinem pertinet, antea trossulos vocabant, nunc equites vocant, ideoque quia non intelligunt trossulos nomen quid valeat, multos pudet eo nomine appellari", et causam, quae supra indicata est, exponit invitosque etiamnum tamen trossulos vocari.*

Sed duabus potissimum causis Ellendtii opinionem refellendam arbitror. Primum verisimile non est, hoc Iunii fragmentum ex oratione quadam petitum esse: stilus enim et color indicat potius, ex historico esse sumtum. Deinde Iunium Plinii Iunium Pennum esse nego, sed potius M. Iunium Gracchanum intelligendum censeo qui de potestatum iure scripsit. Cic. De Legibus 3, 20, 49. Ioannes Lydus De Magistrat. populi romani lib. 1. 24. p. 139 ed. Bekk. eiusdem facit mentionem: Ἰούνιος Γραχχιανὸς ἐν τῷ περὶ ἐξουσιῶν. Conf. Niebuhr H. R. t. 2. p. 12. Orellius in Onomastico. Westermann p. 90. Drumann t. 4. p. 51.

XXXIII. *M. Cato M. f. M. n.*

Consul a. 636 (118). Hic orator a Cicerone in Bruto praetermissus.

Gellius lib. 13, 19. *Ex maiore Catonis* (censorii) *filio, qui praetor designatus patre vivo mortuus est, et egregios de iuris disciplina libros reliquit, nascitur hic, de quo quaeritur, M. Cato, M. filius, M. nepos. Is satis vehemens orator fuit multasque orationes ad exemplum avi scriptas reliquit, et consul cum Q. Marcio Rege fuit, inque eo consulatu in Africam profectus, in ea provincia mortem obiit.*

1. Oratio de actionibus ad populum, ne lex sua abrogetur.

Nescio an intelligatur lex Porcia de provocatione. Constat autem, tres fuisse de provocatione leges Porcias. Cicero De Republica 2, 31. „*Neque vero leges Porciae, quae tres sunt trium Porciorum, ut scitis, quidquam praeter sanctionem attulerunt novi.*" — De auctoribus harum legum adhuc ambigitur. Certum esse videtur, P. Porcium Laecam tribunum pl. a. 556 unam tulisse (vid. supra p. 20), sed de reliquis duabus nihil constat. Est igitur verisimile, M. Catonem M. f. M. n. alteram legem Porciam promulgasse, et eum forte aliquando de ea abroganda referretur, orationem eum habuisse, ne id fieret.

praeter sanctionem] Göttling G. d. röm. Staatsv. p. 427. „Die *Sanction* kann hier nichts anderes heissen, als die *Weihung des Hauptes* desjenigen, welcher dagegen verstösst und die Provocation eines römischen Bürgers nicht beachtet.

Priscianus t. 1. p. 110. A *saepe* adverbio superlativum posuit *Cato nepos de actionibus ad populum, ne lex sua abrogetur: Facile vobis in mentem veniat, Quirites, ex aere alieno in hac civitate et in aliis omnibus propter diem atque fenus saepissimam discordiam fuisse.*

diem] i. e. Zahlungstermin. Ex hoc ipso fragmento elucet, legem Porciam *de provocatione ad populum* esse intelligendam: ea enim lex vetuit, quo minus creditores in vincula coniicerent venderentque debitorem, siculi prioribus temporibus factum est.

discordium] Verum est, ab antiquissimis inde temporibus, quotiescunque in republica romana seditio aut turbae civiles coortae sunt, eas propter aes alienum sive ob cives obaeratos factas esse. Hinc secessiones populi, hinc rogationes Liciniae, turbae Gracchanae, leges agrariae, hinc leges Porciae. Conf. Niebuhr 1. 3. p. 22. Fuss (*Antiquitates Romanae* p. 67) *aes alienum*, ait, *ut a regibus expulsis inter praecipuas plebeiorum miseriae et discordiae civilis causas, ita extrema iam libertate inter gravissima reipublicae mala invenimus.*"

2. Oratio . . . .

Festus p. 154. *Magnificius* pro magnificentius usurpavit — *Cato* in ea quam — —, at *nepos eius* in ea (quam scripsit . . . . *Ta)men, ait, cum aedilis (curulis esset, Magnae Mat)ris ludos magni)ficentius quam alii fecit.)*

XXXIV. *C. Sempronius Gracchus.*

C. Gracchus novem annis natus minor Tiberio fratre erat, unde anno fere 600 (154) natum constat. Plut. C. Gracch. c. 1.

Quaestor in Sardinia a. 628 (126). Tribunus plebis a. 631 (123) et iterum a. 632 (122). Cum in eo magistratu multas promulgasset leges populares, vi atque armis optimates restitere. Seditio exorta est a. 633 (121), et interfectus Gaius.

Cicero Bruto 33. *Sed ecce in manibus vir et praestantissimo ingenio et flagranti studio et doctus a puero C. Gracchus. Noli enim putare, quemquam pleniorem et uberiorem ad dicendum fuisse. Et ille, sic prorsus, inquit, existimo, atque istum de superioribus pene solum lego. Immo plane, inquam,*

Brute, legas censeo. Damnum enim illius immaturo interitu res romanae latinaeque literae fecerunt. Utinam non tam fratri pietatem quam patriae praestare voluisset! quam ille facile tali ingenio, diutius si vixisset, vel paternam esset vel avitam gloriam consecutus. Eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem. Grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis, manus extrema non accessit operibus eius, praeclare inchoata multa, perfecta non plane. Legendus, inquam, est hic orator, si quisquam alius, iuventuti. non enim solum acuere sed etiam alere ingenium potest.

Ibid. c. 86, 296. *Carbonem in summis oratoribus habitum scio, sed cum in ceteris rebus tum in dicendo semper, quo nihil est melius, id laudari, qualecunque est, solet. Dico idem de Gracchis, etsi de iis ea sunt a te dicta, quibus assentior.*

Ibid. c. 96. *Nonne cernimus, vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles constitisse? Galba fuit inter tot aequales unus excellens, cui et Cato cedebat senior; Lepidus postea, et deinde Carbo: nam Gracchi in concionibus, multo faciliore et liberiore genere dicendi,* (int. excellentes fuerant) *quorum tamen ipsorum ad aetatem laus eloquentiae perfecta nondum fuit.*

Cuncti oratores, qui ante Ciceronem vixere, quam maxime C. Gracchum imitari studebant. Vid. Cicero de Orat. 1. 34. Auctor ad Herenn. 4, 1, 2. et 4, 2, 1.

Velleius l. 1, 17, 3. *Oratio ac vis forensis perfectumque prosae eloquentiae decus, ut idem separetur Cato (pace P. Crassi Scipionisque et Laelii et G r a c c h o r u m et Fannii et Servii Galbae dixerim) ita universa sub principe operis sui erupit Tullio, ut delectari ante eum paucissimis, mirari vero neminem possis, nisi ab illo visum aut qui illum viderit.*

ibid. 2, 9, 1. *Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Aemilianus Laeliusque, Ser. Galba,*

duo ***Gracchi****, C. Fannius, Carbo Papirius nec praetereundus Metellus Numidicus et Scaurus.*

ibid. 2, 6, 1. *Qui Ti. Gracchum, idem* ***Caium fratrem*** *eius occupavit furor tam virtutibus eius omnibus quam huic errori similem,* ***ingenio etiam eloquentiaque longe praestantiorem.***

Livii Epit. 60. *C. Gracchus, Ti. frater, tribunus pl. eloquentior quam frater.*

Plut. Tiber. Gracch. c. 2. *Ὁ λόγος τοῦ μὲν Γαΐου φοβερὸς καὶ περιπαθὴς εἰς δείνωσιν, ἡδίων δ᾽ ὁ τοῦ Τιβερίου καὶ μᾶλλον ἐπαγωγὸς οἴκτου, τῇ δὲ λέξει καθαρὸς καὶ διαπεπονημένος ἀκριβῶς ἐκεῖνος, ὁ δὲ Γαΐου πιθανὸς καὶ γεγανωμένος. — — Τῷ δ᾽ ἤθει κατὰ τὴν τοῦ λόγου διαφορὰν ὁ μὲν ἐπιεικὴς καὶ πρᾶος, ὁ δὲ τραχὺς καὶ θυμοειδὴς, ὥστε καὶ παρὰ γνώμην ἐν τῷ λέγειν ἐκφερόμενον πολλάκις ὑπ᾽ ὀργῆς τήν τε φωνὴν ἀποξύνειν καὶ βλασφημεῖν καὶ συνταράττειν τὸν λόγον.*

Dio Cassius Fragm. Peiresc. N. 90 (N. 217 in versione Tafelii). *Ὁ (Γάϊος) Γράκχος τὴν μὲν γνώμην ὁμοίαν τῷ ἀδελφῷ εἶχεν, ἐν δὲ παρασκευῇ τῶν λόγων πολὺ αὐτοῦ προέφερε.*

Dialog. De Oratoribus c. 26. *Si omisso optimo illo et perfectissimo genere eloquentiae eligenda sit forma dicendi, malim* ***Gai Gracchi impetum*** *aut L. Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis. adeo melius est, oratorem vel hirta toga induere quam fucatis et meretriciis vestibus insignire.*

ibid. c. 18. *Catoni seni comparatus Caius Gracchus plenior et uberior, sic Graccho politior et ornatior Crassus, sic utroque distinctior et urbanior et altior Cicero.*

Appuleius Apologia p. 589 edit. Oud. *quamcunque orationem struxerit Avitus, ita illa erit undique sui perfecte absoluta, ut in illa nec Cato gravitatem requirat nec Laelius lenitatem nec Gracchus impetum nec Caesar calorem nec Hortensius distributio-*

nem nec Calvus argutias nec parsimoniam Salustius nec opulentiam Cicero.

Gellius l. 10, 3. *Fortis ac vehemens orator existimatur esse C. Gracchus. nemo id negat. sed quod nonnullis videtur severior, acrior ampliorque esse M. Tullio, ferri id qui potest?*

Servius ad Virg. Aen. XI, 301. *Maiores nullam orationem nisi invocatis numinibus inchoabant, sicut sunt omnes orationes Catonis et Gracchi.*

Catonis] v. Testimonia de Catone oratore pag. 19.

Frontonis Epist. l. 3. ep. 18. M. Caesar scribit: *In quantum me iuverit lectio orationum istarum Gracchi, non opus est me dicere, cum scias optime, qui me, ut eas legerem, doctissimo iudicio ac benignissimo tuo animo hortatus es.*

Fronto p. 171. *Contionatur Cato infeste, Gracchus turbulente, Tullius copiose; iam in iudiciis saevit idem Cato, triumphat Cicero, tumultuatur Gracchus, Calvus rixatur.*

Claudianus Mamertus in Epist. ad Sebaudum rhetorem (Baluzz. Miscell. ed. Paris. l. 6. p. 535). *Naevius et Plautus tibi ad elegantiam, Cato ad gravitatem, Varro ad peritiam, Gracchus ad acrimoniam, Fronto ad pompam, Cicero ad eloquentiam capessendam usui sint.*

Cato ad gravitatem] hoc iis quoque addendum testimoniis, quae de Catone supra p. 19. collegimus.

1. Oratio pro Vettio.

Ea prima fuit causa, qua C. Gracchus apud plebem nomen et famam meruit. Quo autem anno fuerit acta, non constat.

Plut. C. Gracch. 1. *Ἐπεὶ δὲ προϊόντος τοῦ χρόνου τόν τε τρόπον ἡσυχῇ διέφαινεν ἀργίας καὶ μαλακίας καὶ πότων καὶ χρηματισμῶν ἀλλότριον ὄντα καὶ τὸν λόγον ὥσπερ ὠκύπτερα κατασκευαζόμενος ἐπὶ τὴν πολιτείαν*

δῆλος ἦν οὐκ ἠρεμήσων, δίκην τε τινὶ τῶν φίλων φεύγοντι Βεττίῳ συνειπὼν, τοῦ δήμου συνενθουσιῶντος ὑφ' ἡδονῆς καὶ βακχεύοντος περὶ αὐτὸν ἀπέδειξε τοὺς ἄλλους ῥήτορας παίδων μηδὲν διαφέροντας, εἰς φόβον αὖθις οἱ δυνατοὶ καθίσταντο, καὶ πολὺς ἦν ἐν αὐτοῖς λόγος, ὅπως οὐκ ἐάσουσιν ἐπὶ δημαρχίαν τὸν Γαΐον προελθεῖν.

2. Oratio, ut lex Papiria accipiatur.

C. Gracchus iam ante quaesturam legem C. Papirii Carbonis de tribunis plebis reficiendis (über die Wiedererwählbarkeit der Volkstribunen) a. 623 (131) suasit. Vid. orationem *C. Papirii Carbonis* p. 212. Iam hac oratione C. Gracchus aperte professus est, se non discedere a mente et consiliis Tiberii fratris atque abhorrere ab optimatibus.

Livius Epit. lib. 59. *Cum Carbo tribunus pl. rogationem tulisset, ut eundem tribunum plebis, quoties vellet, creare liceret, rogationem eius P. Africanus gravissima oratione dissuasit, C. Gracchus contra suasit rogationem, sed Scipio tenuit.*

Charisius p. 143. *Em. C. Gracchus, ut lex Papiria accipiatur: Pessimi Tiberium, fratrem meum optimum, interfecerunt; em, videte, quam par pari sint!* At quidam *em* pro *en* volunt esse, sed decet commemoratione fraternae mortis ingemiscere.

Em] i. e. bem interiectio.

pessimi] C. Gracchus P. Scipionem Nasicam celerosque optimates, qui caedis Tiberii fratris auctores fuerant, intelligit, dicens, eos, qui nunc legem Papiriam dissuadent, illorum, qui Tiberium interfecerant, simillimos esse. Caius Gracchus ad eam vocem lauto magis incitabatur, quod P. Africanus in dissuasione legis Papiriae dixerat, Tiberium Gracchum iure caesum esse. (v. pag. 189.)

quidam em pro en] Hand in Tursellino t. 3. p. 53 scribit: *Tamen verum viderunt illi, qui pro en accipiebant. Aliena enim prorsus est ab hac voce doloris aut moeroris significatio.*

Charisius p. 116. *Communiter. C. Gracchus, ut lex Papiria accipiatur: Qui sapientem eum faciet, qui*

et vobis et reipublicae et sibi communiter prospiciat, non qui pro syllahumanem trucidet.

pro syllahumanem] corruptum. *pro sylla hominem* Putsch. non minus corrupte.

Charisius p. 119. *Iniuriose. G. Gracchus, uti lex Papiria accipiatur: Ne quaquam iniuriose nobis contumeliam imponi sinatis.*

Charis. p. 132. *Usquequaque. G. Gracchus, uti lex Papiria accipiatur: Usque quaque curavit.*

3. Oratio de lege Penni et peregrinis.

M. Iunius Pennus tribunus pl. a. 628 (126) vexavit C. Gracchum lege promulgata, ut peregrini ex urbe Roma expellerentur, quominus turbae civiles, quae tum quotannis fere rempublicam lacerabant, oriri possent. Sed C. Gracchus, qui tum quaestor erat, legi Penni se opposuit, cum bene intelligeret, in peregrinis magnum sibi esse auxilium, ad imminuendas vires optimatium. — Cicero de Offic. 3, 11. Walter p. 245. Drumann t. 4. p. 5. Beierus ad Cic. de Offic. 3, 11, 47. errabat, cum inscriptionem orationis mutandam et *de lege Fanni* corrigendam putaret.

Festus p. 286. *Respublicas* multarum civitatum pluraliter dixit *C. Gracchus in ea, quam conscripsit de lege P. Enni et peregrinis, cum ait: eae nationes cum aliis rebus per avaritiam atque stultitiam res publicas suas amiserunt.*

de lege p. Enni] „*de lege Penni* corr. A. August. Hic Pennus trib. pl. a. 628 teste Cicer. de Offic. 3, 11, 47 peregrinos urbe uti prohibebat eosque exterminabat. Beier. in Cic. l. l. p. 262. *Fanni* substituere voluit, contra eodd. et Ciceronis et Festi manifesta indicia." — C. O. Müller. Idem plane iudicium in edit. priore declaravi. — *de lege Penni de peregrinis* conii. Heinrich ad Cic. de Rep. p. 157.

cum aliis rebus per] legendum censeo *cum aliis rebus, tum per* etc.

4. Oratio apud censores in concione ad populum.

Ea dicta est a. 630 (124). C. Gracchus a. 628 (126) quaesturam sortitus, cum L. Aurelio Oreste consule in Sardiniam provinciam decessit. Cum autem inimici famam eius laedere, benevolentiam plebis ei eripere studerent, cuperentque, eum quam diutissime ab urbe abesse, nec successorem ei mitterent: provincia relicta Romam rediit a. 630 (124). Censores, qui tum erant, equum publicum ei adimendum esse putabant, quia provinciam sponte sua deseruisset.

Plut. C. Gracch. 2. *Δόγμα ποιοῦνται* (senatores) *τοῖς μὲν στρατιώταις διαδοχὴν ἀποσταλῆναι, τὸν δ' Ὀρέστην ἐπιμένειν, ὡς δὴ καὶ τοῦ Γαΐου διὰ τὴν ἀρχὴν παραμενοῦντος. Ὁ δὲ τούτων αὐτῷ προςπεσόντων, εὐθὺς ἐξέπλευσε πρὸς ὀργὴν καὶ φανεὶς ἐν Ῥώμῃ παρ' ἐλπίδας οὐ μόνον ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν αἰτίαν εἶχεν, ἀλλὰ καὶ τοῖς πολλοῖς ἀλλόκοτον ἐδόκει τὸ ταμίαν ὄντα προαποστῆναι τοῦ ἄρχοντος. Οὐ μὴν ἀλλὰ κατηγορίας αὐτῷ γενομένης ἐπὶ τῶν τιμητῶν, αἰτησάμενος λόγον οὕτω μετέστησε τὰς γνώμας τῶν ἀκουσάντων, ὥςτ' ἀπελθεῖν ἠδικῆσθαι τὰ μέγιστα δόξας.*

Censores Cn. Servilius Caepio et L. Cassius Longinus magistratum inierant a. 629 (125), annoque sequenti C. Gracchus apud eos adesse iussus. Cum multi dubitarent, cur apud censores accusatus fuerit, de ea re haec tradidit Madwigius in Opusculis p. 85. „C. Gracchum, quum ex Sardinia, in qua pro quaestore fuerat, redisset, apud censores accusatum esse Plutarchus dicit et se oratione defendisse. Id fieri vix potuit nisi in equitum recognitione et transvectione, in qua notissimus est hic accusandi mos. Gracchus itaque, cum a. 628 quaestor factus in senatum venisset, a. 630 equum publicum habuit.“ — Censores, qui Gracchum deseruisse imperatorem suum censebant, ignominia eum notarunt, equumque publicum ademerunt. Is autem oratione se defendit rationemque factorum suorum reddidit. Ea oratio duplici inscriptione a veteribus citari solet. „Huius

orationis, inquit Madwigius, quae a Cicerone et a Charisio *apud censores* appellatur, eadem verba, quae Plutarchus graece, Gellius XV, 2. latine posuit, pluribus adiectis. Ibi *ad populum in concione* habita dicitur. Censores concionem advocabant et dare poterant." Coniunxi igitur omnia haec fragmenta, quae in edit. priore duabus orationibus tribuenda putaram.

Beierus autem in adnotatione ad locum Ciceronis in Oratore c. 70 eundem repetivit errorem, quem ad Cic. de Officiis 3, 11. commiserat, dicens, C. Gracchum e quaestura Sardiniensi reducem reum factum a. M. Iunio Penno tribuno pl. a. 628, sed eo anno Gracchus non e provincia reversus est, sed potius eo decessit, postquam contra legem Penni de peregrinis urbe prohibendis dixerat, ut supra vidimus. Atque biennio post e Sardinia Romam rediit a. 630 (124). (Beierum secutus est Goeller ad Cic. Orat. c. 70 p. 413.)

Cicero in Oratore c. 70. Age sume *de Gracchi apud censores illud: Abesse non potest, quin eiusdem hominis sit, probos improbare, qui improbos probet.* Quanto aptius, si ita dixisset: *quin eiusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare.*

Charisius p. 44. *Galeros* Virgilius masculino genere dixit, sed *C. Gracchus apud censores: cum galere ursici.*

cum galere ursici] corruptum. *cum galera visi sunt* Fabricius.

Gellius lib. 15, 12. *C. Gracchus, cum ex Sardinia rediit, orationem ad populum in contione habuit. Ea verba haec sunt: Versatus sum in provincia, quomodo ex usu vestro existimabam esse, non quomodo ambitioni meae conducere arbitrabar. Nulla apud me fuit popina neque pueri eximia facie stabant, et in convivio liberi vestri modestius erant quam apud principia. — Post deinde haec dicit: Ita versatus sum in provincia, ut nemo possit vere dicere, assem aut eo plus in muneribus me accepisse,*

aut mea opera quemquam sumtum fecisse. Biennium fui in provincia. Si ulla meretrix domum meam introivit aut cuiusquam servulus propter me sollicitatus est, omnium nationum postremissimum nequissimumque existimatote. Cum a servis eorum tam caste me habuerim, inde poteritis considerare, quomodo me putetis cum liberis vestris vixisse. Atque ibi ex intervallo: *Itaque, Quirites, cum Romam profectus sum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli. Alii vini amphoras, quas plenas tulerunt, eas argento repletas domum reportaverunt.*

apud principia] i. e. in tabernaculis principum. Principia dicuntur is locus castrorum, ubi principes, i. e. imperator, tribuni, legati, tabernacula ponebant. Festus p. 224. *Principalis castrorum porta nominatur, quod in eo loco est, in quo principes ordines tendunt.* Conf. Victorii Var. Lectt. 3, 6. Schelius ad Hyginum p. 55. Kreuzer Röm. Antiquitt. p. 386.

biennium] idem Plutarchus refert, ut mox videbimus.

nationum] *natorum* Lipsius Elect. 2, 3., id est, omnium hominum, qui umquam et usquam noti. — *latronum* coniicit I. Gronov. parum convenienter contextui. *omnium hominum natorum* Beloe, qui Gellii librum in Anglicum sermonem vertit.

inanes] ex cod. regio Duebnerus. *vacuas* vulgo.

Plutarchus idem fragmentum orationis Gracchanae, quam apud censores in contione ad populum habuit, retulit. c. 2. *Οὐ μὴν ἀλλὰ κατηγορίας αὐτῷ γενομένης ἐπὶ τῶν τιμητῶν, αἰτησάμενος λόγον οὕτω μετέστησε τὰς γνώμας τῶν ἀκουσάντων, ὥς τ᾽ ἀπελθεῖν ἠδικῆσθαι τὰ μέγιστα δόξας. ἐστρατεῦσθαι γὰρ ἔφη δώδεκα ἔτη, τῶν ἄλλων δέκα στρατευομένων ἐξ ἀνάγκης, ταμιεύων δὲ τῷ στρατηγῷ παραμεμενηκέναι διετίαν, τοῦ νόμου μετ᾽ ἐνιαυτὸν ἐπανελθεῖν διδόντος· μόνος δὲ τῶν στρατευσαμένων πλῆρες τὸ βαλλάντιον εἰσενηνοχὼς, κενὸν ἐξενηνοχέναι, τοὺς δ᾽ ἄλλους ἐκπιόντας, ὃν εἰσήνεγκαν οἶνον, ἀργυρίου καὶ χρυσίου μεστοὺς δεῦρο τοὺς ἀμφορεῖς ἥκειν κομίζοντας.*

δώδεκα ἔτη] prima igitur stipendia meruit a. 618 (136), octodecim annos fere natus.

δέκα] romani milites usque ad annum quadragesimum sextum militabant: ab equitibus autem, inter quos Gracchus ab initio erat, decem tantum stipendia intra hoc spatium exigi solebant; qui decem annua stipendia meruerat, a militia liberabatur. Polybius VI, 19. *Τῶν λοιπῶν τοὺς μὲν ἱππεῖς δέκα, τοὺς δὲ πεζοὺς ἑξου* (corruptum *δεῖ στρατείας τελεῖν κατ' ἀνάγκην, ἐν τοῖς τέσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ἀπὸ γενεᾶς*. Livius 27, 11. *Addiderunt acerbitati etiam tempus, ne praeterita stipendia procederent iis, quae equo publico emeruerant, sed dena stipendia equis privatis facerent.* Conf. Madwig in Opusculis p. 80. Fuss Antiquitates romanae p. 357.

διετίαν] Coraes et Schaeferus e cod. dederunt. Vulg. *τριετίαν*. Veram viam indicavit Gellius.

μετ' ἐνιαυτὸν] in repub. romana omnes magistratus annui erant, nec ultra annum prorogabatur imperium eorum, nisi senatus aut populus extra ordinem decrevisset.

5. Oratio pro se adversus L. Opimium.

Ea causa dicta est a. 630 (124).

L. Opimius a. 629 (125) Fregellanos ob negatam civitatem rebellantes in deditionem accepit Fregellasque diruit. Liv. Epit. 60. Velleius 2, 6. Et cum C. Gracchus auctor coniurationis esse ferretur, reus factus est, L. Opimio praetore iudicium exercente. Aurelius Victor De Vir. Ill. 65.

Plut. C. Gracch. 3. *Ἐκ τούτου πάλιν ἄλλας αἰτίας αὐτῷ καὶ δίκας ἐπῆγον, ὡς τοὺς συμμάχους ἀφιστάντι καὶ κεκοινωνηκότι τῆς περὶ Φρέγελλαν ἐνδειχθείσης συνωμοσίας. Ὁ δὲ πᾶσαν ὑποψίαν ἀπολυσάμενος καὶ φανεὶς καθαρὸς εὐθὺς ἐπὶ δημαρχίαν ὥρμησε.*

Nescio an huc referendum sit fragmentum, quod apud Priscianum extat. T. 1. p. 488.

Nanciscor a nancio est, quod in usu fuit vetustissimis. *Gracchus pro se: Si nanciam populi desiderium, comprobabo reipublicae commoda.*

si nanciam] si amorem et studium populi mihi conciliare potero, satisfaciam commodis reipublicae.

comprobabo] hanc lectionem ex codd. restituit Krehl in Addendis T. 2. p. 534., eandemque in optimo Regio 7497 IX saec. extare testatur Duebnerus. *comprobo* vulgo. *At vero*, ait Krehlius, *indicativus praesentis propter antecedentem coniunctivum ferri nequit.*

Ellendt p. XL putat, orationis Gracchanae, si non ipsa verba, at imitationem certe apud Auctorem ad Herennium lib. 4, 9 et 11 extare.

6. Oratio de legibus a se promulgatis.

Ea dicta esse videtur a. 631 (123).

Constat, C. Gracchum in tribunatu multas novas promulgasse leges, quibus optimatium potentia frangeretur, auctoritas senatus imminueretur, et nova reipublicae forma constitueretur. Ut vero ei bene res cederet, opus erat, ut plebs romana eum adiuvaret, eiusque consiliis non modo non adversaretur, sed omnibus rogationibus cupide suffragaretur. Antequam igitur leges suas promulgasset, orationem in concione habuit, in qua causas exposuit, cur necessariae reipublicae, plebique utiles essent, quaque plebem contra optimates ira atque invidia inflammavit.

De legibus Cai Gracchi v. Appian B. Civ. 1, 21. Plut. C. Gracch. c. 5. Velleius 2, 6, 3. Livius Epit. 60. Florus 3, 15. Pighii Annales t. 3. p. 52 sqq. Hegewisch Geschichte der gracchischen Unruhen. Hamburg 1801. Zachariä Sulla t. 1. p. 52. Walter Gesch. des röm. Rechts. s. Index legum. p. 896. Göttling Gesch. der röm. Staatsverf. p. 435. sqq.

Scholia Bobiensia in Ciceronis Oratt. p. 365 edit. Orelli: *Hic, quantum mea opinio est, imitatus est Cicero C. Gracchum. Sic enim et ille* ***De legibus promulgatis***, *ut ipsius etiam verborum faciam mentionem:*

Si vellem apud vos verba facere et a vobis postulare, cum genere summo ortus essem et cum fratrem propter vos amisissem, nec quisquam de P. Africani

et Tiberi Gracchi familia nisi ego et puer restaremus, ut pateremini hoc tempore me quiescere, ne a stirpe genus nostrum interiret, et uti aliqua propago generis nostri reliqua esset: haud scio an lubentibus a vobis impetrassem.

ego et puer] C. Gracchus unum puerum ex Licinia uxore habuit. Plut. C. Gracch. 15. Tiberio Graccho fratri tres fuerant filii (Valerius Max. 9, 7, 2.), qui iam ante a. 631 diem obiere, ut ex hoc loco patet. P. Scipio Africanus minor, qui Semproniam, Cai Gracchi sororem, uxorem duxerat, nullos reliquit liberos. Conf. Freinshem ad Liv. 59, 79. et A. Maius ad h. l.

haud scio an] *scio* deest in cod., Maius supplevit. Sed Franke Verisimil. Spec. p. 24 defendit codicis lectionem *haud an* comparato graeco οὐκ ἄν, non allato tamen altero huius usus exemplo, ut Orellius dicit ad Ciceronis Tusculan. p. 399. Ac miror sane, quemquam in latinum sermonem graecum ἄν transferre voluisse. Ceterum *haud scio an* sic dictum est ut *non credo fore*, sicut multi auctores praeter Ciceronem id usurparunt. Et cum videamus, hanc locutionem a plerisque modo negative, modo affirmative dici, id ipsum docet, non in ipsa formula affirmandi negandique vim esse positam, sed ex tota sententia id effici, ut vario modo intelligenda sit. Atque nos quoque, cum dicimus ich weiss nicht ob, pronuntiatione et sono sic distinguere solemus, ut nunc affirmemus aliquid, nunc negemus.

Gellius 9, 14. *C. Gracchus De legibus promulgatis: Ea luxurii causa aiunt institui.* Et ibidem infra ita scriptum est: *Non est ea luxuries, quae necessario parentur vitae causa.* Per quod apparet, eum ab eo, quod est *luxuries*, *luxurii* patrio casu dixisse.

luxuries, quae] An *luxuries, si quae? Si* enim facile excidit post litteram *S*.

vitae causa] nescio an haec verba id contineant, quod ab adversariis Gracchi obiici solebat. Ii enim dicebant, Gracchum has leges tulisse, ut plebs luxuriae se dederet et voluptatibus indulgeret. Gracchus autem affirmavit, leges suas nil aliud velle, nisi ut plebi vivere liceret, nec iniuriis optimatium nimis premeretur. Ac veri simile est, legem agrariam, frumentariam, porro de hereditate regis Attali, eas potissimum fuisse, quas optimates luxuriosas esse dictitabant, ut quas aerarium populi romani dissiparent.

Gellius 10, 3. *Fortis ac vehemens orator existimatur esse C. Gracchus. Nemo id negat. Sed quod*

nonnullis videtur severior, acrior, ampliorque esse M. Tullio, ferri id qui potest? Legebamus adeo nuper orationem Gracchi De legibus promulgatis, in qua M. Marium et quosdam ex municipiis Italicis honestos viros virgis per iniuriam caesos a magistratibus populi romani, quanta maxima invidia potest, conqueritur. Verba haec sunt:

Nuper Teanum Sidicinum consul venit, uxor eius dixit, se in balneis virilibus lavari velle. Quaestori Sidicino a M. Mario datum est negotium, uti balneis exigerentur, qui lavabantur. Uxor renuntiat viro, parum cito sibi balneas traditas esse et parum lautas fuisse. Idcirco palus destitutus est in foro, eoque adductus suae civitatis nobilissimus homo M. Marius. Vestimenta detracta sunt, virgis caesus est. Caleni ubi id audierunt, edixerunt, ne quis in balneis lavisse vellet, cum magistratus romanus ibi esset. Ferentini ob eandem causam praetor noster quaestores arripi iussit, alter se de muro deiecit, alter prensus et virgis caesus est.

Item *Gracchus* alio in loco ita dicit:

Quanta libido quantaque intemperantia sit hominum adolescentium, unum exemplum vobis ostendam. His annis paucis ex Asia missus est, qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adolescens pro legato. Is in lectica ferebatur. Ei obviam bubulcus de plebe Venusina venit, et per iocum, cum ignoraret qui ferretur, rogavit, num mortuum ferrent. Ubi id audivit, lecticam iussit deponi, struppis, quibus lectica deligata erat, usque adeo verberari iussit, dum animam efflavit.

Gracchi de legibus promulgatis] Hic locus ex ea parte orationis sumtus est, in qua legem suam *de libertate civium* plebi commendavit.

Teanum Sidicinum] Campaniae oppidum. Vide Mannert Italia 1. p. 772. Distinguendum a Teano Apulo.

se in balneis virilibus] iam id signum arrogantiae et superbiae erat.

quaestori] idem magistratus esse videtur, qui Romae aedilis appellatur.

M. Mario] qui summum magistratum Teani obtinebat.

exigerentur] „*exirent* cod. Reg. eadem manu correctione illatum, sine dubio ex antiquiore codice." Duebner.

lautas] elegantes.

destitutus] i. e. constitutus. Plautus Rudens 3, 5, 43. *Ita duo destituit signa hic cum clavis senex.* Caecilius apud Nonium p. 280. *Destituit omnes servos ad mensam ante se.* Lipsius Epistol. Quaest. 4, 10. Opp. T. 1. p. 558.

virgis caesus] poena servorum.

Caleni] quorum oppidum Cales, non fere amplius sex millia a Teano remotae. Mannert Italia 1. p. 573.

Ferentini] Ferentinum, oppidum Latii.

praetor noster] magistratus romani, consul vel praetor, in civitatibus latinis summum imperium exercere solebant. Niebuhr Hist. R. t. 3. p. 624.

ex Asia] *in Asiam* Lipsius Electorum 1. 19. T. 1. p. 702. Opp. probante Ellendt p. XLIII. et Hallische Litteraturzeitung 1834. Januar. p. 93. ubi legimus: man muss *in Asiam* lesen, was auch nachher *pro legato* erfordert. Denn der Ausdruck *pro legato* passt nur für den, der von Rom aus die Gesandtschaftsstelle bekleidet. Recte: sie enim sensus verborum apertus est. At quomodo haec corruptio oriri poterat?

pro legato] i. e. legatione libera. Ellendt.

in lectica] Lecticae tum recentes in usu erant, nec frequentes extra urbem conspiciebantur. Eas enim demum post bellum Punicum Asia devicta una cum reliquis Asiaticae luxuriae generibus Romam illatas esse, Lipsius docet Electorum 1. 19. p. 702. probante Beckero in Gallo t. 1. p. 219.

de plebe Venusina] Legatus ille, via Appia e Roma profectus, per Venusiam Brundusium tendebat, ubi navem conscendit. Vid. Lupuli Iter Venusinum p. 305.

mortuum] Mortui enim honestiores lectica efferri solebant. Lipsius Elect. p. 701.

verberari iussit] id summae erat superbiae, ut homo privatus (is enim, qui libera legatione utebatur, privatus erat) se, tamquam magistratus esset, gereret.

Festus p. 201. *Ostentum*, quo nunc utimur interdum prodigii vice, quin participialiter quoque dici solitum sit, non dubium facit etiam *C. Gracchus De legi-*

bus a se promulgatis, quom ait: *Quod unum nobis in ostentum, ipsis in usum adportatur.*

in ostentum] Scaliger coniunxit: *nobis inostentum, ipsis inusum*, ita ut *inostentum* esset inostentatum, *inusum* inusitatum. Sed ait Festus, *ostentum* (non *inostentum*) pro prodigio substantive dici, item adiective pro ostentato. Ea res (nescio quae) plebeiis tantum ostenditur, patricii autem ea fruuntur.

Ellendt suspicatur p. XLIV latere fragmentum apud auct. ad Herennium IV. c. 37.

7. Oratio in P. Popillium Laenatem pro rostris.

C. Gracchus tribunus pl. a. 631 (123) legem tulit de libertate civium, uti, si quis magistratus de capite civis romani iniussu populi iudicasset, de eius capite populi esset animadversio (v. Göttling Gesch. d. röm. Staatsv. p. 435), et cum ea lex perlata esset, statim P. Popillium Laenatem in ius vocavit, qui in consulatu a. 622 (132) crudeles quaestiones de sociis Tiberii Gracchi exercuerat. Gracchus iussit, ut ei aqua et igni interdiceretur. Popillius, non exspectato populi iudicio, in exilium sponte abiit, unde postea a. 633 (121) post necem Cai Gracchi per L. Bestiam restituebatur. Conf. Plut. C. Gracch. 4. Cic. pro C. Rabirio 4, 12. p. Domo 31, 82. Brut. 34, 128. Verrina 5, 63. Catilinaria 1, 11. De legib. 3, 11, 26.

Duas Gracchum orationes de Popillio habuisse, ex Festi testimonio apparet p. 150, ubi Müller adnotat: *altera oratio in P. Popillium erat pro rostris, altera circum conciliabula.*

Gellius XI, 13. *Legebatur oratio C. Gracchi in P. Popillium. In eius orationis principio collocata verba sunt accuratius modulatiusque, quam veterum oratorum consuetudo fert. Ea verba, sicuti dixi, composita haec sunt:*

Quae vos cupide per hosce annos appetistis, atque voluistis, ea si temere repudiaritis, abesse non po-

test, quin aut olim cupide appetisse aut nunc temere repudiasse dicamini.

quae vos cupide] Graecbus exhortatur populum, ut nunc occasione oblata scelera atque iniurias optimalium ulciscatur et Popillium condemnet. Haec verba sic in nostrum sermonem vertit Niebuhr Hist. t. 2. p. 462. ed. 2da., „Hütet euch, sprach C. Gracchus zu der Volksgemeinde, als der blutige Inquisitor P. Popillius, Iahre lang von den sogenannten Optimaten beschützt, endlich vor Gericht stand — dass es nicht heisse, ihr hättet mit blinder Leidenschaft gewünscht, und das endlich vom Schicksal Gewährte leichtfertig verschmäht."

Festus p. 201. *Occisitantur*, saepe occiduntur. Sic *C. Gracchus pro rostris in P. Popillium: Homines liberi nunc in oppido occisitantur.*

8. Oratio in P. Popillium Laenatem posterior circum conciliabula.

Haec oratio in eadem causa habita, de qua in oratione praecedente locuti sumus.

C. Gracchus iter fecit per Latii civitates, ut crimina Popillii quae in coniuratione Gracchana commisisset, cognosceret et conquireret quam plurima. nam et Romae et in aliis civitatibus Italiae multos homines occiderat. Atque in foris sive conciliabulis hanc orationem habuit, eaque homines incitavit, ut omnia indicarent et testimonia dicerent.

De conciliabulis vid. Niebuhr Histor. T. 2. p. 394. edit. 1.

Festus p. 150. *Malo cruce* masculino genere cum dixit *Gracchus in oratione, quae est in P. Popillium, posteriore*, tam repraesentavit antiquam consuetudinem quam hunc frontem, atque hunc stirpem idem antiqui dixerunt.

Gellius 1, 7. *Verbum est indefinitum, quod graeci appellant ἀπαρέμφατον, nec numeris nec generibus praeserviens sed liberum undique et inpromiscuum. Quali C. Gracchus verbo usus est in oratione, cuius titulus est: De Q. Popillio circum conciliabu-*

la, in qua ita scriptum est: Credo ego, inimicos meos hoc dicturum. Inimicos, inquit, *dicturum* et non *dicturos*.

De Q. Popillio] legendum *de P. Popillio*, ut Ellendt quoque correxerat p. XLIV.

dicturum] exempla similia affert Gellius ex Cic. Verrin. lib. 5 c. 65.

Festus p. 241. *Potestur* — et *poteratur C. Gracchus in ea, qua usus est, cum circum conciliabula iret.*

usus] uous cod. Supplendum *qua usus est in P. Popillium.*

Diomedes 1. p. 371: *Excello legimus crebro apud veteres. Cicero de repub. excellunt. Gracchus praeterea similiter Cohortatione circum conciliabula:* antecellunt.

Cohortatione] i. e. Gracchus in oratione *circum conciliabula*. Haec verba ad inscriptionem orationis pertinere monuit Duebner. Diomedes hanc orationem vere appellat cohortationem. Cohortabatur enim Gracchus homines, ut odio et invidia persequerentur Popillium atque optimates.

9. Oratio in Q. Aelium Tuberonem.

Ea est habita a. 631 (123).

Q. Aelius Tubero tribunus pl. a. 621 (133) Tiberio Graccho rempublicam vexanti restitit. Cic. Laelio c. 11, 37. *Ti. Gracchum rempublicam vexantem a Q. Tuberone aequalibusque amicis derelictum videbamus.* Idem in praetura a. 631 (123) C. Gracchi legibus se opposuit.

Cicero Bruto 31, 117. *Q. Aelius Tubero fuit constans civis et fortis et in primis Graccho molestus, quod indicat Gracchi in eum oratio: sunt etiam in Gracchum Tuberonis.*

Graccho] Gaio Graccho.

Priscianus T. 1. p. 108. *C. Gracchus contra Q. Aelium Tuberonem: Utrum inimicorum meorum factio, an magis solicitudo te impulit, ut in me industrior sis quam in te?*

Q. Aelium Tuberonem] sic correxi. Vulgo legitur *Q. Aemilium Tuberonem*. Extabat idem error in Livio 45, 7.
solicitudo] edd. vett. *solitudo patriae*. Dresd. cod. *solitudo patria*: quod adiectivum antiquus cod. Reg. IX sec. inter lineas habet. alius X seculi non agnoscit. alii quinque Krehlii codd. *solitudo te*. Duebner. item cod. Turicensis.

10. Oratio, qua legem Aufeiam dissuasit.

Eam orationem a. 631 (123) dictam esse, coniicit Pighius, qui putat, Aufeium illo tempore una cum C. Graccho tribunum pleb. fuisse, legemque promulgasse, uti Nicomedes Bithyniae, Mithridates, Ponti reges, Cappadociam Ariarathis socii regis occisi liberis heredibus restituerent. — Constat, reges Bithyniae atque Ponti multas de occupanda Cappadocia lites movisse, et Romanos pro commodo reipublicae et ex arbitrio ea de re saepe decrevisse. Ariarathes quintus, Philopator, in bello, quod Romani contra Aristonicum ab a. 622—625 (132—129) gerebant, diem supremum obiit (Iustinus 38, 2.), et quidem a. 624 (130), teste Clintono in Fastis T. III. p. 434. Quamvis autem argumentum legis Aufeiae ignorare me fatear, ex fragmento tamen orationis Gracchanae patet, eam favisse Mithridati regi, et laesisse commoda Nicomedis regis: Gracchum autem propterea eam dissuasisse, quod vectigalibus reipublicae romanae nocuisset.

Alii, inter quos Gronovius ad Gellium XI, 10. et Bachius in Iurisprud. Rom. p. 157, receperunt ex coniectura *legem Saufeiam*, cum gens Aufeia alioquin prorsus ignota esset. Sed in vulgata lectione acquiescendum arbitror nec ea multum apud me valet ratio, cum etiam ex doctrina nummorum veterum teneam, multas extare in denariis familias, quarum in auctoribus nulla fit mentio, ut gens Accoleia, Cordia, Crepusia, Cupiennia, Egnatuleia, Fabrinia, Farsuleia, Itia, Maiania, Mitreia, Mussidia, Renia, Satriena, Sepullia. — Nec probaverim emendationem aliorum *legem Aufidiam*: lex enim Aufidia, quae extat, diu post mortem C. Gracchi lata est.

Gellius XI, 10. *Quod a Critolao scriptum esse diximus super Demosthene, id C. Gracchus in oratione, qua legem Aufeiam dissuasit, in Demadem contulit verbis hisce: Nam vos, Quirites, si velitis sapientia atque virtute uti, et, si quaeritis, neminem nostrum invenietis sine pretio huc prodire. Omnes nos, qui verba facimus, aliquid petimus, neque ullius rei causa quisquam ad vos prodit, nisi ut aliquid auferat. Ego ipse, qui apud vos verba facio, uti vectigalia vostra augeatis, quo facilius vostra commoda et rempublicam administrare possitis, non gratis prodeo, verum peto a vobis non pecuniam, sed bonam existimationem atque honorem. Qui prodeunt dissuasuri, ne hanc legem accipiatis, petunt non honorem a vobis, verum a Nicomede pecuniam. Qui suadent, ut accipiatis, ii quoque petunt non a vobis bonam existimationem, verum a Mithridate rei familiaris suae pretium et praemium. Qui autem ex eodem loco atque ordine tacent, ii vel acerrimi sunt: nam ab omnibus pretium accipiunt et omnes fallunt. Vos, cum putatis, eos ab his rebus remotos esse, impartitis bonam existimationem. Legationes autem a regibus, cum putant eos sua causa reticere, sumtus atque pecunias maximas praebent, item uti in terra Graecia, quo in tempore graecus tragoedus gloriae sibi ducebat, talentum magnum ob unam fabulam datum esse, homo eloquentissimus civitatis suae, Demades, ei respondisse dicitur: Mirum tibi videtur, si tu loquendo talentum quaesisti? Ego ut tacerem, decem talenta a rege accepi. Item nunc isti pretia maxima ob tacendum accipiunt.*

tacent] *placent* codd. *pertacent* Jacob Gronov. proh. Duebnero. *reticent* Lion.

graecus tragoedus] Aristodemus esse traditur a Gellio XI, 9.

talentum magnum] Boeckhius Metrologische Untersuchungen p. 116, docet, a Graccho et ab aliis auctoribus latinis Atticum talentum ideo magnum appellari solere, quod in Italia parva talenta Sicula fuerant recepta.

11. Oratio pro lege sua frumentaria adversus L. Calpurnium Pisonem Frugi.

Ea dicta est a. 631 (123). Dissuasit legem Semproniam frumentariam L. Piso. Vide orationes *Pisonis* p. 219.

Cicero or. p. Fonteio c. 13. *Extat oratio hominis, ut mea opinio fert, nostrorum hominum longe ingeniosissimi atque eloquentissimi, Gai Gracchi, qua in oratione permulta in L. Pisonem turpia ac flagitiosa dicuntur.*

Scholia Bobiensia in Cicer. Or. p. Flacco pag. 233. ed. Orell. *L. Piso, qui legem de pecuniis repetundis tulit, et fuit C. Graccho capitalis inimicus, in quem ipsius C. Gracchi extat oratio maledictorum magis plena quam criminum.*

Cicero Tuscul. 3, 20, 48. *C. Gracchus cum largitiones maximas fecisset et effudisset aerarium, verbis tamen defendebat aerarium. Quid verba audiam, cum facta videam? Piso ille Frugi semper contra legem frumentariam dixerat. Is lege lata consularis ad frumentum accipiendum venerat. Animadvertit Gracchus in contione Pisonem stantem, quaerit audiente populo romano, qui sibi constet, cum ea lege frumentum petat, quam dissuaserit. Nolim, inquit, mea bona, Gracche, tibi viritim dividere libeat, sed, si facias, partem petam. Parumne declaravit vir gravis, lege Sempronia patrimonium publicum dissipari? Lege orationes Gracchi, patronum aerarii esse dices.*

12. Oratio in L Caecilium Metellum Diadematum.

Ea dicta videtur a. 632 (122). Ellendt p. XLIV scribit: *Metellum Diadematum intellige, diversum a Dalmatico:* quem a. 632 (122) praeturam urbanam gessisse tradidit Pighius. Eiusque fecit mentionem Drumannus t. 2. p. 21.

Diomedes p. 291. *C. Gracchus in L. Metellum: Usque adeo pertaesum vos mihi esse.*

13. Oratio adversus L. Furium Philum.

Ea est habita a. 633 (121), quo anno L. Furius Philus praetor fuit.

Diomedes pag. 395. *Gracchus adversus Furium: Quibus ego primus quomodo auxiliem?*

14. Oratio de lege Minucia.

Ea est habita a. 633 (121). M. Minucius Rufus tribunus plebis rogationem de abrogandis legibus C. Gracchi promulgavit. C. Gracchus contra dixit.

Aurelius Victor de Vir. Ill. c. 65. Florus 3, 15.

Festus p. 201. *Osi sunt* ab odio declinasse antiquos, testis est *C. Gracchus in ea, quae est de lege Minucia, quom ait: Mirum, si quid his iniuriae sit, semper eos osi sunt;* quod nunc quoque cum praepositione elatum frequens est, quom dicimus, semper *perosi.*

sit] legendum *fit*, viderunt interpretes. *Mirum, si quid iis iniuriae fit? semper eos osi sunt!* Vossius.

osi sunt] Pighius t. 3. p. 70 dicit: De senatu atque optimatibus loqui videtur, quos odisse atque oppressisse semper pauperes cives ubique clamitabat.

15. Oratio in Maenium.

Ea habita videtur a. 633 (121). T. Maenius tribunus pl. a. 633 (121) fuisse dicitur. Pighius t. 3. p. 70.

Ellendt p. XLIV dicit: „In Maevium sive Mevium oratio ab Isidoro Origg. XIX, 32. affertur, sed Maenium scribendum arbitror. Hunc pro subscriptore legis Minuciae et tribuno eiusdem anni habuerim."

Isidorus Origin. 19, 32, 4. pag. 612 edit. Lindem. *Apud veteres ultra unum anulum uti, infame habitum*

viro. **Gracchus in Maenium:** *Considerate, Quirites, sinistram eius; en, cuius auctoritatem sequimini, qui propter mulierum cupiditatem ut mulier est ornatus.*

Maenium] sic Arevalus et edit. antiquissima s. l. et a. Unus codicum Pariss. *medium.* Duebner.

sinistram] Romani enim in laeva potissimum manu anulos gestare solebant. Conf. Heindorf ad Horat. Sat. 2, 7, 9. Beckers Gallus t. 2. p. 106. Quintilianus hac quoque de re praecepit in institutionibus oratoriis XI, 3, 142. *Manus non impleatur anulis, praecipue medios articulos non transeuntibus.*

16. Oratio pro se.

Vid. supra *Oratio pro se adversus Opimium*, p. 233.

17. Oratio in rogatione Cn. Marcii Censorini.

Qui fuerit Cn. Marcius Censorinus, ignorare me fateor, nec de argumento rogationis quidquam constat. Pighius Lucium Marcium Censorinum praetorem a. 633 (121), et Caium Marcium Censorinum proquaestorem a. 631 fuisse tradit. Nec tamen audeo, praenomen inscriptionis corrigere, cum ne sic quidem tenebrae dissipari possint. Ellendt p. XLIII adnotavit: „Qualis ea rogatio fuerit, ignoratur nec de tempore constat. Praetor cum fuerit a. 633, quo Gracchus occisus est, aliquot annis ante tribunum pleb. fuisse consentaneum erit.“ — Sed apud Pighium L. Marcius Censorinus, non Cneus, praetor a. 633 (121) fuisse traditur, ut modo diximus.

Charisius p. 123. *G. Gracchus in rogatione Cn. Marci Censorini: Si vobis probati essent homines adulescentes, tamen necessario vobis tr. mil. veteres faciundi essent.*

tr. mil.] *Ex verbis a Charisio allatis de tribunis militum a populo creandis egisse suspicamur.* Ellendt.

18. Oratio in Plautium.

Ellendt p. XLIII. M. Plautium Hypsaeum consulem a. 629 (125) intelligit.

Valerius Maxim. 9, 5. Ext. 4. *Insolentiae inter Carthaginiensem et Campanum senatum quasi aemulatio fuit. Ille enim separato a plebe balneo lavabatur, hic diverso foro utebatur. Quem morem Capuae aliquamdiu retentum, C. quoque Gracchi oratione in Plautium scripta patet.*

19. Oratio in Pompilium et matronas.

Hanc recepi inscriptionem ex auctoritate C. O. Mülleri.

Festus p. 150. *Malo cruce* masculino genere cum dixit *Gracchus in oratione, quae est in P. Popillium, posteriore*, tam repraesentavit antiquam consuetudinem quam hunc frontem atque hunc stirpem antiqui dixerunt, et rursus hanc lupum, hanc metum. Item cum idem in *Pompilium et matronas* ait: *Eo exemplo instituto dignus fuit, qui malo cruce periret.*

C. O. Müller adnotavit: „Quod Scaligerus verba sic a se reficta *Item cum idem in populum et matronas ait* pro parte orationis Gracchi habet, non placet. Quidni inter tot orationes, quarum etiam inscriptio periit, quaedam esse poterat in matronarum luxuriem, cuius nescio quis Pompilius vel similiter dictus homo patronus extiterat?" —

Incerta.

1. Priscian. t. 1. p. 372. *C. Gracchus*: *Aerarium dilargitur romano populo* — *dilargitur* passive protulit.

aerarium] orationi adversus Tuberonem tribuit Ellendt. Sed in multis aliis quoque haec verba locum habere verisimile est, praesertim cum Gracchus saepe obiectaret, optimates effundere aerarium po-

puli, inimici contra dicerent, a Graccho potius legibus popularibus ineanisque largitionibus aerarium disipari. In edit. priore *Dissuasioni legis Aufeiae* tribui, meque secutus est Weichert De Vario poeta p. 172.

2. Terentianus Maurus v. 987.

Dixerit si forte quidam scrobs abunde fossa erit;
Stirps velut dixit disertus Gracchus alter Gaius.

Gracchus alter Gaius] Locus obscurus, quem Servius ad Virg. Georg. 2, 288 citat hoc modo: „*Scrobes* masculini sunt generis. Nam Cicero in Oeconomicis sic dicit et Plautus ait *Sexagenos scrobes*. Minor autem est Lucani et Gracchi auctoritas. Nam Lucanus ait *Exigua posuit scrobe. Gracchus: abunde fossa scrobis est*, quod exemplum in Terentiano est." — Servium errasse, veri simile est, sed Terentiani verba obscurissima.

fossa] *fossa* est participium, quocum *scrobis* feminino genere iungitur.

3. Servius in Virg. Aen. 7, 715. *Frigida misit Nursia.* Piceni civitas. *Frigida* autem, aut revera aut venenosa et nocens. *Gracchi namque ubique in contionibus suis Nursinos sceleratos appellaverunt.*

Gracchi] Ti. et C. Gracchi. Cur autem Gracchi Nursinos sceleratos appellaverint, ignorare me fateor.

4. Isidorus Origin. 2, 21. p. 80. ed Lindem. *Climax — ut apud Gracchum: Pueritia tua adolescentiae tuae inhonestamentum fuit, adolescentia senectuti dedecoramentum, senectus rei publicae flagitium.*

apud Gracchum] orationi in Popillium inserendum putat Ellendt.
pueritia] Huschke in Anal. litterariis p. 99. eadem verba ex libro qui inscribitur Nouveau traité de diplomatique T. III. tab. 59 p. 437 eic tradidit: *Ut apud Gracchum: Pueritia tua adulescentiae, adulescentia senectuti dedecoramentum, senectus reipublicae flagitium.*

5. Cicero de Oratore 3, 56. Quid fuit in Graccho, quod me puero tanto opere ferretur? *Quo me miser conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat. an domum? matremne ut miseram lamentantem videam et abiectam?* Quae sic ab illo acta esse constabat, oculis, voce, gestu, inimici ut lacrimas tenere non possent.

in Graccho] Ellendt p. XLIV. putat, id ex ea oratione sumtum, quam non multo ante ultimam necessitatem neganlibus pacem inimicis habuerit. Ego potius orationi *de legibus a se promulgatis* vindicaverim. Gracchus imitatus est Ennii locum ex Medea, qui a Cic. de Orat. lib. 3, 58, 217 laudatur, ipsum Gracchum imitatur Cicero p. Murena c. 41.

Quintil. XI, 3, 115. *Gracchanum illud: quo me miser conferam? in Capitolium ad fratris sanguinem? an domum?*

Iulius Victor 2. 621. *Gracchanum illud: Quo me miser conferam? in Capitolium ad fratris sanguinem? an domum?*

6. Gellius 20, 6. Gracchus *misereri vestrum*, (non *vestri)* dixit.

7. Charisius p. 61. Gracchus *patres familiae* (dixit) non familiarum.

8. Pompeii Commentum in librum Donati p. 532. *Q. Cicero* dixit: *includuntur in carcerem condemnatis*, recte: significat enim eos de eo loco, in quibus res sedebat, ad carcerem duci includendo. Ideo rursum, ubi iam ibi fuit inclusus, *Gratius* recte ait: *inclusus in carcere.*

Q. Cicero] legendum *M. Cicero:* locus enim e Verrin. 5, 45. sumptus, ubi legitur *Includuntur in carcerem condemnati.* Lindemannus autem fragmentis librorum Quinti Ciceronis tribuebat.

condemnatis] *condemnati* verum est.

res] Utrum legendum *in quo reus sedebat?* an *in quo rei sedebant?*

Gratius] *Gracchus* Lindemann in Indice Auctorum.

9. Cicero de Legibus 3, 9. *C. Gracchus runis et sicis iis, quas ipse se proiecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se cives, nonne omnem rei publicae statum permutavit?*

runis] runa hasta longa.

10. Seneca in Consolatione ad Helviam matrem c. 16. *Corneliam ex duodecim liberis ad duos fortuna redegerat. Si numerare funera Corneliae velles, amiserat decem: si aestimare, amiserat Gracchos. Flentibus tamen circa se et fatum eius execrantibus interdixit, ne fortunam accusarent, quae sibi filios Gracchos dedisset. Ex hac femina debuit nasci, qui diceret in concione: Tu matri meae maledicas, quae me peperit?*

qui diceret in concione] i. e. Caius Gracchus.

tu matri meae maledicas] simile dictum refert Plutarchus in vita C. Gracchi c. 4.

11. Plut. Tib. Gracch. 8. *Ὁ δ' ἀδελφὸς αὐτοῦ, Γαΐος, ἔν τινι βιβλίῳ γέγραφεν εἰς Νομαντίαν πορευόμενον διὰ τῆς Τυρρηνίας τὸν Τιβέριον καὶ τὴν ἐρημίαν τῆς χώρας ὁρῶντα καὶ τοὺς γεωργοῦντας ἢ νέμοντας οἰκέτας ἐπεισάκτους καὶ βαρβάρους τότε πρῶτον ἐπὶ νοῦν βαλέσθαι τὴν μυρίων κακῶν ἄρξασαν αὐτοῖς πολιτείαν.*

ἔν τινι βιβλίῳ] in oratione, opinor, de legibus a se promulgatis, et in ea quidem parte, ubi causas legis agrariae exposuit, eamque maxime necessariam esse demonstravit.

Plut. C. Gracch. 3. *Ὑμῶν δ' ὁρώντων, ἔφη, Τιβέριον ξύλοις συνέκοπτον οὗτοι καὶ διὰ μέσης τῆς πόλεως ἐσύρετο νεκρὸς ἐκ Καπετωλίου ῥιφησόμενος εἰς τὸν ποταμὸν, οἱ δ' ἁλισκόμενοι τῶν φίλων ἀπέθνησκον ἄκριτοι. Καὶ τοι πάτριόν ἐστιν ἡμῖν, εἴτις ἔχων δίκην θανατικὴν μὴ ὑπακούει, τούτου πρὸς τὰς θύρας ἕωθεν ἐλθόντα σαλπιγκτὴν ἀνακαλεῖσθαι τῇ σάλπιγγι καὶ μὴ πρότερον ἐπιφέρειν ψῆφον αὐτῷ τοὺς δικαστάς. Οὕτως εὐλαβεῖς καὶ πεφυλαγμένοι περὶ τὰς κρίσεις ἦσαν.*

ἔφη] in oratione contra P. Popillium. Egger apud Duebnerum.

Extabant autem non solum C. Gracchi *orationes*, sed etiam *epistolarum liber*, quarum una in Ciceronis libris de Divinatione 1, 18 et 2, 29 memoratur, et frag-

menta quaedam apud Charisium p. 58 leguntur. Nec tamen probabile est, eas ab ipso Graccho fuisse editas, sed a Fannio, qui totam Gracchorum historiam scripsit, annalibus suis insertas arbitror.

XXXV. *Q. Fabius Maximus Allobrogicus.*

Q. Fabius Maximus, Q. Fabii Maximi Aemiliani filius, P. Scipionis Africani Aemiliani nepos. Q. enim Fabius Maximus Aemilianus et P. Scipio Aemilianus fratres fuere, ambo L. Paulli filii, alter a gente Fabia, alter a gente Cornelia adoptatus. Q. Fabius Maximus consul a. 633 (121) adversus Allobroges feliciter pugnavit, unde dictus est Allobrogicus. Livius Epit. 61. Censuram gessit a. 646 (108). Is, cum a. 625 (129) P. Scipio Africanus minor, patruus eius, interfectus esset, laudationem funebrem dixisse traditur, ut ex Ciceronis oratione pro Murena c. 36 apparet. Conf. Freinsheim Supplem. Livii l. 59, 80. Sigonius Vita Scipionis p. 646.

In editione priore in hoc oratore vehementer erravi, cum Q. Fabium Aemilianum, Allobrogici patrem, intelligendum dixissem.

Cicero in Bruto 28, 107. *Vester etiam D. Brutus M. f., ut ex familiari eius L. Attio poeta sum audire solitus, et dicere non inculte solebat, et erat cum litteris latinis, tum etiam graecis, ut temporibus illis eruditus. Quae tribuebat idem Attius etiam Q. Maximo L. Paulli nepoti.*

1. Laudatio P. Scipionis Africani.

Ea dicta est a. 625 (129).

Scholia Bobiensia in Cicer. orat. p. Milone p. 283 ed. Orell. *Super Africani laudibus extat oratio C. Laelii Sapientis, qua usus videtur Q. Fabius Maximus in laudatione mortui Scipionis.*

Fragmentum ipsum supra in *C. Laelio* p. 175. repetas.

XXXVI. *Q. Aelius Tubero.*

Is aequalis Tiberii Gracchi, tribunus pl. a. 621 (133), quo anno Ti. quoque Gracchus tribunatum obtinuit, fuisse fertur. Pighius t. 3. p. 6. Cum anno 625 (129) praeturam peteret, repulsam tulit. Cic. p. Murena 36, 75. At postea a. 631 (123) praetor factus est, et, si Pighio fides est, consul sufficitur a. 636 (118) in locum Catonis consulis, in Africa mortui. Pomponius certe de Orig. Iuris c. 3, 40. Tuberonem et ipsum consulem fuisse scribit.

Cicero Bruto 31. *Quoniam Stoicorum est facta mentio, Q. Aelius Tubero fuit illo tempore, L. Paulli nepos, nullo in oratorum numero, sed vita severus et congruens cum ea disciplina quam colebat, paulo etiam durior: qui quidem in triumviratu iudicaverit contra P. Africani avunculi sui testimonium, vacationem augures, quo minus iudiciis operam darent, non habere; sed ut vita, sic oratione durus incultus horridus. Itaque honoribus maiorum respondere non potuit. Fuit autem constans civis et fortis et in primis Graccho molestus, quod indicat Gracchi in eum oratio. Sunt etiam in Gracchum Tuberonis. Is fuit mediocris in dicendo, doctissimus in disputando. — Eloquentiam exiguam in Fannio, ne in Rutilio quidem magnam, in Tuberone nullam video fuisse.*

1. Laudatio funebris P. Scipionis Africani minoris.

Ea dicta est a. 625 (129).

Haec laudatio, quae in funeribus Africani habita est, non ab ipso Tuberone, sed a Laelio scripta fuit. Tubero, opinor, gravitati rei et difficultati argumenti impar erat.

Cic. de Orat. 2, 84. p. Murena 36. Vide *Orationes Laelii* p. 174.

2. Orationes contra Gracchum.

Eae sunt habitae a. 631 (123).

Cic. Bruto 31. *Tubero fuit constans civis et fortis et in primis Graccho molestus, quod indicat Gracchi in eum oratio. Sunt etiam in Gracchum Tuberonis.*

Graccho] Dubium esse potest, Tiberius an Caius Gracchus sit intelligendus. Sed cum constet, C. Gracchum adversus Tuberonem dixisse orationemque suam posteris reliquisse, satius erit putare, Tuberonem quoque contra C. Gracchum orationes habuisse. Pighius autem T. 3. p. 6. Tiberium intelligit: item Orellius in Onomastico. Vide Orat. *C. Gracchi adversus Tuberonem*, p. 240.

XXXVII. *C. Scribonius Curio.*

Pighius scribit, C. Scribonium Curionem quaestorem fuisse a. 621 (133), aedilem pl. a. 629 (125), praetorem a. 632 (122).

In Onomastico Tulliano locus Cic. de Orat. 2, 23, 98. ubi Curio aequalis C. Iulii Caesaris Strabonis et Cottae dicitur, errore huic Curioni tribuitur: ad filium enim eius referendus est.

Plinius Hist. 7, 41. *Una familia Curionum, in qua tres continua serie oratores extiterunt.*

Cicero Bruto 32. *Curio fuit eiusdem aetatis fere* (cum C. Graccho, M. Scauro, P. Rutilio) *sane illustris orator, cuius de ingenio ex orationibus eius existimari potest. Sunt enim et aliae et pro Servio Fulvio de incestu nobilis oratio. Scripsit etiam alia nonnulla, et multa dixit, et illustria, et in numero patronorum fuit, ut eum mirer, cum et vita suppeditavisset, et splendor ei non defuisset, consulem non fuisse.*

Seneca Epist. 114. *Multi ex alieno seculo petunt verba, duodecim tabulas loquuntur, Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt: ad Appium usque et ad Coruncanium redeunt.*

1. Oratio pro Servio Fulvio de incestu.

Incertum, quo anno causa sit acta. nec de Servio Fulvio quidquam constat. nam, quod nonnulli dicunt, consulem fuisse a. 619 (135), nec affirmari, nec negari potest.

Cicero Bruto 32. *Curio fuit sane illustris orator cuius de ingenio ex orationibus eius existimari potest. Sunt enim et aliae et pro Servio Fulvio de incestu nobilis oratio. Nobis quidem pueris haec omnium optima putabatur, quae vix iam comparet in hac turba novorum voluminum. — Atqui haec, inquam, de incestu laudata oratio puerilis est locis multis; de amore, de tormentis, de rumore loci sane inanes, verumtamen nondum tritis nostrorum hominum auribus nec erudita civitate tolerabilis.*

Scholia Bobiensia in Cic. Or. in Clodium p. 330 ed. Orelli. *Tres illis temporibus Curiones illustri nomine extiterunt, atque ita in libris adhuc feruntur: Curio avus, qui Servium Fulvium incesti reum defendit, et hic C. Curio pater, qui P. Clodio adfuit; et tertius ille Curio tribunicius, qui bello civili Pompeiano in Africa periit.*

in libris] in orationibus.

Cicero de Inventione 1, 43. *Quod pro credibili sumtum erit, id infirmabitur, si id, quod raro fit, fieri omnino negetur, ut Curio pro Fulvio: Nemo potest uno adspectu, neque praeteriens in amorem incidere.*

Auctor ad Herennium 2, 20. *Vitiosa expositio est, cum id, quod raro fit, fieri omnino negatur, hoc modo: Nemo potest uno adspectu neque praeteriens in amorem incidere.*

XXXVIII. *M. Aemilius Scaurus.*

Natus est a. 591 (163). Proquaestor a. 628 (126), aedilis curulis a. 631 (123), praetor a. 634 (120), con-

sul a. 639 (115), et princeps senatus. Censor a. 645 (109). Consul iterum a. 647 (107). Drumann T. 1. p. 25.

Extant fragmenta non orationum solum, sed librorum quoque de vita eius, quae collegit Krause Vitae et fragmenta veterum historicorum romanorum p. 226.

Cicero Bruto 29. *De Scauro et Rutilio breviter licet dicere, quorum neuter summi oratoris habuit laudem et uterque in multis causis versatus erat. In quibusdam laudandi viri; etiamsi maximi ingenii non essent, probabiles tamen industria. Quamquam his quidem non omnino ingenium, sed oratorium ingenium defuit. — — In Scauri oratione, sapientis hominis et recti, gravitas summa et naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut causam, sed ut testimonium dicere putares, cum pro reo diceret. Hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur, ad senatoriam vero auctoritatem, cuius erat ille princeps, vel maxime. — Huius et orationes sunt et tres ad L. Fufidium libri scripti de vita ipsius acta sane utiles, quos nemo legit.*

Ibidem c. 30. *Habemus igitur in Stoicis oratoribus Rutilium, Scaurum in antiquis: utrumque tamen laudemus, quoniam per illos ne haec quidem in civitate genera oratoria laude caruerunt.*

Cicero de Oratore 1. 49. *M. Scaurus — quamquam est in dicendo minime contemnendus, prudentia tamen rerum magnarum magis quam dicendi arte nititur.*

Velleius 2, 9. *Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Aemilianus Laeliusque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius. nec praetereundus Metellus Numidicus et Scaurus, et ante omnes L. Crassus et M. Antonius.*

In re publica gerenda in partibus stabat optimatium. Cicero orat. p. Sestio c. 47, 101. *M. Scaurus propugnator reipublicae, qui a C. Graccho usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restitit.*

1. Oratio pro lege sua de sumtibus.

M. Aemilius Scaurus in consulatu a. 639 (115) legem tulit sumtuariam, (v. Baiteri Index Legum, Walter G. d. röm. R. pag. 252.) eamque oratione suasisse puto, quam postea scriptam reliquerit memoriae.

Aurelius Victor de Vir. Illust. 72. *Scaurus consul legem de sumtibus et libertinorum suffragiis tulit.*

Plinius Hist. 8, 57, 82. *Glires censoriae leges princepsque M. Scaurus in consulatu non alio modo coenis ademere quam conchylia aut ex alio orbe convectas aves.*

2. Oratio pro lege sua de suffragiis libertinorum.

Scaurus consul eam legem promulgavit a. 639 (115).

Aurelius Victor de Vir. Ill. 72. *Scaurus consul legem de sumtibus et libertinorum suffragiis tulit.* Dolendum, argumentum legis Aemiliae latere, quae ipsis illis temporibus ferebatur, quibus de suffragii iure civium, sociorum, Latinorum, libertinorum saepe certatum est. Walter p. 123, qui de conditione libertinorum ample disseruit, censet, lege Aemilia libertinos denuo in quatuor tribus urbanas coactos esse.

3. Oratio pro se contra P. Rutilium Rufum.

Cum M. Aemilius Scaurus a. 647 (107) iterum consul crearetur, competitor eius, qui repulsam tulerat, P. Rutilius Rufus, eum reum ambitus fecit.

Cicero Bruto 30. *Rutilius in quodam tristi et severo genere dicendi versatus est, et uterque (Scaurus et Rutilius) natura vehemens et acer, itaque cum una consulatum petivissent, non ille solum, qui repulsam tulerat, accusavit ambitus designatum competitorem, sed Scaurus etiam absolutus Rutilium in iudicium vocavit.*

4. Oratio adversus P. Rutilium Rufum.

Ea dicta est a. 647 (107). Scaurus Rutilium ambitus postulavit: defendit reum C. Canius: absolutus est.

Cicero Bruto 30. *Rutilius et Scaurus cum una consulatum petivissent, non ille solum, qui repulsam tulerat, accusavit ambitus designatum competitorem, sed Scaurus etiam absolutus Rutilium in iudicium vocavit.*

Cicero de Oratore 2, 69. *Movent illa etiam, quae coniectura explanantur longe aliter atque sunt, sed acute atque concinne, ut cum Scaurus accusaret Rutilium ambitus, cum ipse consul esset factus, ille repulsam tulisset, et in eius tabulis ostenderet literas A. F. P. R. idque diceret esse: Actum fide P. Rutilii: Rutilius autem ante factum, post relatum: C. Canius, eques romanus, cum Rufo adesset, exclamat, neutrum illis literis declarari. Quid ergo? inquit Scaurus. Aemilius fecit, plectitur Rutilius.*

5. Oratio pro se contra Cn. Domitium Ahenobarbum.

Ea habita a. 650 (104). Reus erat maiestatis. De Cn. Domitio Ahenobarbo v. Drumann t. 3. p. 14.

Asconius in Scaurianam p. 21. ed. Orell. *Domitius, qui consul fuit cum Cassio, cum esset tribunus plebis, iratus Scauro, quod eum in augurum collegium non cooptaverat, diem ei dixit apud populum et multam irrogavit, quod eius opera sacra multa populi romani deminuta esse diceret. Crimini dabat, sacra publica populi romani deum Penatium, quae Lavinii fierent, opera eius minus recte casteque fieri. Quo crimine absolutus est Scaurus quidem, sed ita, ut a tribus tribubus damnaretur, a XXXII absolveretur, et in eis pauca puncta inter damnationem et absolutionem interessent.*

quae Lavinii fierent] constat, deorum Penatium templum Lavinii fuisse; institutumque erat more maiorum, ut consules, praetores seu

dictatoras, cum adiissent magistratum, Lavinii rem divinam facerent Penatibus pariter ac Vestae. Macrobius Sat. 3, 4. Hartung. die Relig. d. Römer t. 1. p. 77. Scaurus consul a. 647 (107) in sacris ibi faciundis aliquid neglexisse videtur. Aliter sentit Rubino über röm. Verf. u. Gesch. t. 1. p. 401.

Cicero p. Deiotaro c. 11. *Cn. Domitius cum tribunus plebis M. Scaurum in iudicium populi vocasset, Scaurique servus ad eum clam domum venisset et crimina in dominum delaturum se esse dixisset, apprehendi hominem iussit ad Scaurumque deduci.* Idem refert Valerius Max. 6, 5, 5. Dio Cassius Fragm. N. 100. (N. 228. in versione Tafelii).

6. Oratio pro se de pecuniis repetundis contra Q. Servilium Caepionem.

Ea causa acta est a. 663 (91).

Cicero or. p. Scauro 1, 2. *Reus est factus a Q. Servilio Caepione lege Servilia, cum iudicia penes equestrem ordinem essent et P. Rutilio damnato nemo tam innocens videretur, ut non timeret illa.*

lege Servilia] quam Servilius Glaucia tulerat, ut ex Asconio apparet.

Asconius in Scaurianam p. 21. *Q. Servilius Caepio Scaurum ob legationis Asiaticae invidiam et adversus leges captarum pecuniarum reum fecit repetundarum lege, quam tulit Servilius Glaucia. Scaurus tanta fuit continentia animi et magnitudine, ut Caepionem contra reum detulerit et breviore die inquisitionis accepta effecerit, ut ille prior causam diceret, M. quoque Drusum tribunum pl. cohortatus sit, ut iudicia commutaret.* —

legationis Asiaticae] de legatione Asiatica Scauri sic tenendum. Antequam eruperat bellum Mithridaticum, intercessit populo romano simultas cum Mithridate rege, erantque variae in Asiam ad regna Cappadociae et Bithyniae legationes missae, quarum aliquam obibat Scaurus. Wesseling Observatt. p. 36—40. Suspicio orta erat, M. Scaurum pecunia a Mithridate rege corruptum esse, (Val. Max. 3, 7, 8.) et pecunias a sociis extorsisse.

7. Oratio pro se de pecuniis repetundis contra M. Brutum.

In eadem causa dicta videtur a. 663 (91).

M. Brutus is est, qui propter multas accusationes accusator cognominatus est, cuiusque orationes infra memorabimus.

Cicero pro Fonteio c. 13. *M. Aemilium Scaurum, summum nostrae civitatis virum, scimus accusatum a Bruto. Extant orationes, ex quibus intelligi potest, multa in illum ipsum Scaurum esse dicta. Falso, quis negat?*

Charisius p. 74. *M. Scaurus contra Brutum de pecuniis repetundis: Praefecti fabrum.*

Diomedes p. 398. *Scaurus contra Brutum: Praefecti fabrum.*

Charisius p. 124. *M. Scaurus . . .* [de] *pecuniis repetundis: M. Brutum ita officiose atque observanter . . . ites triumphavere.*

M. Scaurus] An legendum *M. Scaurus orat. de pecuniis repetundis contra M. Brutum?* Lindemann coniicit: *M. Scaurus orat. de pecuniis repetundis: Marcum Brutum ita officiose atque observanter ipsi milites triumphaturi tractavere.*

8. Orationes contra Q. Caepionem.

Ea est habita a. 663 (91).

Asconius in Scaurianam p. 21. *Q. Servilius Caepio Scaurum ob legationis Asiaticae invidiam et adversus leges pecuniarum captarum reum fecit repetundarum lege. Scaurus tanta fuit continentia animi et magnitudine, ut Caepionem contra reum detulerit et breviore die inquisitionis accepta effecerit, ut ille prior causam diceret, M. quoque Drusum tribunum pl. cohortatus sit, ut iudicia commutaret.*

Drusum trib. pl.] Drumann t. 1. p. 27. scribit: Diese Processe hängen zum Theil mit wichtigen Veränderungen in der Verfassung zusammen, mit der lex Domitia de sacerdotiis v. J. 104. und mit der lex iudiciaria v. J. 91. Scaurus bestärkte Livius Drusus in dem Entschlusse, das Sempronische Gesetz durch ein anderes zu Gunsten des Senates aufzuheben. Vid. Marquardt H. Equit. p. 34.

Charisius p. 85. *Vulturius. M. Aemilius Scaurus contra Q. Caepionem actione secunda: Nefarius vulturius, patriae parricida.* Idem in eadem: *Scaurus, vulturius reipublicae.*

idem] legendum est *Idem in eadem Scaurus: Vulturius reipub.* non enim Scaurus semetipsum vulturium reipublicae appellavit, sed Caepionem adversarium. similiter Charisius p. 132: *Idem in eadem Cato* etc. Lindemannus aliter sentit: Scauri nomen, ait, maledicto addito dehonestatur, quod sic explicandum, ut statuamus, *Scauri* ex Caepionis aut alius adversarii persona illud attulisse.

9. Oratio pro se contra Q. Varium tribunum pl.

Ea oratio habita a. 664 (90).

Appianus Bell. Civil. 1, 37. *Οἱ ἱππεῖς ἐπίβασιν ἐς συκοφαντίαν τῶν ἐχθρῶν τὸ πολίτευμα αὐτοῦ (Δρούσου) τιθέμενοι, Κόιντον Οὐάριον δήμαρχον ἔπεισαν εἰσηγήσασθαι, κρίσεις εἶναι κατὰ τῶν τοῖς Ἰταλιώταις ἐπὶ τὰ κοινὰ φανερῶς ἢ κρύφα βοηθούντων. ἐλπίσαντες τοὺς δυνατοὺς ἅπαντας αὐτίκα εἰς ἔγκλημα ἐπίφθονον ὑπάξεσθαι, καὶ δικάσειν μὲν αὐτοὶ, γενομένων δ᾽ ἐκείνων ἐκποδὼν, δυνατώτερον ἔτι τῆς πόλεως ἐπάρξειν. Τὸν μὲν δὴ νόμον ἀπαγορευόντων τῶν ἑτέρων δημάρχων μὴ τίθεσθαι, περιστάντες οἱ ἱππεῖς σὺν ξιφιδίοις γυμνοῖς ἐκύρωσαν. Ὡς δ᾽ ἐκεκύρωτο, αὐτίκα τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν βουλευτῶν ἐπεγράφοντο κατήγοροι.*

Valerius Max. 8, 6, 4. *Q. Varius, propter obscurum ius civitatis Hybrida cognominatus, tribunus pl. legem adversus intercessionem collegarum perrogavit, qua iubebat quaeri, quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent, magna cum clade reipublicae. Sociale enim prius, deinde civile bellum excitavit.*

Asconius in Scaurianam p. 22. *Italico bello exorto, cum ob sociis negatam civitatem nobilitas in invidia esset, Q. Varius tribunus pl. legem tulit, ut quaereretur de iis, quorum ope consiliove socii contra populum romanum arma sumsissent. Tum Q. Caepio, vetus inimicus Scauri, sperans invenisse se occasionem*

opprimendi eius egit, ut Q. Varius tribunus pl. belli concitati crimine apud se Scaurum iuberet adesse anno LXXII. Ille per viatorem accersitus, cum iam ex morbo male solveretur, dissuadentibus amicis, ne se in illa valetudine et aetate invidiae populi obiiceret, innixus nobilissimis iuvenibus processit in forum, deinde accepto respondendi loco dixit: Q. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus socios in arma ait convocasse. M. Scaurus princeps senatus negat; testis nemo est. Utri vos, Quirites, convenit credere? Qua voce ita omnium commutavit animos, ut ab ipso etiam tribuno dimitteretur.

Cicero p. Scauro c. 1. 3. *Ab eodem Q. Caepione lege Varia custos ille rei publicae proditionis est in crimen vocatus, vexatus a Q. Vario tribuno pl. est non multo ante.*

Aurelius Victor de Vir. Ill. c. 72. *Scaurus senex cum a Vario tribuno pl. argueretur, quasi socios et Latium ad arma coegisset, ad populum ait: Varius Sucronensis Aemilium Scaurum ait socios ad arma coegisse, Scaurus negat. Utri potius credendum putatis?*

Valerius Max. 3, 7, 8. *M. Scaurus cum pro rostris accusaretur, quod a rege Mithridate ob rem publicam prodendam pecuniam accepisset, causam suam ita egit: Est enim iniquum, Quirites, cum inter alios vixerim, apud alios me rationem vitae reddere. Sed tamen audebo vos, quorum maior pars honoribus et actis meis interesse non potuit, interrogare: Varius Sucronensis Aemilium Scaurum, regia mercede corruptum, imperium populi romani prodidisse ait; Aemilius Scaurus huic se affinem esse culpae negat. Utri creditis? Cuius dicti admiratione populus commotus Varium ab illa dementissima actione pertinaci clamore depulit.*

est iniquum] eadem verba Plutarchus Catoni maiori tribuit c. 15, ut in oratione Catonis *pro se adversus C. Cassium* diximus p. 111.
apud alios me] *apud illos meae rationem vitae.* Codex regius ap. Duebnerum.

Quintil. 5, 12, 9. *Probationes adiiciunt, quas παθητικὰς vocant, ductas ex affectibus. Inde enim illa nobilis Scauri defensio: Q. Varius Sucronensis ait, Aemilium Scaurum rem publicam populi romani prodidisse. Aemilius Scaurus negat!*

10. Oratio pro se contra Q. Caepionem.

Ea oratio habita a. 664 (90).

Scaurus bis eodem anno lege Varia in iudicium vocatus est, primum ab ipso Vario tribuno pl. auctore legis, deinde cum ab accusatione destitisset, Q. Caepio causam recepit.

Argumentum ex praecedente oratione petendum.

Extabat etiam oratio *Q. Caepionis in M. Aemilium Scaurum lege Varia.*

XXXIX. *M. Junius Brutus.*

Drumann Gesch. Roms t. 4. p. 6.

Cicero Bruto 34. *Iisdem temporibus* (cum M. Scauro et P. Rutilio Rufo) *M. Brutus, in quo magnum fuit, Brute, dedecus generi vestro, qui cum tanto nomine esset, patremque optimum virum habuisset et iuris peritissimum, accusationem factitaverit, ut Athenis Lycurgus. Is magistratus non petivit, sed fuit accusator vehemens et molestus, ut facile cerneres naturale quoddam stirpis bonum degeneravisse vitio depravatae voluntatis.*

Cicero de Offic. 2, 14. *Duri hominis vel potius vix hominis videtur periculum capitis inferre multis. Id cum periculosum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam committere, ut accusator nominere, quod contigit M. Bruto summo genere nato, illius filio, qui iuris civilis in primis peritus fuit.*

1. Oratio in M. Aemilium Scaurum.

Ea est habita a. 663 (91). Vide orationes *Scauri.*

Cicero p. Fonteio. 13. *M. Aemilium Scaurum summum nostrae civitatis virum scimus accusatum a M. Bruto. Extant orationes, ex quibus intelligi potest, multa in illum ipsum Scaurum esse dicta. Falso, quis negat? verumtamen ab inimico dicta et obiecta.*

2. Oratio in Cn. Plancum.

Ea causa acta fertur a. 663 (91). Drumann t. 4. p. 66. Pro Cn. Planco adversus Brutum dixit L. Licinius Crassus, ex cuius oratione aliquot supersunt fragmenta.

Vid. orat. *Crassi*, ubi locos Cic. de Orat. 2, 54 et 55. p. Cluentio 51. Quintil. 6, 3, 44. qui eiusdem causae meminere, dedimus.

Plinius Hist. 36, 3. *L. Crassum oratorem illum, qui primus peregrini marmoris columnas habuit in eodem Palatio, Hymettias tamen nec plures sex aut longiores duodenum pedum, M. Brutus in iurgiis ob id Venerem Palatinam appellaverat.*

M. Brutus] fortasse in hac oratione tali modo in Crassum invectus est.

XL. *C. Sulpicius Galba Servii filius.*

Filius Ser. Sulpicii Galbae, oratoris celeberrimi, de quo supra diximus p. 164. Quaesturam gessit a. 634 (120). Deinde cum fama esset, eum quoque a Iugurtha rege pecunia esse corruptum, lege Mamilia a. 644 (110) condemnatus est.

Cicero Bruto c. 33, 6. Huic (Caio Graccho) *successit aetati C. Galba Servii illius eloquentissimi viri filius, P. Crassi eloquentis et iuris periti gener. Laudabant hunc patres nostri, favebant etiam propter patris memoriam, sed cecidit in cursu: nam rogatione Mamilia Iugurthinae coniurationis invidia, cum pro sese ipse dixisset, oppressus est. Extat eius peroratio, qui epilogus dicitur, qui tanto in honore pueris nobis erat, ut eum edisceremus. Hic, qui in*

collegio sacerdotum esset, primus post Romam conditam iudicio publico est condemnatus.

primus] pontifices enim romani usque ad illa tempora non magistratibus sed pontifici maximo subiecti erant. Dionys. Antiqu. Rom 2, 73. *οἱ ποντίφικες εἰσὶν ἀνυπεύθυνοι πάσης δίκης τε καὶ ζημίας, οὔτε βουλῇ λόγον ἀποδιδόντες οὔτε δήμῳ.*

Oratio pro se maiestatis.

Ea habita est a. 644 (110). Argumentum pete ex loco superiore.

XLI. *P. Rutilius Rufus.*

Anno circiter 600 (154) natus est. Tribunatum plebis eum obtinuisse a. 639 (115), postquam anno priore, id est, anno legitimo repulsam tulisset, dicunt Pighius atque Ellendt p. LI. Alii enim, inter quos Maiansius (ad XXX Iurisconsultorum Fragmenta Commentarii T. 2, p. 3) et Clinton in Fastis t. 3. p. 147., tribunum pl. fuisse negant, innixi auctoritate loci Ciceroniani in or. p. Plancio c. 21. Praeturam gessit a. 643 (111). Consulatum petens a. 647 (107) repulsam tulit: M. enim Aemilius Scaurus iterum consul eo anno creabatur, unde a Rutilio ambitus accusatum diximus. Sed duobus annis post consul factus est a. 649 (105). Deinde a. 659 (95) Q. Mucii Scaevolae, (Pont. max.) Asiae proconsulis, legatus fuit (Perizonii Animadv. hist. p. 58). Reversus ex Asia, ab equitibus, qui tum iudicia exercebant, accusatur, utqui publicanos in provincia laesisset, et in exilium ejicitur a. 662 (92). Atque initio exilii sui Mytilenis vixit, deinde Smyrnam profectus est, nec Romam redire cupivit, etsi Sulla dictator a. 673 (81) eum restituerat, et revocaverat. Seneca de Beneficiis 6, 37. Senem visit Smyrnae Cicero in itinere Asiatico a. 676 (78). Cic. in Bruto c. 22.

Cicero Bruto 29. *De Scauro et Rutilio breviter licet dicere, quorum neuter summi oratoris habuit*

laudem, et uterque in multis causis versatus erat. In quibusdam laudandi viri, etiamsi maximi ingenii non essent, probabiles tamen industria. Quamquam his quidem non omnino ingenium, sed oratorium ingenium defuit. c. 30. Rutilius in quodam tristi et severo genere dicendi versatus est. Sunt eius orationes ieiunae, multa praeclara de iure, doctus vir et graecis literis eruditus, Panaetii auditor, prope perfectus in Stoicis, quorum peracutum et artis plenum orationis genus scis tamen esse exile, nec satis populari assensioni accommodatum. — Habemus igitur in Stoicis oratoribus Rutilium, Scaurum in antiquis; utrumque tamen laudemus, quoniam per illos ne haec quidem in civitate genera hac oratoria laude caruerunt.

1. Oratio adversus M. Aemilium Scaurum ambitus.

Ea est habita a. 647 (107). Vid. oratio *Scauri.*

Rutilius et Scaurus a. 647 (107) una consulatum petebant: Scaurus obtinuit. Rutilius competitorem ambitus accusat, sed absolvitur reus.

Cicero Bruto 30. *Rutilius in quodam tristi et severo genere dicendi versatus est, et uterque* (Scaurus et Rutilius) *natura vehemens et acer. Itaque cum una consulatum petivissent, non ille solum, qui repulsam tulerat, accusavit ambitus designatum competitorem, sed Scaurus etiam absolutus Rutilium in iudicium vocavit.*

2. Oratio pro se contra M. Aem. Scaurum.

Ea est dicta a. 647 (107).

Scaurus Rutilium competitorem consulatus ambitus reum fecit. C. Canius Rutilio in hac causa aderat. Cic. de Orat. 2, 69.

Argumentum ex praecedenti oratione atque ex oratione *Scauri* petendum.

3. Oratio pro lege sua de tribunis militum.

Dicta a. 649 (105).

Maiansius (ad triginta Iuris cons. Fragmenta T. 2. p. 9) scribit: P. Rutilius consul legem tulit de tribunis militum a consule creandis.

Festus p. 261. *Rufuli tribuni mil* (itum appellabantur, quos) consul faciebat, n (on populus, de quorum iure quod) *Rutilius Rufus legem* (tulerat, qua eis cavebatur multis) modis: sic enim cleva (veraut eos, ut praepondera)bant ii qui populi suffr (agiis creabantur, Rufi a) cognomine Rutili a(c post Rufuli appellati sunt.)

4. Oratio de modo aedificiorum.

Eam Rutilius in consulatu habuisse videtur a. 649 (105).

Suetonius August. c. 89. *Etiam libros totos et senatui recitavit et populo notos per edictum saepe fecit, ut orationes Q. Metelli de prole augenda et Rutilii de modo aedificiorum, quo magis persuaderet, utramque rem non a se primo animadversam, sed antiquis tam tunc curae fuisse.*

Q. Metelli] Krause Fragm. Historicorum p. 232. delet Q. cum cod. Berolinense.

Augustus insanis domuum et villarum exstructionibus occurrere volens, recitavit in senatu orationem Rutilii de modo aedificiorum, modumque ipse praefinivit aedificiis. Rutilius enim in ea oratione de altitudine et latitudine privatarum aedium praecepit certumque modum sive numerum pedum statuit. Nec raro eos multatos esse, qui in hac re peccarent, certum est, exemplumque affert Valerius Maximus 8, 1, 7: *Admodum severae notae et illud populi iudicium, cum M. Aemilium Porcinam a L. Cassio accusatum crimine nimis sublime extructae villae in Alsiensi agro gravi multa offecit.* Conf. Maiansius ad XXX iuriscons. Fragm. t. 2. p. 16.

5. Oratio pro L. Caerucio ad populum.

Annus incertus, quo fuerit habita. Sed ante annum 662 (92), quo anno Rutilius in exilium eiectus est, habitam, satis constat.

Argumentum orationis obscurum.

Diomedes p. 372. *P. Rutilius de vita sua: Uni una ostentata est.* Item *pro Lucio Caerucio ad populum* ex hoc derivavit participium: *quod ego me spero ostenturum,* non *ostensurum.*

ostentata est] *legendum* **ostenta est**, *quod quivis videat, Diomedis locum legens attente.* Duebner.

Item pro L. Caerucio] Priscianus T. I. p. 493. *Cato pro L. Caesure ad populum: Quod ego me spero ostenturum.* Maiansius p. 15 adnotat. „*Hoc fragmentum perperam Catoni tribuit Priscianus, cum Diomedi antiquiori potius credere debeamus.*" — Conf. supra p. 137.

6. Oratio pro se repetundarum contra publicanos.

Causa celeberrima acta est a. 662 (92). Conf. Clinton ad h. a. Perizonius Animad. hist. p. 58. Madwig ad Asconium p. 110.

Rutilius optimatium erat et pro senatu stetit. atque illis temporibus ii, qui causam optimatium defendebant, magna pericula experti sunt, propterea quod iudicia penes homines populares, id est, adversarios optimatium erant. Cum igitur Rutilius, Q. Mucii Scaevolae (Pont. max.) legatus a. 659 (95), in Asia provincia publicanos, adversarios optimatium, offendisset et fenerationem iniuriasque eorum cohibuisset, hi irati litem ei Romam reverso a. 662 (92) intenderunt, atque a iudicibus, qui publicanis favebant, condemnatus est. Accusator Rutilii erat Apicius quidam. Athenaeus lib. IV. p. 168. ed. Commel. T. 1. p. 375. ed. Dind. *παρὰ δὲ Ῥωμαίοις μνημονεύεται, Ἀπικιόν τινα ἐπὶ ἀσωτίᾳ πάντας ἀνθρώπους ὑπερηκοντικέναι. οὗτος δ᾽ ἐστὶν Ἀπίκιος ὁ καὶ τῆς φυγῆς αἴτιος γενόμενος Ῥουτιλίῳ τῷ τὴν Ῥωμαικὴν ἱστορίαν ἐκδεδωκότι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ.*

Livius Epit. lib. 70. *P. Rutilius, vir summae innocentiae, quoniam legatus Q. Mucii proconsulis a publicanorum iniuriis Asiam defenderat, invisus equestri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus in exilium missus est.*

Velleius 2, 13. *Drusus senatui priscum restituere cupiebat decus et iudicia ab equitibus ad eum transferre ordinem: quippe eam potestatem nacti equites Gracchanis legibus, cum in multos clarissimos atque innocentissimos viros saevissent, tum P. Rutilium, virum non seculi sui, sed omnis aevi optimum, interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu civitatis damnaverant.*

Cicero Bruto c. 30. *Rutilius innocentissimus cum in iudicium vocatus esset (quo iudicio convulsam penitus scimus esse rem publicam), cum essent eo tempore eloquentissimi viri L. Crassus et M. Antonius consulares, eorum adhibere neutrum voluit. Dixit ipse pro sese, et pauca C. Cotta, quod sororis erat filius. Sed Q. Mucius enucleate ille quidem et polite, ut solebat, nequaquam autem ea vi atque copia, quam genus illud iudicii et magnitudo causae postulabat.*

C. Cotta] C. Aurelius Cotta, de quo infra dicemus.
Q. Mucius] Q. Mucius Scaevola pontifex maximus, non Scaevola augur. Vid. *Onomast. Tullianum.* p. 407.

Cic. p. Fonteio c. 13. *P. Rutilius ipse, homo sanctissimus et temperantissimus, multa audivit in sua causa, quae ad suspicionem stuprorum, ad libidinem pertinerent.* Conf. Cic. de Orat. 1, 53. p. Scauro 1, 2. Quintil. XI, 1, 12. Orosius 5, 17.

Florus 3, 17. *Iudiciaria lege Gracchi diviserant populum romanum, et bicipitem ex una fecerant civitatem. Equites romani tanta potestate subnixi, ut qui fata fortunasque principum haberent in manu, interceptis vectigalibus peculabantur suo iure rempublicam. Senatus exitio Metelli, damnatione Rutilii debilitatus omne decus maiestatis amiserat.*

Valerius Max. 2, 10, 5. *Quid damnatione, quid exilio miserius? Atqui P. Rutilio conspiratione publicanorum perculso auctoritatem adimere non valuerunt. Cui Asiam petenti omnes provinciae illius civitates legatos secessum eius opperientes obviam miserunt. Exulare aliquis hoc loco an triumphare iustius dixerit?*

Dio Cassius Fragm. Peiresc. N. 106, 107, 108. (N. 236 in Versione Tafelii.)

7. Oratio ficta ad Mithridatem regem.

Constat, bellum Mithridaticum a. 666 (88) erupisse. Mithridates rex cives romanos, in Asia degentes, interfici iubet. Malevoli ridiculum spargebant rumorem, quasi Rutilius exul odio patriae Mithridati persuasisset, ut tale crimen committeret.

Plutarchus v. Pompeii c. 37. *Θεοφάνης δὲ καὶ Ῥουτιλίου λόγον εὑρεθῆναί φησι παροξυντικὸν ἐπὶ τὴν ἀναίρεσιν τῶν ἐν Ἀσίᾳ Ῥωμαίων. ὃ καλῶς εἰκάζουσιν οἱ πλεῖστοι κακοήθευμα τοῦ Θεοφάνους εἶναι, τάχα μὲν οὐδὲν αὐτῷ τὸν Ῥουτίλιον ἐοικότα μισοῦντος, εἰκὸς δὲ καὶ διὰ Πομπήϊον, οὗ τὸν πατέρα παμπόνηρον ἀπέδειξεν ὁ Ῥουτίλιος ἐν ταῖς ἱστορίαις.*

λόγον] orationem intelligendam puto, nec aliter Maiansius p. 13. — Heeren autem in libro de fontibus Plutarchi p. 165 litteras sive epistolam tradit. Quomodo autem cunque res se habeat, Plutarcho assentior, qui a Theophane hanc narrationem inepte fictam esse scribit.

XLII. *C. Flavius Fimbria.*

Quaestor a. 633 (121), tribunus pl. a. 639 (115), postquam anno priore repulsam tulisset, aedilis pl. a. 642 (112), praetor a. 645 (109), consul a. 650 (104). Consulatus certus, reliqui magistratus incerti et a Pighio ficti.

Cicero Bruto c. 34. *C. Fimbria temporibus iisdem fere,* (cum C. Graccho, Scauro et Rutilio) *sed longius*

aetate provectus, habitus est sane, ut ita dicam, truculentus, asper, maledicus, genere toto paulo fervidior atque commotior, diligentia tamen et virtute animi atque vita bonus auctor in senatu. Idem tolerabilis patronus nec rudis in iure civili, et cum virtute tum etiam ipso orationis genere liber, cuius orationes pueri legebamus, quas iam reperire vix possumus.

Cic. de Orat. 2, 22, 91. *Fufius nervos in dicendo C. Fimbriae, quos tamen habuit ille, non assequitur, oris pravitatem et verborum latitudinem imitatur.*

Oratio pro se contra M. Gratidium.

C. Flavius Fimbria praetor provinciam sortitus a. 645 (109), et ex provincia reversus a. 648 (106) reus est factus repetundarum a M. Gratidio, sed absolvitur. Pighius t. 3. p. 142. Valerius Max. 8, 5, 2.

Cic. Brut. 45. *M. Gratidius accusavit C. Fimbriam.*

XLIII. *Titus Albucius.*

Tribunus pl. a. 642 (112), aedilis pl. a. 645 (109), praetor a. 648 (106), et Sardiniam provinciam obtinuit a. 649 (105), unde reversus a. 651 (103) repetundarum accusatur et damnatur. Albucium doctum hominem fuisse, nec solum orationes, sed etiam libellos Luciliano charactere, id est, satiras, scripsisse, constat (Varro de re rust. 3, 2.), eiusdemque fit mentio apud Frontonem p. 171. *Albucius poeta aridus, Lucilius gracilis.*

Cicero Bruto 35. *Doctus etiam graecis T. Albucius vel potius paene graecus. Loquor ut opinor, sed licet ex orationibus iudicare. Fuit autem Athenis adolescens, perfectus Epicureus evaserat, minime aptum ad dicendum genus.*

T. Albucius] Lucius appellatur in Varrone de re rust. 3, 2. — Sed *Titum* verum esse docuit Beier ad Cic. p. Scauro p. 202.

1. Oratio adversus Q. Mucium Scaevolam augurem repetundarum.

Ea causa acta videtur a. 634 (120).

Q. Mucius Scaevola augur Asiam sortitus obtinuit a. 633 (121), unde reversus ab T. Albucio repetundarum reus est factus. Sed cum probaret, se Asiam iustissime et innocenter rexisse, absolutus est.

Cic. de Orat. 2, 70. Bruto c. 26, 102. (In Onomastico Tulliano s. v. *A. Mucius Scaevola augur* p. 406. alter locus Bruti 30, 115 errore (opinor) ad causam repetundarum Scaevolae auguris refertur, cum potius de causa Rutilii Rufi, cui aderat Mucius Scaevola pontifex Max., agatur.

2. Oratio pro se contra C. Iulium Caesarem Strabonem.

Ea dicta est a. 651 (103). Drumann T. 3. p. 126.

T. Albucius a. 649 (105) Sardiniam provinciam sortitus, in ea administranda male se gessit. Unde Romam reversum Sardi a. 651 (103) in iudicium vocabant eorumque suscepit causam patronus C. Iulius Caesar Strabo, de cuius orationibus postea dicemus. Albucius in exilium it Athenas. Cicero de Offic. 2, 14. Suetonius Caes. 55. Cicero Divin. in Caecilium 19. Appuleius de Magia p. 316. Cic. or. p. Scauro §. 40. p. 202. ed. Beier. *Damnatus est T. Albucius ex Sardinia nonnullis etiam laudantibus Sardis.*

XLIV. *Q. Lutatius Catulus.*

Consul factus est a. 652 (102), postquam ter repulsam tulerat. Conf. Wunder ad Cic. p. Plancio 5, 12. Orellius in Onomast. Occisus per Marium bello civili a. 667. (87). Cic. Tuscul. 5, 19. Ellendt ad Cic. de Orat. 3, 3, 9.

Extant Catuli epigrammata duo in Anthologia latina T. 1. p. 12. ed. meae, eundemque lasciva carmina fecisse,

testatur Plinius Ep. 5, 35. Praeterea de consulatu suo et de rebus suis gestis scripsit: nam valde insignis erat in bello Cimbrico atque Mariano. Conf. Val. Max. VIII, 15, 9. IX, 12, 4.

Cicero Bruto c. 35. *Iam Q. Catulus non antiquo illo more, sed hoc nostro, nisi quid fieri potest perfectius, eruditus. Multae literae, summa non vitae solum atque naturae, sed orationis etiam comitas, incorrupta quaedam latini sermonis integritas, quae perspici cum ex orationibus eius potest, tum facillime ex eo libro, quem de consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophontio genere sermonis misit ad A. Furium poetam. — Fuit in Catulo sermo latinus, quae laus dicendi non medioris ab oratoribus plerisque neglecta est. — Nec habitus est tamen princeps in numero patronorum, sed erat talis, ut, cum quosdam audires, qui tum erant praestantes, videretur esse inferior; cum autem ipsum audires sine comparatione, non modo contentus esses, sed melius non quaereres.*

A. Furium poetam] A. Furius Antias Annalium libros versibus hexametris scripsit. Conf. Weichert Poet. lat. rel. p. 352.

Ibidem c. 74, 259. *Catulus erat ille quidem minime indoctus, ut a te paulo est ante dictum, sed tamen suavitas vocis et levis appellatio litterarum bene loquendi famam confecerat.*

Cic. de Orat. 2, 7. *Catulo non solum nos latini sermonis, sed etiam graeci ipsi solent suae linguae subtilitatem elegantiamque concedere.*

Ibidem 3, 8, 29. *Quid iucundius auribus nostris umquam accidit huius oratione Catuli? quae est pura sic, ut latine loqui pene solus videatur, sic autem gravis, ut in singulari dignitate omnis tamen adsit humanitas et lepos. Quid multa? ipsum audiens equidem sic iudicare soleo, quidquid aut addideris aut mutaveris aut detraxeris, vitiosius et deterius futurum.*

Quintilian. XI, 3, 35. *Laudatur in Catulo suavis appellatio litterarum.*

1. Laudatio funebris Popilliae matris.

Cic. de Orat. 2, 11, 44. *In eo quidem genere* (laudationum) *scio et me et omnes, qui affuerunt, delectatos esse vehementer, cum abs te, Catule, est Popillia, mater vestra, laudata, cui primum mulieri hunc honorem in nostra civitate tributum puto.*

cui primum mulieri] v. Kreuzer Röm. Antiquitäten p. 454., ubi de laudationibus mulierum locutus est. Ellendt ad h. l. scribit: *matronis eum honorem tributum esse post tumultum Gallicum Livius narrat* l. 5, 50. *Quare more diu intermisso factum esse puto, ut nullius ante Popiliam mulieris pro concione laudatae memoria scripta extaret.*

XLV. *Q. Caecilius Metellus Numidicus.*

Drumann Roms Geschichte T. 2. p. 37, scribit, Metellum praetorem fuisse a. 642 (112), anno deinde sequenti Siciliam provinciam obtinuisse, et a. 644 (110) reversum, repetundarum postulatum et absolutum esse. Consul fuit a. 645 (109) et bello contra Iugurtham in Numidia gesto cognomen Numidici meruit. Censor a. 652 (102). Postea a. 654 (100) per Marium consulem in exilium eiicitur, unde a. 655 (99) restituitur.

Cicero Bruto c. 35. *Q. Metellus Numidicus et eius collega M. Silanus dicebant de re publica, quod esset illis viris et consulari dignitati satis.*

Drumannus locum de Oratore 1, 49. huc refert, quem *Metello Macedonico* potius vindicandum arbitror. V. p. 159.

Velleius 2, 9. *Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Aemilianus, Laeliusque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius. Nec praetereundus Metellus Numidicus et Scaurus et ante omnes L. Crassus et M. Antonius. Quorum aetati ingeniisque successere C. Caesar Strabo, P. Sulpicius.*

Gellius 1, 6. *Metellus Numidicus gravis ac disertus vir.*

Gellius 17, 2. *Q. Metellus Numidicus caste pureque lingua usus latina videtur.*

Fronto Epist. p. 15. ubi gaudet, M. Aurelium orationem suam propria manu descripsisse. *Quid tale*, ait, *M. Porcio aut Q. Ennio aut C. Graccho aut Ticio poetae, quid Scipioni aut Numidico, quid M. Tullio tale usu venit? Quorum libri pretiosiores habentur et summam gloriam retinent, si sunt Lampadione aut Staberio aut .... aut Aelio ... aut Attico aut Nepote. Mea oratio extabit M. Caesaris manu scripta.*

Scipioni] Scipioni Africano minori, cuius supra orationes recensuimus. *Lampadione*] Lampadio, Staberius, Aelius Grammatici celeberrimi, Atticus et Cornelius Nepos librarii fuisse traduntur.

1. Oratio pro se de repetundis.

Causa acta videtur a. 644 (110). Metellus Siciliam provinciam obtinuisse fertur, unde reversus repetundarum postulatus et absolutus est. Cic. in Verr. 3, 90. Epist. ad Attic. 1, 16, 2. p. Balb. 5. Valerius Max. 2, 10. Drumann t. 2. p. 37. Ellendt p. LVIII.

2. Oratio ad populum adversus Cn. Manlium tribunum pl.

Ea est habita a. 647 (107).

Oratio Metelli habita est adversus Cn. Manlium Mancinum tribunum pl. a. 647 (107), qui ante omnes auctor et suasor fuerat, Metellum ex Numidia revocandi et Mario bellum Iugurthinum committendi. Sallust. Iug. 73. Cum autem Metellum in concionibus saepe lacerasset et lacessivisset, Metellus ipse, postquam invitus et invidia plebis coactus provinciam reliquerat, Romam reversus orationem acerbam contra eum dixisse videtur. Ceterum de argumento orationis et de nomine tribuni pl. dissentiunt reliqui interpretes. Pighius enim t. 3.

p. 123. ad rogationem *Mamiliam* a. 644 (110) latam (v. Salust. Iug. 40) referendam arbitrabatur, quam dissuasisse Metellum scribit; eumque in edit. pr. secutus eram.

Ellendt autem p. LX scribit: Si Mamilius homo tum potens tantopere Metello obtrectavit, in ea quaestionis severitate, quam describit Sallustius, vix ille (eo ipso anno) consul factus esset. Alium igitur tribunum pl. intelligendum putat, Cn. Manlium Maximum, cum Rutilio consulem, quem sordidum et ignobilem genere diu iacuisse scimus, priusquam ad consulatum perveniret.

Priscianus t. 1, p. 369. *Metellus Numidicus in oratione, qua apud populum Cn. Manlio tribuno plebis respondit: Nam ut aliis plerumque obvenienti magistratu ob metum statuae polliceantur.* passive ἐπαγγέλλωνται.

Cn. Manlio] sic legendum censeo. *C. Manlio* edd. ante Krehl nec non cod. Genef. Sec. XI. teste Duebnero. *C. Manilio* codd. Krehlii. *aliis*] pro *aliis* unus Krehlii *alias*. Id verum videtur. *obvenienti*] an *advenienti? magistratu* dativus est.

Gellius 6, 11. Cum inquinatissimis hominibus non esse convicio decertandum, — non minus *ex oratione Q. Metelli Numidici*, *sapientis viri*, cognosci potest quam ex libris et disciplinis philosophorum. *Verba haec sunt Metelli adversus Cn. Manlium tribunum pl., a quo apud populum in concione lacessitus iactatusque fuerat dictis petulantibus: Nunc quod ad illum pertinet, Quirites, quoniam se ampliorem putat esse, si se mihi inimicum dictitaverit, quem ego mihi neque amicum recipio neque inimicum respicio, in eum ego non sum plura dicturus. Nam eum indignissimum arbitror, cui a viris bonis benedicatur, tum ne idoneum quidem, cui a probis maledicatur. Nam si in eo tempore huiuscemodi homunculum nomines, in quo punire non possis, maiore honore quam contumelia afficias.*

Quirites, quoniam] *Quirites, qui* Lion ex Guelferb. eumque sequebar in edit. pr.

3. Oratio de triumpho.

Ea dicta est a. 647 (107.) Metellus invidia populi coactus Numidiam provinciam relinquit, atque Mario consuli bellum Iugurthinum defertur. Cum autem Metellus Romam reversus esset, inimici eius amplius detrectare eius laudes non modo non audebant, verum triumphus ei unanimiter permittitur. Sallust. Iug. 88. Velleius 2, 11.

Gellius 12, 9. *Honorem* quoque mediam vocem fuisse, et ita appellatum, ut etiam *malus honos* diceretur et significaret *iniuriam*, id profecto rarissimum est. *Q. autem Metellus Numidicus in oratione, quam de triumpho suo dixit, his verbis usus est: Qua in re quanto universi me unum antestatis, tanto vobis quam mihi maiorem iniuriam atque contumeliam facit, Quirites, et quanto probi iniuriam facilius accipiunt quam alteri tradunt, tanto ille vobis quam mihi peiorem honorem habuit. Nam me iniuriam ferre, vos facere vult, Quirites, ut hic conquestio, istic vituperatio relinquatur. — Honorem, inquit, peiorem vobis habuit quam mihi:* cuius verbi sententia est, quam ipse quoque supra dicit: *maiore vos affecit iniuria et contumelia quam me.* Praeter huius autem verbi notionem adscribendam esse hanc sententiam ex oratione Q. Metelli existimavi, ut definiremus Socratis esse decretum *Κάκιον εἶναι τὸ ἀδικεῖν τοῦ ἀδικεῖσθαι.*

facit] scilicet *Marius*. de eo enim hac parte orationis loquitur Metellus. *contumeliam facit*] id loquendi genus Cicero in Antonio reprehendit. Philipp. 3, 9. Mureti Var. Lect. 6, 18.

4. Oratio ad populum de ducendis uxoribus.

Eam Metellus in censura a. 652 (101) habuisse traditur. Sed Gellius 1, 6. Metello Numidico, Livius Metello Macedonico tribuit. Ego nescio quam recte, Livio maiorem fidem adhibendam ratus quam Gellio, orationibus *Macedonici* pag. 160, fragmentum inserui. Ac revera in dubium vocari potest, utri scriptori potius

sit fidendum. Nam etsi Livii multum apud me valet auctoritas, tamen ignorantia quasi quaedam de antiquissimo rerum romanarum statu interdum apparet, Gellius autem, etsi ingenio longe inferior, multa et accurata cognitione vetustarum literarum romanarum praeditus est, ita ut in tali re minus facile errorem commiserit quam Livius.

5. Oratio post reditum.

Ea dicta est a. 655 (99).

Cum Metellus Mario et tribunis pl. vehementer resisteret, effecerunt, ut in exilium eiiceretur a. 654 (100). Sed revocatur a. 655 (99) rogatione Q. Calidii tribuni pl. Liv. Epist. 69. Appian Civ. B. 1, 33.

Unum tantum vestigium huius orationis, quam post reditum ex exilio habuit, superest. Conf. Freinsheim Supplem. Livii l. 69, 53.

Gellius 13, 28. Verba sunt Claudii Quadrigarii ex Annalium eius XIII: *Contione dimissa Metellus in Capitolium venit cum multis mortalibus; inde cum domum proficiscitur, tota civitas eum reduxit.*

Contione dimissa] contionem dimisit, postquam orationem in concione dixisset.

6. Orationes in Valerium Messalam repetundarum.

Metellus accusavit Valerium quendam Messalam, qui in administranda provincia socios vexaverat pecuniasque exegerat. Interpretibus adhuc non contigit, ut hunc Messalam explorarent, ac nescio an sit M. Val. Messala, quaestor a. 646 (108), qui deinde a. 664 (90) inter legatos erat, qui bello Marsico contra socios exercitibus praefuere, cuiusque meminit Appianus Bell. Civil. 1, 40. Cramerus, qui de loco Gellii l. 15, 14. (in Programmate a. 1827. *Inest ad Gellium excursuum Trias. Kiliae*) scripsit, nihil aliud effecit, nisi ut probaret, hanc accusationem demum post latas leges Serviliam et Aciliam

intentatam fuisse, quibus nimirum in causis repetundarum introducta fuit et ampliatio et comperendinatio: quarum alterutra, inquit, in Messalino iudicio intervenisse, est quod credamus: adducor enim mentione facta libri tertii Accusationis. Quod si igitur Crameri opinionem amplectamur, causa de qua sermo est, non ante annum fere 654 (100) acta videtur: leges enim Aciliam et Serviliam de repetundis inter a. 648—654 latas esse certum est. Conf. Baiteri Index Legum p. 120, et 269 sq.

Gellius 15, 14. *Apud Q. Metellum Numidicum in libro Accusationis in Valerium Messalam tertio nove dictum esse adnotavimus. Verba ex oratione eius haec sunt: Cum sese sciret in tantum crimen venisse, atque socios ad senatum questum flentes venisse, sese pecunias maximas exactos esse. — Pecunias, inquit maximas exactos pro eo quod est pecunias a se maximas exactas. Id nobis videbatur graeca figura dictum. Graeci enim dicunt εἰσεπράξατό με ἀργύριον, id significat, exegit me pecuniam. Quod si id dici potest, etiam exactus esse aliquis pecuniam dici potest.*

XLVI. *C. Memmius.*

Tribunus plebis a. 643 (111). Sallust. Iug. 27, 30. A. 650 (104) praeturam gessit et provinciam nescio quam administravit, e qua reversus reus repetundarum factus est a. 651 (103). Postea consulatum petens a. 654 (100) occiditur.

Fragmenta quidem nonnulla orationum C. Memmii apud auctores memorantur, sed plerumque alius Memmius intelligitur, qui postea vixit et contra Lucullum atque Caesarem orationes dixit, de quo infra dicemus.

Cicero Bruto 36. *Tum etiam C. et L. Memmii fuerunt, oratores mediocres, accusatores acres atque acerbi. Itaque in iudicium capitis multos vocaverunt, pro reis non saepe dixerunt.*

Sallust. Iug. c. 30. *C. Memmii facundia clara pollensque fuit.*

1. Concio post reditum L. Cornelii Bestiae.

Ea est habita a. 644 (110). L. Calpurnius Bestia consul a. 643 (111) bellum contra Iugurtham susceperat, sed a rege pecunia corrumpitur. Cum deinde Romam reversus esset, Memmius tribunus pl. concionem contra eum dixit.

Sallust. Iugurth. c. 30. *C. Memmius, cuius de libertate ingeni et odio potentiae nobilitatis supra diximus, prorsus intentus omni modo plebis animum accendebat. Sed quoniam ea tempestate Romae Memmi facundia clara pollensque fuit, decere existumavi unam ex tam multis orationem eius perscribere, ac potissimum ea dicam, quae in contione post reditum Bestiae huiuscemodi verbis disseruit.*

unam-perscribere] nec tamen eam Salustius ad verbum in librum suum retulit, sed more suo cogitata Memmii stilo proprio formavit.

2. Oratio adversus L. Calpurnium Bestiam lege Mamilia.

Ea dicta est a. 644 (110). Bestiam defendit M. Aemilius Scaurus, qui in bello Iugurthino Bestiae consulis legatus fuerat. C. Mamilius Limetanus tribunus pl. a. 644 (110) rogationem ad populum promulgavit, uti quaereretur in eos, quorum consilio Iugurtha senati decreta neglexisset, quique ab eo in legationibus aut imperiis pecunias accepissent. Sallust. Iug. 40. Multi nobiles hac lege accusati et damnati sunt, inter quos L. Calpurnius Bestia Consul a. 643 (111) erat, quem C. Memmius reum fecit. Constabat enim, eum pecunia corruptum cum Iugurtha pacem fecisse. Conf. Livii Epit. l. 64. Florus 3, 1. Orosius 5, 15. Drumann T. 2. p. 95.

Cic. de Orat. 2, 70, 283. *Bellum etiam est, cum quid cuique sit consentaneum dicitur: ut cum Scaurus*

nonnullam haberet invidiam ex eo, quod Phrygionis Pompeii locupletis hominis bona sine testamento possederat, sederetque advocatus reo Bestiae, cum funus quoddam duceretur, accusator C. Memmius, vide, inquit, Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor.

Cic. Brut. 34. *L. Bestia bonis initiis orsus tribunatus, vir et acer et non indisertus, tristes habuit exitus consulatus: nam invidiosa lege Mamilia quaestione C. Galbam sacerdotem et quatuor consulares L. Bestiam, C. Catonem, Sp. Albinum et L. Opimium, Gracchi interfectorem, Gracchani iudices sustulerunt.*

Atque Ellendt putat p. LXI., Memmium non solum Bestiam, sed una eadem lege Mamilia C. Galbam, L. Opimium, Sp. Albinum in iudicium vocavisse: hi enim omnes tunc damnabantur.

3. Dissuasio legis Serviliae.

Oratio dicta est a. 648 (106). Ellendt p. LXXIII. putat, C. Memmium dissuasisse legem iudiciariam Q. Servilii Caepionis consulis a. 648 (106), contraque orationem eius ea dicta esse, quae ex *Crassi oratione* pro lege Servilia ap. Cic. de Orat. 2, 59 et 66. leguntur. In eadem stat sententia Drumannus t. 4. p. 63.

4. Oratio pro se repetundarum.

Ea causa acta est a. 651 (103). Memmius post praeturam repetundarum postulatur, sed absolutus est. Valer. Max. 8, 5, 2. Cicero pro Fonteio 7, 14. In edit. priore fragmenta, quae sequuntur, huic orationi inserebam, sed nunc alii oratori, de quo infra dicemus, adscribenda puto.

Suetonius Vita Terentii c. 3. *Q. Memmius in oratione pro se ait: P. Africanus, qui a Terentio personam mutuatus, quae domi luserat ipse, nomine illius in scenam detulit.*

Priscianus t. 1. p. 372. *C. Memmius: Quam stulte conficta, quam aperte sunt ementita! ἐψευσμένα.*

XLVII. *M. Antonius.*

Natus a. 611 (143) vel secundum annales Clintonis a. 612 (142), triennio maior quam Crassus, qui C. Laelio et Caepione coss. a. 614 (140) natus est. Cic. Brut. 43. Quaesturam in Asia provincia gessit a. 641 (113). Praetor urbanus a. 650 (104), proconsul Ciliciae a. 651 (103). Consul a. 655 (99). Censor a. 657 (97). Interfectus iussu Marii Cinnaeque a. 667 (87). Vid. Drumann t. 1. p. 60.

Cicero Bruto 36. *Ego sic existimo, Antonium Crassumque oratores fuisse maximos, et in his primum cum graecorum gloria latine dicendi copiam aequatam. Omnia veniebant Antonio in mentem eaque suo quaeque loco, ubi plurimum proficere et valere possent, in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio. Verba ipsa non illa quidem elegantissimo sermone, sed in verbis et eligendis et collocandis et comprehensione devinciendis nihil non ad rationem et tamquam ad artem dirigebat, verum multo magis hoc idem in sententiarum ornamentis et conformationibus. Sed cum haec magna in Antonio, tum actio singularis, quae si partienda est in gestum atque vocem, gestus erat non verba exprimens sed cum sententiis congruens, manus, humeri, latera, supplosio pedis, status, incessus, omnisque motus; vox permanens, verum subrauca natura.* c. 44. *Antonii genus dicendi multo aptius iudiciis quam concionibus.*

Cicero de Oratore 3, 9, 32. *Videtisne, genus hoc quod sit Antonii? Forte, vehemens, commotum in agendo, praemunitum et ex omni parte causae saeptum, acre, acutum, enucleatum, in unaquaque re commorans, honeste cedens, acriter insequens,*

terrens, supplicans, summa orationis varietate, nulla nostrarum aurium satietate.

Velleius 2, 9. *Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Aemilianus Laeliusque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius, nec praetereundus Metellus Numidicus et Scaurus, et ante omnes L. Crassus et M. Antonius. Quorum aetati ingeniisque successere C. Caesar Strabo, P. Sulpicius.*

Valerius Max. 6, 8, 1. *M. Antonius avorum nostrorum temporibus clarissimus orator.*

Macrobius Saturnal. 5, 1. *Sunt stili dicendi duo dispari moralitate diversi, unus est maturus et gravis qualis Crasso assignatur, alter huic contrarius ardens et erectus et infensus, quali est usus Antonius.*

Diomedes p. 468. *Si in penultimo fuerit tribrachys vel dactilus, vel pyrrhichius, et successerit vel tribrachys vel pyrrhichius vel molossus vel anapaestus, erit structura, quae vel delumbis vel fluxa vel mollis dicitur. Qua usus dicitur Antonius maior.*

Antonius ipse nullas orationes edidisse traditur, sed nihilominus et a Cicerone et ab aliis velut exempla eloquentiae saepe laudantur: librarii enim eas aut integras aut ex parte memoriae tradiderant.

Cicero in Oratore c. 38. *Uterer exemplis domesticis, nisi ea legisses, uterer alienis vel latinis, si ulla reperirem. Sed Crassi perpauca sunt, nec ea iudiciorum, nihil Antonii, nihil Cottae, nihil Sulpicii.*

Cicero p. Cluentio 50. *Hominem ingeniosum M. Antonium aiunt solitum esse dicere, idcirco se nullam umquam orationem scripsisse, ut si quid aliquando, quod non opus esset, ab se esset dictum, posset se negare dixisse.*

Valerius Max. 7, 3, 5. *Antonius idcirco aiebat nullam orationem scripsisse, ut, si quid superiore iudicio actum ei, quem postea defensurus esset, nociturum foret, non dictum a se affirmare posset.*

Cic. Bruto 44. *Vellem aliquid Antonio praeter*

illum d e r a t i o n e d i c e n d i *sane exilem libellum libuisset scribere.*

1. Oratio pro se de incesto.

Causa virginum Vestalium acta est a. 640 (114) mense Decembre. Conf. Fasti Clintonis ad h. a. Aemilia, Licinia, Marcia, virgines Vestales cum stupri accusatae essent, Antonius quoque culpae reus esse tradebatur. Is autem iam e Roma profectus erat, ut in Asiam quaestor peteret, cum nuntium acciperet, ut incesti accusaretur. Revertitur, causam orat apud L. Cassium praetorem (extant denarii Cassii, memoriam huius causae repetentes: v. Eckhel D. N. t. 5. p. 166.) et absolvitur. Crassus, amicus eius, defensionem Liciniae virginis in eadem causa suscepit, ut infra dicemus.

Livius Epit. 63. *Aemilia, Licinia, Marcia, virgines Vestales incesti damnatae sunt, idque incestum quemadmodum et commissum et deprehensum et vindicatum sit, refertur.*

Valerius Max. 3, 7, 9. *M. Antonius ille disertus non respuendo, sed amplectendo causae dictionem, quam innocens esset, testatus est. Quaestor proficiscens in Asiam, Brundusium iam pervenerat, ubi literis certior factus, incesti se postulatum apud L. Cassium praetorem, cuius tribunal propter nimiam severitatem scopulus reorum dicebatur, cum id vitare beneficio legis Memmiae liceret, quae eorum, qui reipublicae causa abessent, recipi nomina vetabat, in urbem tamen recurrit. Quo tam pleno fiduciae bonae consilio cum absolutionem celerem, tum profectionem honestiorem consecutus est.*

proficiscens] Roma profectus est a. 640 (114) mense Decembre: anno enim 641 (113) quaesturam in Asia gessit.

Valer. Max. 6, 8, 1. *M. Antonius, avorum nostrorum temporibus clarissimus orator, incesti reus agebatur. Cuius in iudicio accusatores servum in*

quaestionem perseverantissime postulabant, quod ab eo, cum ad stuprum iret, laternam praelatam contenderent. — — — Sed plurimis laceratus verberibus eculeoque impositus — omnem vim accusationis custodita rei salute subvertit.

Asconius in Milonianam p. 46. *Quo tempore Sex. Peducaeus tribunus pl. criminatus est, L. Metellum pontificem maximum totumque collegium pontificum male iudicasse de incesto virginum Vestalium, quod unam modo Aemiliam damnaverat, absolverat autem duas, Marciam et Liciniam, populus L. Cassium creavit, qui de eisdem virginibus quaereret, isque et utrasque eas et praeterea complures alias nimia etiam, ut existimatio est, asperitate usus damnavit.*

Macrob. Saturnal. 1, 10. *Fenestella dicens Aemiliam virginem XV. Kal. Ianuar. esse damnatam — adiecit: Sequebantur eum diem Saturnalia. Mox ait: Postero autem die, qui fuit XIII. Kal. Ianuar. Liciniam virginem ut causam diceret iussam.*

Fenestella] ex Fenestellae loco elucet, causam virginum mense Decembre actam.

Orosius 5, 15. Dio Cassius Fragm. N. 91 et 92. (N. 220 in versione Tafelii.)

2. Oratio in Cn. Papirium Carbonem.

Ea causa acta dicitur a. 641 (113). Vid. Zumptii Annales. Quod falsum iudico: eo enim anno quaesturam in Asia provincia gessit, itaque anno 642 (112) eam assignandam opinor. Pighius Annal. t. 2. p. 118. annum 643 (111) significat.

Cn. Papirius Carbo Consul a. 641 (113) a Cimbris vincitur castrisque exuitur. Livius Epist. lib. 63. Quapropter Antonius maiestatis eum postulavit, et sumto atramento sutorio (Schusterschwärze oder Kupfervitriol) voluntaria morte a iudicio liberatus est. Cic. ad Famil. 9, 21, 3.

Appuleius Apologia p. 316. *Neque autem gloriae causa me accusat ut M. Antonius Cn. Carbonem, C. Iulius T. Albucium, P. Sulpicius C. Norbanum, L. Fufius Man. Aquilium, C. Curio Q. Metellum. Quippe homines eruditissimi iuvenes laudis gratia primum hoc rudimentum forensis operae subibant, ut aliquo insigni iudicio civibus suis noscerentur.*

C. Iulius] Beier ad Cic. de Off. 2, 14.
L. Fufius] Brutus Ciceronis c. 49 et 62.

Cicero de Officiis 2, 14. *Sed cum sint plura causarum genera, quae eloquentiam desiderent, multique in nostra repub. adolescentes et apud iudices et apud senatum dicendo laudem assecuti sint, maxima est admiratio in iudiciis, quorum ratio duplex est. Nam ex accusatione et defensione constat: quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persaepe est. Dixi paulo ante de Crasso, idem fecit adolescens M. Antonius. Etiam P. Sulpicii eloquentiam accusatio illustravit.*

3. Oratio in Sex. Titium tribunum pl.

Antonius consul a. 655 (99) contra Sex. Titium tribunum pl. egit. Cum tunc temporis optimates praevalerent, Sex. Titius tribunus pl., qui Appuleium Saturninum civem seditiosum imitabatur et lege agraria gratiam plebis captabat, ab Antonio consule in iudicium vocatus oppressus est.

Cicero de Orat. 2, 11, 48. *Testimonium saepe dicendum est ac nonnunquam etiam accuratius, ut mihi necesse fuit in Sex. Titium, seditiosum civem et turbulentum. Explicavi in eo testimonio dicendo omnia consilia consulatus mei, quibus illi tribuno plebis pro republica restitissem, quaeque ab eo contra rempl. facta arbitrarer, exposui. Diu retentus sum, multa audivi, multa respondi.* Cic. p. Rabirio perduell. 9. Val. Max. 8, 1. damn. 3.

4. Oratio pro Manio Aquillio contra L. Fufium.

Ea est habita a. 656 (98). Vid. Clinton Fasti. Ellendt p. LXIV. in ipso Antonii consulatu a. 655 (99) actam putat causam. Manius Aquillius, qui consul fuit a. 653 (101) et proconsul in Sicilia bellum servile a. 655 (99) confecit, a L. Fufio (Cic. Brut. 62. de Offic. 2, 14. Appuleius Apolog. p. 316.) repetundarum accusatus et ab Antonio defensus est. Actio celeberrima: nam Antonius solus Man. Aquillium servavit: nec enim erat innocens.

Livius Epit. 70. *Cum Manius Aquillius de pecuniis repetundis causam diceret, ipse iudices rogare noluit. M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam a pectore eius discidit, ut honestas cicatrices ostenderet, quibus conspectis indubitanter absolutus est. Cicero eius rei solus auctor.*

Cicero p. Flacco c. 39. *Manium Aquillium patres nostri multis avaritiae criminibus testimoniisque convictum, quia cum fugitivis fortiter bellum gesserat, iudicio liberaverunt.*

Cicero de Oratore 2, 28, 124. *Quod enim ornamentum, quae vis, qui animus, quae dignitas illi oratori defuit, qui in causa peroranda non dubitavit excitare reum consularem et eius diloricare tunicam et iudicibus cicatrices adversas senis imperatoris ostendere?*

reum] Manium Aquillium.

ibid. c. 47. *Nolite existimare me ipsum, qui non heroum veteres casus fictosque luctus velim imitari atque adumbrare dicendo, nec actor sim alienae personae, sed auctor meae, cum mihi Man. Aquillius in civitate retinendus esset, quae in illa causa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse. Quem enim ego consulem fuisse, imperatorem ornatum a senatu ovantem in Capitolium ascendisse meminissem: hunc cum afflictum, debilitatum, moerentem, in sum-*

mum discrimen adductum viderem, non prius sum conatus misericordiam aliis commovere quam misericordia sum ipse captus. Sensi equidem, tum magnopere moveri iudices, cum excitavi moestum ac sordidatum senem et cum ista feci, quae tu, Crasse, laudas, non arte, sed motu magno animi ac dolore, ut discinderem tunicam, ut cicatrices ostenderem. Cum C. Marius moerorem orationis meae praesens ac sedens multum lacrimis suis adiuvaret, cumque ego, crebro illum appellans, collegam ei suum commendarem atque ipsum advocatum ad communem imperatorum fortunam defendendam invocarem: non fuit haec sine meis lacrimis, non sine dolore magno miseratio omniumque deorum et hominum et civium et sociorum imploratio.

ibid. 2, 40. *Argumenta ducuntur ex parte ea, quae est subiecta generi: Si omnes, qui reipublicae consulunt, cari nobis esse debent, certe in primis imperatores, quorum consiliis virtute periculis retinemus et nostram salutem et imperii dignitatem.*

imperatores] id Antonius de Manio Aquillio imperatore dixit.

Cic. Verrin. lib. 5, c. 1. *Venit mihi in mentem, in iudicio Manii Aquillii quantum auctoritatis, quantum momenti oratio M. Antonii habuisse existimata sit: qui, ut erat in dicendo non solum sapiens, sed etiam fortis, causa prope perorata ipse arripuit Man. Aquillium constituitque in conspectu omnium, tunicamque eius a pectore abscidit, ut cicatrices populus romanus iudicesque adspicerent, adverso corpore exceptas. Simul et de illo vulnere, quod ille in capite ab hostium duce acceperat, multa dixit eoque adduxit eos, qui erant iudicaturi, vehementer ut vererentur, ne, quem virum fortuna ex hostium telis eripuisset, cum sibi ipse non pepercisset, hic non ad populi romani laudem, sed ad iudicum crudelitatem videretur esse servatus.*

Quintil. 2, 15, 7. *Nam et Man. Aquillium defen-*

dens Antonius, cum scissa veste cicatrices, quas is pro patria pectore adverso suscepisset, ostendit, non orationis habuit fiduciam, sed oculis populi rom. vim attulit, quem illo ipso aspectu maxime motum in hoc, ut absolveret reum, creditum est.

5. Oratio pro se de ambitu contra M. Duronium.

Ea dicta est a. 657 (97). Cum M. Antonius et L. Flaccus censores a. 657 (97) Duronium senatu movissent, quod legem de coercendis conviviorum sumtibus latam tribunus plebis a. 656 (98) abrogaverat: iratus Antonium de ambitu in petitione censurae reum fecit, sed frustra. Fasti enim non indicant, eum munus deposuisse. Turnebus existimat, in hac causa testimonium contra Antonium dixisse C. Coelium Caldum, eiusque rei fieri mentionem apud Cic. de Orat. l. 2, 64, 257. *In Coelio sane etiam ad causam utile fuit tuum illud, Antoni, cum ille a se pecuniam profectam diceret testis et haberet filium delicatiorem, abeunte iam illo: Sentin' senem esse tactum triginta minis.* Valer. Max. 2, 9, 5. Cicero de Orat. 2, 68, 274. Ioannes Sarcsberiensis De Nug. Cur. VIII. 9. Drumannus t. 1. p. 62.

6. Oratio pro C. Norbano contra P. Sulpicium Rufum.

Ea habita est a. 660 (94). C. Norbanus tribunus pl. a. 659 (95), homo seditiosus, Q. Servilium Caepionem maiestatis accusaverat propter pecunias in consulatu a. 648 (106) Tolosae direptas et propter cladem Cimbricam, quam temeritate sua a. 649 (105) expertus erat, eoque perduxit rem, ut invito senatu reus Smyrnam in exilium cederet. Cum autem in ea causa magna esset orta seditio, cuius auctor fuerat Norbanus, a P. Sulpicio Rufo lege Appuleia de maiestate postulatus est a. 660 (94). Antonius eum defendit, et iudices absolverunt. Vid. Henrichsen ad Cic. lib. de Orat. 2, 47,

197. Drumann t. 4. p. 50. Conf. Oratt. *P. Sulpicii Rufi.*

Argumentum orationis suae Antonius exponit in Cic. lib. de Orat. 2, 48, 199. *Omnium seditionum genera, vitia, pericula collegi eamque orationem ex omni reip. nostrae temporum varietate repetivi, conclusique ita, ut dicerem, etsi omnes molestae semper seditiones fuissent, iustas tamen fuisse nonnullas et prope necessarias. Tum illa, quae modo Crassus commemorabat, egi, neque reges ex hac civitate exigi neque tribunos pl. creari, neque plebiscitis toties consularem potestatem minui, nec provocationem, patronam illam civitatis ac vindicem libertatis, populo romano dari sine nobilium dissensione potuisse, ac si illae seditiones saluti huic civitati fuissent, non continuo, si qui motus populi factus esset, id C. Norbano in nefario crimine atque in fraude capitali esse ponendum. Quod si umquam populo romano concessum esset, ut iure concitatus videretur, id quod docebam saepe esse concessum, nullam illa causam iustiorem fuisse. Tum omnem orationem traduxi et converti in increpandam Caepionis fugam, in deplorandum interitum exercitus; sic et eorum dolorem, qui lugebant suos, oratione refricabam et animos equitum romanorum, apud quos tum iudices causa agebatur, ad Q. Caepionis odium, a quo erant ipsi propter iudicia abalienati, renovabam.* c. 49. *Quod ubi sensi me in possessione iudicii ac defensionis meae constitisse, quod et populi benevolentiam mihi conciliaram, cuius ius etiam cum seditionis coniunctione defenderam, et iudicum animos totos vel calamitate civitatis vel luctu ac desiderio propinquorum vel odio proprio in Caepionem ad causam nostram converteram: tunc admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci genus illud alterum, de quo ante disputavi, lenitatis et mansuetudinis coepi; me pro meo sodali, qui mihi in liberum loco more maiorum esse deberet, et pro mea omni fama*

prope fortunisque decernere; nihil mihi ad existimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere posse. quam si is, qui saepe alienissimis a me, sed meis tamen civibus saluti existimarer fuisse, sodali meo auxilium ferre non potuissem. Petebam a iudicibus, ut illud aetati meae, ut honoribus, ut rebus gestis, si iusto, si pio dolore me esse affectum viderent, concederent; praesertim si in aliis causis intellexissent, omnia me semper pro amicorum periculis, nihil umquam pro me ipso deprecatum.

Cic. de Orat. 2, 25. *Iam quid vocetur, quaeritur, cum, quo verbo quid appellandum sit, contenditur, ut mihi ipsi cum hoc Sulpicio fuit in Norbani causa summa contentio. Pleraque enim de iis, quae ab isto obiiciebantur, cum confiterer, tamen ab illo maiestatem minutam negabam: ex quo verbo lege Appuleia tota illa causa pendebat. — Praecipit ratio ac doctrina, ut vis eius rei, quam definias, sic exprimatur, ut neque absit quidquam neque supersit. Quod quidem in illa causa nec Sulpicius fecit nec ego facere conatus sum. Nam quantum uterque nostrum potuit, omni copia dicendi dilatavit, quid esset maiestatem minuere.*

ibid. 2, 40, 167. *Ex genere argumenta ducuntur: Si magistratus in populi romani potestate esse debent, quid Norbanum accusas, cuius tribunatus voluntati paruit civitatis?*

ibid. 2, 39, 164. *Si res tota quaeritur, definitione universa explicanda est sic: Si maiestas est amplitudo ac dignitas civitatis, is eam minuit, qui exercitum hostibus populi romani tradidit, non qui eum, qui id fecisset, populi romani potestati tradidit.*

ibid. 2, 47. *Quamquam te quidem quid hoc doceam, qui in accusando sodali meo tantum incendium non oratione solum, sed multo etiam magis vi et dolore et ardore animi concitaras, ut ego ad id restinguendum vix conarer accedere? habueras enim*

tu omnia in causa superiora, vim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribunitiam in Caepionis gravi miserabilique casu in iudicium vocabas, deinde principem et senatus et civitatis, M. Aemilium, lapide percussum esse constabat, vi pulsum ex templo L. Cottam et T. Didium, cum intercedere vellent rogationi, nemo poterat negare.

M. Aemilium] M. Aemilius Scaurus in causa Norbani testimonium contra eum dixit. Conf. Valer. Max. 8, 5, 2.

In eadem causa fortunam Cn. Manlii et Q. Marcii Regis deploravisse Antonium, Cicero testatur de Orat. 2, 28, 125. Eos enim itidem Caepionis culpa a Cimbris devictos et occisos fortasse opinor. In alia sententia stat Ellendt p. LXV. et ad Cic. de Orat. 2, 28, 125. qui putat, Mallium et Marcium ob eandem cladem Cimbricam accusatos et ab Antonio defensos.

7. Oratio pro se lege Varia.

Ea dicta est a. 664 (90). Italico bello exorto, cum ob sociis negatam civitatem nobilitas in invidia esset, Q. Varius tribunus pl. legem tulit, ut quaereretur de iis, quorum ope consiliove socii contra populum romanum arma sumsissent. Asconius in Scaurianam p. 22. Henrichsen ad Cic. de Orat. 1, 25, 117. Atque multi nobiles ea lege in iudicium vocati sunt, inter quos M. Aemilius Scaurus, C. Aurelius Cotta, Q. Pompeius Rufus et M. Antonius.

Cic. Tuscul. 2, 24. *Quid? qui volunt exclamare maius, num satis habent latera, fauces, linguam intendere, e quibus eiici vocem et fundi videmus? Toto corpore atque omnibus ungulis, ut dicitur, contentioni vocis asserviunt. Genu mehercule M. Antonium vidi, cum contente pro se ipse lege Varia diceret, terram tangere.*

8. Oratio pro M. Mario Gratidiano.

Quo anno haec causa privata acta sit, nescio.

Cic. de Offic. 3, 16, 67. *M. Marius Gratidianus propinquus noster C. Sergio Oratae vendiderat aedes eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Eae serviebant, sed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in iudicium est. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. Ius Crassus urgebat, quod vitii venditor non dixisset sciens id oportere praestari, aequitatem Antonius, quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas aedes vendidisset, nihil fuisse necesse dici, nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo iure esset, teneret.*

M. Marius] v. Drumann t. 5. p. 211.
C. Sergio Oratae] v. Valer. Max. 9, 1, 1.

9. Oratio apud centumviros contra fratres Cossos.

Causa privata.

Cicero de Orat. 2, 23, 98. *Curio verborum gravitate et elegantia et copia suam quandam expressit quasi formam figuramque dicendi, quod ego maxime potui iudicare in ea causa, quam ille contra me* (Antonius loquitur) *apud centumviros pro fratribus Cossis dixit, in qua nihil illi defuit, quod non modo copiosus, sed etiam sapiens orator habere deberet.*

Curio] C. Scribonius Curio filius, de quo infra dicemus.
Cossis] Qui fuerint hi Cornelii Cossi (genti enim Corneliae Cossos adnumerandos docet Eckhel D. N. T 5. p. 186), parum constat.

XLVIII. *L. Licinius Crassus.*

Natus est a. 614 (140). Cic. Brut. c. 43. Tribunus pl. a. 647 (107), aedilis curulis a. 651 (103), praetor a. 655 (99). Consul a. 659 (95), censor a. 662 (92). Mortuus est a. 663 (91). Vid. Drumann t. 4. p. 62.

Eius magister dicendi erat Coelius Antipater. Cic. Brut. 26, 102. *L. Coelius Antipater scriptor fuit ut temporibus illis luculentus, iuris valde peritus, multorum etiam ut L. Crassi magister.*

Cicero Bruto c. 36. *Ego sic existimo, Antonium Crassumque oratores fuisse maximos, et in his primum cum graecorum gloria latine dicendi copiam aequatam.* c. 38. *Erat* (in Crasso) *summa gravitas, erat cum gravitate iunctus facetiarum et urbanitatis oratorius, non scurrilis lepos, latine loquendi accurata et sine molestia diligens elegantia, in disserendo mira explicatio; cum de iure civili, cum de aequo et bono disputaretur, argumentorum et similitudinum copia.* c. 39. *Nam ut Antonius coniectura movenda aut sedanda suspicione aut excitanda incredibilem vim habebat, sic in interpretando, in definiendo, in explicanda aequitate nihil erat Crasso copiosius.* c. 43. *Paratus veniebat Crassus, expectabatur, audiebatur. a principio statim, quod erat apud eum semper accuratum, expectatione dignus videbatur, non multa iactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra supplosio pedis; vehemens et interdum irata et plena iusti doloris oratio, multae et cum gravitate facetiae; quodque difficile est, idem et perornatus et perbrevis. Iam in altercando invenit parem neminem. Versatus est in omni fere genere causarum, mature in locum principum oratorum venit.* c. 44. *In omnibus orationibus Crassi inest quidam sine ullo fuco veritatis color, quinetiam comprehensio et ambitus ille verborum erat apud illum contractus et brevis, et in membra quaedam, quae κῶλα graeci vocant, dispertiebat orationem lubentius. Vellem plura Crasso libuisset scribere. — Fuit in hoc etiam popularis dictio excellens, Antonii genus dicendi multo aptius iudiciis quam concionibus.*

popularis dictio] in concionibus quoque excellebat, Antonius vero non tam in concionali genere quam in iudiciali praestitit.

ibid. c. 86. *Venio ad eos, in quibus iam perfectam putas esse eloquentiam, quos ego audivi sine controversia magnos oratores Crassum et Antonium. De horum laudibus tibi prorsus assentior, sed tamen*

non isto modo, ut Polycleti Doryphorum sibi Lysippus aiebat, sic tu suasionem legis Serviliae tibi magistram fuisse: haec germana ironia est.

ibid. c. 97, 333. *Nonne cernimus, vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles constitisse? Galba fuit inter tot aequales unus excellens, Lepidus postea, deinde Carbo, Antonius, Crassus.*

Velleius 2, 9. *Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Aemilianus Laeliusque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius, nec praetereundus Metellus Numidicus et Scaurus, et ante omnes L. Crassus et M. Antonius, quorum aetati ingeniisque successere C. Caesar Strabo, P. Sulpicius.*

Taciti Dial. de Oratt. 18. *Agere enim fortius iam et audentius volo, si illud ante praedixero, mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi, sic Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior, sic Graccho politior et ornatior Crassus, sic utroque distinctior et urbanior et altior Cicero.*

Seneca Epist. 114. *Multi ex alieno seculo petunt verba, duodecim tabulas loquuntur, Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt, ad Appium usque et ad Coruncanium redeunt.*

Quintil. 12, 10, 10. *In oratione si species intueri velis, totidem pene reperias ingeniorum quot corporum formas, sed fuere quaedam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam iam ingenii vim prae se ferentia, hinc sint Laelii, Africani, Catones etiam Gracchique. Mediam illam formam teneant L. Crassus, Q. Hortensius. tum deinde efflorescat non multum inter se distantium tempore oratorum ingens provèntus; at M. Tullium habemus in omnibus, quae in quoque laudantur, eminentissimum.*

ibid. 12, 11, 27. *Quin imo si hanc cogitationem homines habuissent, ut nemo se meliorem fere eo, qui optimus fuisset, arbitraretur, hi ipsi, qui sunt optimi, non fuissent: nec post Lucretium et Macrum*

Virgilius, nec post Crassum et Hortensium Cicero, sed nec illi, qui post eos fuerunt.

Macrobius Saturnal. 5, 1. *Sunt stili dicendi duo, dispare moralitate diversi, unus est maturus et gravis, qualis Crasso assignatur, alter huic contrarius ardens et erectus et infensus, quali est usus Antonius.*

Crassus multas orationes dixit, paucas edidit, et fragmenta pene cuncta ex orationibus senatoriis vel concionibus, non ex actionibus iudiciariis sumta. Laus eius maior, quam Antonii, et memoria apud posteros celebrior.

Cicero in Oratore c. 38. *Uterer exemplis domesticis, nisi ea legisses, uterer alienis vel latinis, si ulla reperirem, vel graecis, si deceret. Sed Crassi perpauca sunt, nec ea iudiciorum; nihil Antonii, nihil Cottae, nihil Sulpicii.*

exemplis domesticis] i. e. exemplis ex meis orationibus petitis.
alienis] i. e. exemplis aliorum oratorum vel latinorum vel graecorum.
Cottae] C. Aurelius Cotta, de quo infra erit sermo.
Sulpicii] P. Sulpicius Rufus.

1. Oratio in C. Papirium Carbonem.

Ea dicta est a. 635 (119). C. Papirius Carbo, homo popularis, optimatium adeo adversarius et inimicus fuit, ut a. 625 (129) P. Scipionis Africani minoris interfector esse crederetur. Cic. ad Famil. 9, 21. Cum vero deinde consulatum adeptus esset a. 634 (120), a plebe ad optimates transire cupiebat, et, ut gratiam eorum captaret, defensionem L. Opimii, interfectoris Gracchi, suscepit. Sed frustra. Optimates enim iniurias ulcisci studebant cumque L. Crassus adolescens in ius vocavit. Cicero auctor est, voluntaria eum morte poenam effugisse, Valerius autem Maximus 3, 7, 6, scribit, exilio damnatum esse. Cicero scribit, Crassum anno aetatis vicesimo uno accusavisse Carbonem, Tacitus in Dialogo de Orator. c. 34. nonodecimo. Sed Ciceronis opinionem veram et rationi annorum magis consentaneam esse,

docuere Pighius t. 3. p. 80. Beier ad Cic. de Off. 2, 13., Ellendt p. LXXI. Weichert de Calvo p. 109. Clinton in Fastis ad a. 635.

Cic. de Oratore 3, 20, 74. *Omnium maturrime ad publicas causas accessi, annosque natus unum et viginti nobilissimum hominem et eloquentissimum in iudicium vocavi.*

Cic. Brut. 43. (Crassus) *accusavit C. Carbonem eloquentissimum hominem admodum adolescens, summam ingenii non laudem modo, sed etiam admirationem est consecutus.*

Tacitus de Oratoribus 34. *Nonodecimo aetatis anno L. Crassus Gaium Carbonem, uno et vicesimo Caesar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio Gaium Catonem, non multo aetate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus.*

Cic. de Offic. 2, 13, 47. *L. Crassus, cum esset admodum adolescens, non aliunde mutuatus est, sed sibi ipse peperit maximam laudem ex illa accusatione nobili et gloriosa, et qua aetate qui exercentur, laude affici solent, ut Demosthenem accepimus, ea aetate L. Crassus ostendit, id se in foro optime iam facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari.*

L. Crassus] v. Ruhnkenius in Rutil. Lup. p. 108.

Cic. de Orat. 1, 10. *Carbonem adolescentulus perculisti.*

perculisti] i. e. damnasti. Iam ex vi huius vocis vere colligit Clinton in Fastis ad a. 635., Carbonem non anno 633 (121) id est, anno ante quam consul factus est, sed post consulatum a. 635 (119) a Crasso reum factum. Si enim Crassus iam a. 633. Carbonem perculisset, is certe a. 634. consulatum non obtinuisset.

Cic. Brut. 27, 103. *Carbo propter perpetuam in populari ratione levitatem morte voluntaria se a severitate iudicum vindicavit.*

morte voluntaria] intellexit enim, se cunctis suffragiis damnatum iri. Sed Crassum ob hunc exitum accusationis suae poenitebat, ut Cicero tradidit in Verrinis. 3. 1. *Hoc ex homine clarissimo atque*

eloquentissimo L. Crasso saepe auditum est, cum se nullius rei tam poenitere diceret, quam quod C. Carbonem umquam in iudicium vocavisset. Conf. Val. Max. 6, 5, 6.

Cic. de Orat. 2, 40, 170. *Ex consentaneis et praecurrentibus et repugnantibus argumenta ducuntur, ut olim Crassus adolescens: Non si Opimium defendisti, Carbo, idcirco te isti bonum civem putabunt. Simulasse te et aliquid quaesisse perspicuum est, quod Ti. Gracchi mortem saepe in concionibus deplorasti, quod P. Africani necis socius fuisti, quod eam legem in tribunatu tulisti, quod semper a bonis dissedisti.*

eam legem] *Ea lex non est talis s. tam perniciosa reipublicae, sed omnibus nota illa.* Ellendt. Intelligitur enim lex Papiria de tribunis pl. reficiundis. Vid. *Carbonis Oratio.* p. 212.

2. Oratio de colonia Narbonensi.

Ea habita est a. 636 (118). Cum lex ferretur, ut nova colonia in Galliam deduceretur, senatus eam dissuasit, ne aerarium reditibus ex agro publico privaretur, ut Ellendt scribit ad Cic. de Orat. 2, 55, 223. Crassus autem legem popularem suasit, ut agro assignato paupertati civium subveniretur, contraque senatum multa et acerba dixit. Conf. Madwig Opusc. p. 290. Cum vero postea orationem habuisset, in qua summis senatum ornaverat laudibus, id Bruto veteratori occasionem dedit ipsum perstringendi et lacessendi, ut qui nunc pro senatu, nunc contra eum staret.

Velleius 1, 15. *Narbo Martius in Gallia Porcio Marcioque coss. abhinc annos circiter CLIII. deducta colonia est.*

Porcio Marcioque coss.] a. u. 636 (118).

Cicero Bruto 43. *Voluit Crassus adolescens in colonia Narbonensi causae popularis aliquid attingere, eamque coloniam, ut fecit, ipse deducere. Extat in*

eam legem senior, ut ita dicam, quam aetas illa ferebat, oratio.

adolescens] tum erat annos viginti et duos natus

Cic. p. Cluentio c. 51. *Ego vero in isto genere lubentius cum multorum tum hominis eloquentissimi et sapientissimi, L. Crassi, auctoritatem sequor, qui cum Cn. Plancum defenderet accusante M. Bruto, homine in dicendo vehementi et callido, cum Brutus duobus recitatoribus constitutis ex duabus eius orationibus capita alterna inter se contraria recitanda curasset: quod in dissuasione rogationis eius, quae contra coloniam Narbonensem ferebatur, quantum potest, de auctoritate senatus detrahit, in suasione legis Serviliae summis ornat senatum laudibus, et multa in equites romanos cum ex ea oratione asperius dicta recitasset, quo animi illorum iudicum in Crassum incenderentur: aliquantum esse commotus dicitur.*

Cic. de Orat. 2, 55. *Cum Brutus duos lectores excitasset, et alteri de colonia Narbonensi Crassi orationem legendam dedisset, alteri de lege Servilia, et cum contraria inter sese de republica capita contulisset, noster hic* (Crassus) *facetissime tres patris Bruti de iure civili libellos tribus legendos dedit.*

Quintil. 6, 3, 44. *Cum Brutus in accusatione Cn. Planci ex duobus lectoribus ostendisset, contraria L. Crassum patronum eius in oratione, quam de colonia Narbonensi habuerat, suasisse iis, quae de lege Servilia dixerat: tres excitavit et ipse lectores, hisque patris eius dialogos dedit legendos.*

Cic. de Officiis 2, 18, 63. *Haec benignitas etiam rei publicae est utilis, redimi e servitute captos, locupletari tenuiores, quod quidem vulgo solitum fieri ab ordine nostro in oratione Crassi scriptum copiose videmus.*

in oratione Crassi] huic orationi vindicavit Ellendt p. LXXIII.

ab ordine nostro] i. e. senatorio. Conf. *P. Sulpicii Rufi Oratt.*

locupletari tenuiores] Crassus exemplis probavit, senatum saepe agris assignandis, coloniis deducendis inopiam civium sublevasse.

3. Oratio pro Licinia virgine Vestali.

Ea causa habita est a. 640 (114) mense Decembre. Vid. Clinton Fasti. Drumann t. 4. p. 59. Tres virgines Vestales anno 640 (114) incestus atque stupri arguuntur. L. Caecilius Metellus pontifex maximus totumque Collegium pontificum unam Aemiliam damnat, duas absolvit. Sed cum Sex. Peducaeus tribunus pl. in concione questus esset, Metellum ceterosque pontifices male et improbe in ea causa iudicasse, populo persuasit, ut iterum haec causa ageretur et L. Cassius iudex crearetur, cui cognomen *scopuli reorum* inditum erat. Cassius damnat et Liciniam et Marciam, et frustra Crassus defensionem Liciniae susceperat. Antonium quoque oratorem huius criminis participem fuisse, supra vidimus pag. 282.

Livius Epit. 63. *Aemilia, Licinia, Marcia virgines Vestales, incesti damnatae sunt, idque incestum quemadmodum et commissum et deprehensum et vindicatum sit, refertur.*

Macrob. Saturn. 1, 10. *Fenestella dicens Aemiliam virginem XV Kal. Ianuar. esse damnatam — deinde adiecit: „Sequebantur eum diem Saturnalia.“ Mox ait, postero autem die, qui fuit XIII Kal. Ian. Liciniam virginem, ut causam diceret, iussam.*

Iul. Obsequens c. 97. *Tres uno tempore virgines Vestales nobilissimae cum aliquot equitibus romanis incesti poenas subierant.*

Asconius in Milonianam p. 46. *Quo tempore Sex. Peducaeus tribunus pl. criminatus est, L. Metellum pontificem max. totumque collegium pontificum male iudicasse de incesto virginum Vestalium, quod unam modo Aemiliam damnaverat, absolverat autem duas, Marciam et Liciniam: populus L. Cassium creavit, qui de eisdem virginibus quaereret, isque et utrasque eas et praeterea complures alias nimia etiam, ut existimatio est, asperitate usus damnavit.*

Conf. Dio Cassius Fragment. 92. Orosius 5, 15. Plutarchus Quaest. Roman. p. 360. ed. Hutten. *(Notemus Plutarchi errorem, qui quamvis damnatarum nomina Aemiliam, Marciam, Liciniam habeat, tamen rem ad Punica tempora refert.* Ellendt p. LXXI.)

Cic. Brut. 43. *Defendit Crassus Liciniam Virginem, cum annos viginti et septem natus esset; in ea ipsa causa fuit eloquentissimus, orationisque eius scriptas quasdem partes reliquit.*

4. Suasio legis Serviliae.

Ea oratio dicta est a. 648 (106). Q. Servilius Caepio consul a. 648 (106) legem iudiciariam tulit, qua iudicia, quae penes equestrem ordinem erant, senatoribus restituerentur. Crassus eam suasit, et Caepio inde patronus senatus appellabatur. Cic. de Invent. 1, 49. Tacit. Annal. 12, 60. Drumann t. 2, p. 490. Baiter in Indice legum Tulliano s. v. *lex Servilia.* Sed non diu ea mansit valuitque lex: nam duobus fere annis post, anno circiter 650 (104) C. Servilius Glaucia legem promulgavit, qua iudicia senatoribus denuo erepta, equitibusque reddita sunt. Cic. p. Scaur. init. Cic. Brut. 62. Drumann t. 2. p. 489. Extabant igitur duae leges Serviliae iudiciariae, altera, a Q. Servilio Caepione consule, altera, a C. Servilio Glaucia tribuno pl. lata. Caepio et Crassus eam, de qua hoc loco dicimus, legem suasere.

Cic. Brut. 43. *Eo* (Q. Mucio Scaevola) *in rostris sedente suasit Serviliam legem Crassus. — Sed haec Crassi cum edita oratio est, quam te saepe legisse certo scio, quattuor et triginta tum habebat annos, totidemque annis mihi aetate praestabat. iis enim consulibus eam legem suasit, quibus nati sumus.* c. 44. *Mihi quidem a pueritia quasi magistra fuit illa in legem Caepionis oratio, in qua et auctoritas ornatur senatus, quo pro ordine illa dicuntur, et invidia concitatur in iudicum et in accusatorum*

factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit. Multa in illa oratione graviter, multa leniter, multa aspere, multa facete dicta sunt, plura etiam dicta quam scripta, quod ex quibusdam capitibus expositis nec explicatis intelligi potest.

in rostris sedente] i. e. cum tribunus pl. erat.
in legem Caepionis] i. e. de lege Caepionis.
expositis] oratio non integra extabat, sed pars quaedam breviter exposita, non oratorie explicata erat.

ibid. c. 86. *Venio ad Crassum et Antonium. de horum laudibus tibi prorsus assentior, sed tamen non isto modo, ut Polycleti Doryphorum sibi Lysippus aiebat, sic tu suasionem legis Serviliae tibi magistram fuisse. haec germana ironia est.*

Cic. de Orat. 1, 52. *Illa, quae dicenda de iustitia putabat* (Plato), *a vitae consuetudine et a civitatum moribus abhorrebant. Quod si ea probarentur in populis atque in civitatibus, quis tibi, Crasse, concessisset, clarissimo viro et amplissimo principi civitatis, ut illa diceres in maxima concione tuorum civium, quae dixisti? „Eripite nos ex miseriis, eripite ex faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri, nolite sinere nos cuiquam servire, nisi vobis universis, quibus et possumus et debemus.“* —

eripite] invehitur in iudicia ordinis equestris.
faucibus] iudicia equestria, a Caio Gracco primum lege constituta, favebant in multis causis hominibus popularibus, vexabantque optimates atque senatores. Inde multae discordiae civiles turbaeque intestinae, hinc causa celeberrima P. Rutilii Rufi, de qua supra diximus p. 266.
nisi vobis] senatus enim toti populo romano subiectus est nec factioni cuidam obedire potest et debet.

Paradox. 5, 3. *Quid valet igitur illa eloquentissimi viri L. Crassi copiosa magis quam sapiens oratio? „Eripite nos ex servitute! Nolite sinere nos cuiquam servire nisi vobis universis, quibus et possumus et debemus.“* —

Auctor ad Herennium 4, 3, 5. *Ponimus hoc exemplum a Crasso „quibus possumus et debemus."*

Orator c. 65. *Apud Crassum: Nam ubi libido dominatur, innocentiae leve praesidium est."*

Apud Crassum] id fragmentom ex suasione legis Serviliae petitum videtur, et quidem ex ea oratioois parte, qua equitibus romanis iram et libidinem, quam in causis diiudicaodis prae se ferre solebant, obiicit.

Quintil. 9, 4, 109. Optime est sibi iunctus anapaestus, ut qui sit pentametri finis vel rhythmus, qui nomen ab eo traxit: *Nam ubi libido dominatur, innocentiae leve praesidium est.*

Priscian t. 1. p. 411. *L. Crassus in legis Serviliae suasione: Neque me minus vestri quam mei miserebitur.*

vestri] ad populom eouvertit sermooem.

Eiusdem orationis de lege Servilia fit mentio ap. Cic. de Orat. 2, 55. p. Cluent. 51. Quintil. 6, 3, 44.

Fortasse etiam ea, quae de Oratore 2, 59 et 66 leguntur, et adversus Memmium dicta sunt, ex eadem oratione sumta arbitratur Ellendt p. LXXIII, cum Memmius legis Serviliae dissuasor fuisset. Nec aliter iudicat Drumann t. 4, p. 63. De C. Memmio supra diximus p. 277., sed unde constet, eum contra eam legem dixisse, nescio.

Cic. de Orat. 2, 66, 267. *Etiam illa, quae minuendi aut augendi causa ad incredibilem admirationem efferuntur, velut tu, Crasse, in concione: ita sibi ipsum magnum videri Memmium, ut in forum descendens caput ad fornicem Fabianum demitteret.*

fornicem Fabianum] Bonsen Beschreibuog der Stadt Rom T. III. P. 2. p. 54. docet, arcum sive foroieem Fabianum io via sacra fuisse, per eumque homioes iu forum desceodisse. Sic enim scribit: Auf eine Verbindung (des arcos Fabianus) mit dem Clivus deutet auch der Witz des Redners Crassus. Dieser sagte eiomal in einer Rede, um den hochfahrenden Memmius lächerlich zo

machen „er dünkt sich so gross, dass wenn er ins Forum herab steigt, er beim Fabianischen Bogen den Kopf duckt."

caput — demitteret] *de homine vano: mirum Quintiliano* 6, 3, 67 *de praelongo dictum videri.* Ellendt. Quintilianus enim scribit. *refert Cicero de homine praelongo, caput eum ad fornicem Fabium offendisse.*

Cic. de Orat. 2, 59, 240. *Duo sunt genera facetiarum, quarum alterum re tractatur, alterum dicto. Re, si quando quid tanquam aliqua fabella narratur, ut olim tu, Crasse, in Memmium, comedisse eum lacertum Largii, cum esset cum eo Terracinae de amicula rixatus. Salsa ac tamen a te ipso ficta tota narratio. Addidisti clausulam, tota Terracina tum omnibus in parietibus inscriptas fuisse literas LLLMM. Cum quaereres id quid esset, senem tibi quendam oppidanum dixisse: lacerat lacertum Largi mordax Memmius.*

5. Oratio pro C. Aculeone.

Ea causa acta est a. 657 (97), quo anno M. Perperna praeturam urbanam gessit. Gratidianus reum fecerat Aculeonem equitem romanum. (Cic. de Orat. 1, 43. 2, 1.) Gratidiani patronus L. Aelius Lamia, Aculeonis Crassus.

Cic. de Orat. 2, 65. *Invertuntur verba, ut Crassus apud M. Perpernam iudicem pro Aculeone cum diceret, aderat contra Aculeonem Gratidiano L. Aelius Lamia, deformis ut nostis; qui cum interpellaret odiose, Audiamus, inquit, pulcellum puerum, Crassus. Cum esset adrisum: Non potui mihi, inquit Lamia, formam ipse fingere, ingenium potui. Tum hic, Audiamus, inquit, disertum. Multo etiam adrisum est vehementius.*

6. Oratio pro Q. Servilio Caepione contra C. Norbanum.

Ea est habita a. 659 (95). Q. Servilius Caepio, qui a. 648 (106) consul Tolosae, oppido Galliae, mag-

nas pecunias rapuerat, et a. 649 (105) a Cimbris cladem acceperat, et praeterea plebi ob legem iudiciariam, a. 648 (106) latam, invisus erat, a C. Norbano tribuno pl. a. 659 (95) maiestatis postulatus et in exilium missus est. L. Crassus, qui Caepionem antea in roganda lege iudiciaria adiuverat, ut supra vidimus p. 299., in hoc quoque periculo, etsi frustra, eum defendit.

Cic. Bruto 44. *Est etiam L. Crassi in consulatu pro Q. Caepione defensione iuncta; non brevis, ut laudatio, ut oratio autem, brevis.*

est etiam] int. oratio. In *defensione iuncta* latet vitium.

7. Oratio pro Manio Curio apud centumviros contra Q. Mucium Scaevolam.

Haec causa hereditaria est acta a. 661 (93), quo anno T. Manilius praetor iurisdictioni urbanae praeerat. Lis erat inter Manium Curium et M. Coponium. Crassus Curii patronus erat, Q. Mucius Scaevola pontifex maximus Coponio aderat.

Boethius Commentar. in Cic. Topica l. 4. p. 341. ed Orell. *Causa Curiana fuit huiusmodi. Quidam praegnantem uxorem relinquens scripsit heredem postumum, eique alium substituit secundum, qui Curius vocabatur, ea conditione, ut, si postumus, qui intra menses decem proximos nasceretur, ante moreretur, quam in suam tutelam pervenisset, id est, ante obiret diem, quam testamentum iure facere posset, secundus heres succederet; quod si ad id tempus pervenisset, quo iam firmo iudicio in suam tutelam receptus iure civili instituto posset herede defungi, secundus heres, id est Curius non succederet: quae vocatur substitutio pupillaris. Quaesitum est, an valeret ita instituta ratio. Crassus igitur plurima protulit exempla, quibus ita institutus heres obtinuisset hereditatem, quae exemplorum commemoratio iudices movit.*

Drumannus t. 4. p. 65. sic enarrat argumentum. *Curius war von einem andern Coponius zum zweiten Erben eingesetzt, für den Fall, dass ihm nicht binnen zehn Monaten nach seinem Tode ein Sohn geboren werden, oder dieser sterben werde, ehe Curius die Vormundschaft für ihn übernehme. Der Sohn wurde nicht geboren, und Scaevola verlangte die Erbschaft für M. Coponius, weil Curius nicht den Vater sondern den Sohn habe beerben sollen, wogegen Crassus bemerkte, man verkenne die Absicht des Testators, welcher Curius sein Vermögen bestimmt, und nur wenn er selbst nach seinem Ableben einen Erben erhalte, diesem den Vorzug gegeben habe. Seine Gründe befriedigten und der Spruch war ihm günstig.*

Cic. Bruto c. 39. *In interpretando, in definiendo, in explicanda aequitate nihil erat Crasso copiosius, idque cum saepe alias, tum apud centumviros in Manii Curii causa cognitum est. ita enim multa tum contra scriptum pro aequo et bono dixit, ut hominem acutissimum Q. Scaevolam et in iure, in quo illa causa vertebatur, paratissimum obrueret argumentorum exemplorumque copia, atque ita tum ab his patronis aequalibus et iam consularibus causa illa dicta est, cum uterque ex contraria parte ius civile defenderet, ut eloquentium iurisperitissimus Crassus, iurisperitorum eloquentissimus Scaevola putaretur.*

ibid. c. 73. *Malim mihi Crassi unam pro Manio Curio dictionem quam castellanos triumphos duo.*

ibid. 52. *Quis ex populo, cum Q. Scaevolam pro M. Coponio dicentem audiret, quidquam politius aut elegantius aut omnino melius aut expectaret aut fieri posse putaret? Cum is hoc probare vellet, Manium Curium, cum ita heres institutus esset, si pupillus ante mortuus esset, quam in suam tutelam venisset, pupillo non nato heredem esse non posse: quid ille non dixit de testamentorum iure, de antiquis formulis? quid quemadmodum scribi oportuisset,*

si etiam filio non nato heres institueretur. Quam captiosum esse populo, quod scriptum esset, negligi, et opinione quaeri voluntates et interpretatione disertorum scripta simplicium hominum pervertere? Quam ille multa de auctoritate patris sui, qui semper ius illud esse defenderat? quam omnino multa de conservando iure civili? quae quidem omnia cum perite et scienter tum ita breviter et presse et satis ornate et pereleganter diceret, quis esset in populo, qui aut expectaret aut fieri posse quidquam melius putaret? c. 53. *At vero, ut contra Crassus ab adolescente delicato, qui in litore ambulans scalmum reperisset, ob eamque rem aedificare navem concupivisset, exorsus est, similiter Scaevolam ex uno scalmo captionis centumvirale iudicium hereditatis effecisse, hoc ille initio consecutus, multis eiusdem generis sententiis delectavit animosque omnium qui aderant in hilaritatem a severitate traduxit. Deinde hoc voluisse eum, qui testamentum fecisset, hoc sensisse, quoquo modo filius non esset, qui in suam tutelam veniret, sive non natus sive ante mortuus, Curius heres ut esset: ita scribere plerosque et id valere et valuisse semper. Deinde aequum bonum, testamentorum sententias voluntatesque tutatus est, quanta esset in verbis captio cum in ceteris rebus tum in testamentis, si negligerentur voluntates; quantam sibi potentiam Scaevola assumeret, si nemo auderet testamentum facere postea nisi de illius sententia.*

Cic. de Orat. 2, 6. *Illud, ego quod in causa Curiana Scaevolae dixi, non dixi secus ac sentiebam. Nam si, inquam, Scaevola, nullum erit testamentum recte factum nisi quod tu scripseris, omnes ad te cives cum tabulis veniemus, omnium testamenta tu scribes unus. Quid igitur? Quando ages negotium publicum? quando amicorum? quando tuum? quando denique nihil ages? Mihi enim liber esse non videtur, qui non aliquando nihil agit.*

Eiusdem causae mentio est facta De Orat. 1, 39, 180. 57, 242. II, 32, 140. pro Caecina c. 18. Topica c. 10. De Invent. 2, 42. Quintil. 7, 6, 9.

8. Oratio censoria contra Cn. Domitium Ahenobarbum.

Ea est habita a. 662 (92), quo anno L. Crassus et Cn. Domitius censores fuerunt. Constat, Crassum et Domitium collegam multas inter se exercuisse inimicitias, sed argumentum orationis, quam Crassus contra collegam habuisse traditur, incertum, nec tamen a verisimilitudine abhorret, a Cn. Domitio notatum esse Crassum propter luxuriam, qua in vita domestica, in aedibus suis, in villis atque piscinis uti solebat, cumque hac se apud populum defendisse oratione.

Cic. Brut. c. 44. *Postrema Crassi censoris oratio, qua anno duodequinquagesimo usus est. — Ipsa illa censoria contra Cn. Domitium collegam non est oratio, sed quasi capita rerum et orationis commentarium paulo plenius. nulla est enim altercatio clamoribus umquam habita maioribus, et vere fuit in hoc etiam popularis dictio excellens.*

Cic. de Orat. 2, 56, 227. *Faceta et urbana innumerabilia ex una concione meministis. Nec enim contentio maior umquam fuit, nec apud populum gravior oratio, quam huius contra collegam in censura nuper, neque lepore et festivitate conditior.*

Ibid. 2, 11. *Crassus in illius orationis suae, quam contra collegam censor habuit, principio dixit: Quae natura aut fortuna darentur hominibus, in iis rebus se vinci posse animo aequo pati, quae ipsi sibi homines parare possent, in iis rebus se vinci pati non posse.*

Plinius Hist. 17, 1. *Natura arborum terra marique sponte sua provenientium dicta est, restat earum, quae arte et humanis ingeniis fiunt verius quam nascuntur. Sed prius mirari succurrit, qua retulimus penuria pro indiviso possessa a feris, depugnante cum iis homine circa caducos fructus, circa*

pendentes vero cum alitibus in tanta deliciarum pretia venisse, clarissimo (ut equidem arbitror) exemplo L. Crassi atque Cn. Domitii Ahenobarbi. Crassus orator fuit in primis nominis romani, domus ei magnifica, sed aliquanto praestantior in eodem Palatio Q. Catuli, multo vero pulcherrima consensu omnium aetate ea in colle Viminali C. Aquilli equitis romani, clarioris illa etiam quam iuris civilis scientia, cum tamen obiecta Crasso sua est. Nobilissimarum gentium ambo, Crassus atque Domitius, censuram post consulatus simul gessere anno conditae urbis DCLXII frequentem iurgiis propter dissimilitudinem morum. Tum Cn. Domitius, ut erat vehemens natura, praeterea accensus odio, quod ex aemulatione avidissimum est, graviter increpuit tanti censorem habitare, pro domo eius sestertium millies identidem promittens. Et Crassus, ut praesens ingenio semper et faceto lepore solers, addicere se respondit, exceptis sex arboribus. Ac ne uno quidem denario, si adimerentur, emtam volente Domitio, Crassus utrumne igitur ego sum, inquit, quaeso, Domitii exemplo gravis, ab ipsa mea Censura notandus, qui in domo, quae mihi hereditate obvenit, comiter habitem an tu, qui sestertium millies sex arbores aestimes? Eae fuere loti, patula ramorum opacitate lascivae. Ac ne quis vilem de cetero Crassi domum nihilque in ea iurgante Domitio fuisse dicendum praeter arbores iudicet, iam columnas quatuor Hymettii marmoris aedilitatis gratia ad scenam ornandam advectas, in atrio eius domus statuerat, cum in publico nondum essent ullae marmoreae.

sestertium millies] i. e. 4,166,666 Thaler. v. Hartmanns Tabellen der römischen Münzen p. 20. Multum a Plinio discedit Valerius, ut mox videbimus.

Valer. Max. 9, 1, 4. *Cn. Domitius L. Crasso collegae suo altercatione orta obiecit, quod columnas Hymettias in porticu domus haberet. Quem continuo Crassus, quanti ipse suam domum aestimaret,*

interrogavit, atque ut respondit sexagies sestertio, Quanto ergo eam, inquit, minoris fore existimas, si decem arbusculas inde succidero? Ipso tricies sestertio, ait Domitius. Tunc Crassus, uter igitur luxuriosior est? Egone, qui decem columnas centum millibus nummum emi, an tu, qui decem arbuscularum umbram tricies sestertium summa compensas?

sexagies sestertio] i. e. Sechs Millionen Sestertien vel 250,000 Thaler, ut ex eodem libro Hartmanni p. 20. apparet.

Suetonius in Nerone c. 2. *In Cn. Domitium Aenobarbum dixit Licinius Crassus orator, non esse mirandum, quod aeneam barbam haberet, cui os ferreum, cor plumbeum esset.*

Cic. de Orat. 2, 59, 242. *In re inest item ridiculum, quod ex quadam depravata imitatione sumi solet, ut idem Crassus: Per tuam nobilitatem, per vestram familiam, per tuas statuas!*

per tuam] vanitatem Domitii notavit orator.
per tuas statuas] i. e. per statuas quae in honorem tuum collocatae sunt.

Macrobius Saturnal. 2, 11. *Is Crassus vir censorius (nam cum Cn. Domitio censor fuit) cum supra ceteros disertus haberetur essetque inter clarissimos cives princeps, tamen muraenam in piscina domus suae mortuam atratus tamquam filiam luxit; neque id obscurum fuit, quippe collega Domitius in senatu hoc ei quasi deforme crimen obiecit. Neque id confiteri Crassus erubuit, sed ultro etiam, si dis placet, gloriatus est censor, piam affectuosamque rem fecisse se iactitans.*

gloriatus est] in eadem oratione contra Domitium.

Plutarchus de capienda ex hostibus utilitate T. 7. p. 276 ed. Hutten. *Πρὸς τὸν Κράσσον ὁ Δομίτιος· Οὐ σὺ μυραίνης ἐν ζωγρείῳ σοι τρεφομένης, εἶτα ἀποθανούσης ἔκλαυσας; καὶ ὁ ἕτερος· Οὐ σὺ τρεῖς γυναῖκας ἐκκομίσας οὐκ ἐδάκρυσας;*

Plut. Praccepta Politica t. 12, p. 167. *Κράσσος ὁ ῥήτωρ Δομιτίου πρὸς αὐτὸν εἰπόντος· Οὐ σὺ μυραίνης ἐν κολυμβήθρᾳ σοι τρεφομένης, εἶτ᾽ ἀποθανούσης ἔκλαυσας; ἀντηρώτησεν· οὐ σὺ τρεῖς γυναῖκας θάψας οὐκ ἐδάκρυσας;*

Plut. De Solertia animalium cap. 23. T. 13. p. 180. *ἡ γὰρ φύσις ὅσον ἐξικνεῖται μαθήσεως ἐπ᾽ αὐτὴν, δεχομένη καὶ στέγουσα, παρέχει — πολλαχοῦ ἰχθῦς ὑπακούοντας αὐτῶν ὀνόμασιν· ὥσπερ τὴν Κράσσου μύραιναν ἱστοροῦσιν, ἧς ἀποθανούσης ἔκλαυσεν ὁ Κράσσος· καίποτε Δομιτίου πρὸς αὐτὸν εἰπόντος· Οὐ σὺ μυραίνης ἀποθανούσης ἔκλαυσας; ἀπήντησεν· οὐ σὺ τρεῖς θάψας γυναῖκας οὐκ ἐδάκρυσας;*

Aelianus Hist. Animal. VIII. 4. idem dictum affert. *Καί ποτε Δομιτίου πρὸς αὐτὸν εἰπόντος, ὦ μωρὲ, μύραιναν ἔκλαυσας τεθνεῶσαν, ὅδε ὑπολαβὼν, ἐγὼ θηρίον, ἔφατο, σὺ δὲ τρεῖς γυναῖκας θάψας οὐκ ἔκλαυσας.*

Porphyrius De Abstinentia III, 5. *ἡ γοῦν Κράσσου τοῦ Ῥωμαϊκοῦ μύραινα ὀνομαστὶ καλουμένη προσῄει τῷ Κράσσῳ, ὃν καὶ οὕτως διέθηκεν, ὡς πενθῆσαι ἀποθανοῦσαν, τριῶν τέκνων ἀποβολὴν πρότερον μετρίως ἐνεγκόντα.*

9. Oratio pro Cn. Plancio contra M. Brutum.

Eam orationem a. 663 (91), non multo ante mortem L. Crassi, habitam scribit Drumannus t. 4. p. 66. Causa prorsus incerta; nam ex fragmentis quae supersunt nonnisi ridiculum orationis genus, quo in hac causa Brutus accusator et Crassus patronus Plancii usi sunt, cognoscimus. Brutus obiecerat Crasso levitatem et inconstantiam, ut qui modo optimatium, modo populi secutus sit partes: id enim apparere ex orationibus de lege Servilia et de colonia Narbonensi, cum in altera pro optimatibus, in altera contra eos pugnasset. Crassus deinde simili usus ratione omnium inconstantissimum Brutum esse probavit, qui ex homine divite et honesto in paupertatem et infamiam incidisset.

Cic. De Orat. 2, 54. *Quid in omni oratione Crassus ab arte adiuvari potuit contra accusatorem Brutum, cum pro Cn. Plancio diceret?* c. 55. *Sed in Bruto, quem oderat et quem dignum contumelia iudicabat, utroque genere leporis pugnavit. Quam multa de balneis, quas nuper ille vendiderat, quam multa de amisso patrimonio dixit! Atque illa brevia; cum ille diceret, se sine causa sudare, Minime mirum, inquit, modo enim existi de balneis. Innumerabilia huiuscemodi fuerunt, sed non minus iucunda illa perpetua. Cum enim Brutus duos lectores excitasset et alteri de colonia Narbonensi Crassi orationem legendam dedisset, alteri de lege Servilia, et cum contraria inter se de re publica capita contulisset, noster hic facetissime tres patris Bruti de iure civili libellos tribus legendos dedit. Ex libro primo: Forte evenit, ut in Privernati essemus. Brute, testificatur pater, se tibi Privernatem fundum reliquisse. Deinde ex libro secundo In Albano eramus ego et M. filius. Sapiens videlicet homo cum primis nostrae civitatis norat hunc gurgitem; metuebat, ne, cum is nihil haberet, nihil esse ei relictum putaretur. Tum ex libro tertio: In Tiburti forte assedimus ego et M. filius. Ubi sunt ii fundi, Brute, quos tibi pater publicis commentariis consignatos reliquit? Quod nisi puberem te iam haberet, quartum librum composuisset, et se etiam in balneis locutum cum filio scriptum reliquisset. Quis est igitur, qui non fateatur, hoc lepore atque his facetiis non minus refutatum esse Brutum quam illis tragoediis, quas egit idem, cum casu in eadem causa efferretur anus Iunia? Brute, quid sedes? quid illam anum patri nuntiare vis tuo, quid illis omnibus, quorum imagines duci vides, quid maioribus tuis? quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberavit, quid te facere, cui rei, cui gloriae, cui virtuti studere? patrimonione augendo? at id non est nobilitatis. Sed fac esse, nihil superest, libidines totum dissipaverunt.*

An iuri civili? est paternum. Sed dicet te, cum aedes venderes, ne in rutis quidem et caesis solium tibi paternum recepisse. An rei militari? Qui numquam castra videris! An eloquentiae? quae nulla est in te, et quicquid est vocis ac linguae, omne in istum turpissimum calumniae quaestum contulisti. Tu lucem adspicere audes, tu hos intueri? tu in foro, tu in urbe, tu in civium esse conspectu? tu illam mortuam, tu imagines ipsas non perhorrescis? quibus non modo imitandis sed ne collocandis quidem tibi ullum locum reliquisti.

Cic. p. Cluentio c. 51. *Ego L. Crassi auctoritatem sequor, qui cum Cn. Plancium defenderet, accusante M. Bruto, homine in dicendo vehementi et callido, cum Brutus duobus recitatoribus constitutis ex duabus eius orationibus capita alterna inter se contraria recitanda curasset, quod in dissuasione rogationis eius, quae contra coloniam Narbonensem ferebatur, quantum potest, de auctoritate senatus detrahit; in suasione legis Serviliae summis ornat senatum laudibus, et multa in equites romanos cum ex ea oratione asperius dicta recitasset, quo animi illorum iudicum in Crassum incenderentur, aliquantum esse commotus dicitur. Itaque in respondendo primum exposuit utriusque rationem temporis, ut oratio ex re et ex causa habita videretur, deinde ut intelligere posset Brutus, quem hominem et non solum qua eloquentia, verum etiam quo lepore et quibus facetiis praeditum lacessisset, tris ipse excitavit recitatores cum singulis libellis, quos M. Brutus pater illius accusatoris de iure civili reliquit. Eorum initia cum recitarentur, Forte evenit, ut ruri in Privernati essemus, ego et Brutus filius, fundum Privernatem flagitabat: In Albano eramus ego et Brutus filius: Albanum poscebat: in Tiburti forte cum assedissemus ego et filius, Tiburtem fundum requirebat: Brutum autem hominem sapientem, quod fili nequitiam videret, quae praedia ei relinqueret, testificari voluisse*

dicebat. Quod si potuisset honeste scribere, se in balneis cum id aetatis filio fuisse, non praeterisset, eas se tamen ab eo balneas non ex patris libris sed ex tabulis et ex censu quaerere. Crassus tum ita Brutum ultus est, ut illum recitationis suae poeniteret.

Quintil. 6, 3, 44. *Cum Brutus in accusatione Cn. Planci ex duobus lectoribus ostendisset, contraria L. Crassum patronum eius in oratione, quam de colonia Narbonensi habuerat, suasisse iis, quae de lege Servilia dixerat, tres excitavit et ipse lectores hisque patris eius dialogos dedit legendos: quorum cum in Privernati unus, alter in Albano, tertius in Tiburti sermonem habitum complecteretur, requirebat, ubi essent eae possessiones. Omnes autem illas Brutus vendiderat et tum paterna emancipare praedia turpius habebatur.*

10. Oratio adversus L. Marcium Philippum consulem.

Ea a. 663 (91) in senatu contra L. Marcium Philippum est dicta, non multum ante mortem Crassi. L. Marcius Philippus homo popularis erat et optimatium adversarius, unde consiliis senatus resistere solebat. Conf. *Ahrens, Die drei Volkstribunen* p. 90. sqq. Cum igitur M. Livius Drusus tribunus pl. a. 663 (91) novis legibus plebem senatui reconciliare studeret, atque Philippus consul acri oratione adversus Drusum et senatum in concione usus esset, Crassus in senatu sententiam dixit et in consulem invectus est.

Cic. de Orat. 3, 1. *Crassus vehementer commotus ea oratione, quae ferebatur habita esse in concione a Philippo, quem dixisse constabat: videndum sibi esse aliud consilium, illo senatu se rem publicam gerere non posse: mane Idibus Septembribus et ille et senatus frequens vocatu Drusi in curiam venit. Ibi cum Drusus multa de Philippo questus esset, retulit ad senatum de illo ipso, quod consul in eum ordinem tam graviter in concione esset invectus. Hic quamquam hoc Crasso semper fere contigisset,*

ut numquam dixisse melius putaretur, tamen omnium consensu sic esse tum iudicatum, ceteros a Crasso semper omnes, illo autem die etiam ipsum a sese superatum. Deploravit enim casum atque orbitatem senatus, cuius ordinis a consule, qui quasi parens bonus aut tutor fidelis esse deberet, tamquam ab aliquo nefario praedone diriperetur patrimonium dignitatis, neque vero esse mirandum, si, cum suis consiliis rem publicam profligasset, consilium senatus a republica repudiaret. Hic cum homini et vehementi et diserto et in primis forti ad resistendum Philippo, quasi quasdam verborum faces admovisset, non tulit ille et graviter exarsit pignoribusque ablatis Crassum instituit coercere. Quo quidem ipso in loco multa a Crasso divinitus dicta ferebantur, cum sibi illum consulem esse negaret, cui senator ipse non esset. An tu, cum omnem auctoritatem universi ordinis pro pignore putaris eamque in conspectu populi romani concideris, me his existimas pignoribus terreri? Non tibi illa sunt caedenda, si L. Crassum vis coercere; haec tibi est excidenda lingua, qua vel evulsa spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit. Permulta tum vehementissima contentione animi ingenii virium ab eo dicta esse constabat, sententiamque eam, quam senatus frequens secutus est ornatissimis et gravissimis verbis: ut populo romano satisfieret, numquam senatus neque consilium reipub. neque fidem defuisse, ab eo dictam, et eundem scribendo affuisse.

Quintil. 8, 3, 89. *Est et acre quiddam, ut illud Crassi: Ego te consulem putem, cum tu me non putes senatorem?*

Quintil. 11, 1, 37. *Ego te consulem putem, inquit L. Crassus Philippo, cum tu me non putes senatorem? Vox honestissimae libertatis.*

Valer. Max. 6, 2, 2. *L. Philippus consul adversus senatum libertatem exercere non dubitavit. Nam segnitiem pro rostris exprobrans, alio sibi senatu*

opus esse dixit, tantumque a poenitentia dicti abfuit, ut etiam L. Crasso, summae dignitatis et eloquentiae viro, id in curia graviter ferenti manum iniici iuberet. Ille reiecto lictore, Non es, inquit, mihi, Philippe, consul, quia ne ego quidem tibi senator sum.

Io. Saresberiensis Nug. Cur. 7, 25. *Non es, inquit, Philippe, mihi consul, quia nec ego tibi senator sum.*

11 Oratio pro Pisone.

Causa privata: quo anno sit acta, non constat. Henrichsen ad Cic. de Orat. 2, 70, 285 putat, L. Calpurnium Pisonem, consulem a. 642 (112), esse intelligendum. Atque Drumannus t. 4. p. 63 scribit, si L. Piso consul a. 642 (112) reus sit, causam ante annum 647 (107) actam esse, cum illo anno a Tigurinis caesus esset.

Cic. de Orat. 2, 70, 285. *Ab hoc vero Crasso nihil facetius. Cum laesisset testis Silus Pisonem, quod se in eum audisse dixisset: Potest fieri, inquit, Sile, ut is, unde te audisse dicis, iratus dixerit. Annuit Silus. Potest etiam, ut tu non recte intellexeris. Id quoque toto capite annuit, ut se Crasso daret. Potest etiam fieri, inquit, ut omnino, quod te audisse dicis, numquam audieris. Hoc ita praeter exspectationem accidit, ut testem omnium risus obrueret.*

12. Oratio pro C. Sergio Orata contra Considium.

Causa privata. C. Sergius Orata in fundo suo ad lacum Lucrinum aquam publicam in suum usum vertere coepit, unde Considio publicano, qui lacum locaverat, damnum exortum. Res in controversiam venit. Crassus Sergio aderat, ambo familiares, et uterque luxuria ac delicatissimo vitae genere celebris.

Valer. Max. 9, 1, 1. *C. Sergius Orata, ne gulam Neptuni arbitrio subiectam haberet, peculiaria sibi maria excogitavit, aestuariis intercipiendo fluctus,*

pisciumque diversos greges separatis molibus includendo, ut nulla tam saeva tempestas incideret, qua non Oratae mensae varietate ferculorum abundarent. Aedificiis etiam spatiosis et excelsis deserta ad id tempus ora Lucrini lacus pressit, quo recentiore usu conchyliorum frueretur. Ubi dum se publicae aquae cupidius immergit, cum Considio publicano iudicium nactus est. In quo L. Crassus adversus illum causam agens errare amicum suum Considium dixit, quod putaret, Oratam, remotum a lacu, cariturum ostreis. namque ea, si inde petere non licuisset, in tegulis reperturum.

ora Lucrini lacus] Plinius Hist. 9, 54. *Sergius Orata primus optimum saporem ostreis Lucrinis adiudicavit, quando eadem aquatilium genera alibi atque alibi meliora. Nondum Britannica serviebant litora, cum Orata Lucrina nobilitabat.*

in tegulis] Cicero in *Hortensio* apud *Nonium* s. v. *ostrea* p. 216. *solertiamque eum, quae posset vel in tegulis proseminare ostreas.* Vero simile est, Ciceronem in hoc loco loqui de eodem Sergio Orata, cuius in pluribus Hortensii fragmentis mentio est facta. Vid. Fragm. Cic. p. 484. ed Orell. *In tegulis* significat in tecto domus, auf dem Dach des Hauses. Seneca Controv. lib. 5, 5. p. 463. *Alunt in summis culminibus* (domus) *mentita nemora et navigabilium piscinarum freta.*

13. Oratio pro C. Sergio Orata contra M. Antonium.

Causa privata. Vid. oratt. Antonii p. 291.

Cic. de Offic. 3, 16. *M. Marius Gratidianus C. Sergio Oratae vendiderat aedes eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Eae serviebant, sed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in iudicium est. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. Ius Crassus urgebat, quod vitii venditor non dixisset sciens id oportere praestari, aequitatem Antonius, quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas aedes vendidisset, nihil fuisse necesse dici nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo iure esset, teneret.*

Cic. de Orat. 1, 39. *Nuper cum ego C. Sergii*

Oratae contra Antonium iudicio privato causam defenderem, nonne omnis nostra in iure versata defensio est? Cum enim M. Marius Gratidianus aedes Oratae vendidisset, neque servire quandam earum aedium partem in mancipii lege dixisset; defendebamus, quidquid fuisset incommodi in mancipio, id si venditor scisset nec declarasset, praestare debere.

14. Concio in Memmium.

Vid. *Orat. pro lege Servilia* p. 299. Vulgo enim putant, Memmium legem dissuasisse Serviliam, pro qua oravit Crassus.

15. Orationes graecae in latinum versae.

Cic. de Orat. 1, 34. *Postea mihi placuit eoque sum usus adolescens, ut summorum oratorum graecas orationes explicarem. Quibus lectis hoc assequebar, ut, cum ea, quae legeram graece, latine redderem, non solum optimis verbis uterer, et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando quae nova nostris essent, dummodo essent idonea.*

Quintil. 10, 5, 2. *Vertere graeca in latinum veteres nostri oratores optimum iudicabant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de Oratore libris dicit factitasse.*

Fragmenta incerta.

Cic. Orator c. 66. *Illud est Crassi: Missos faciant patronos, ipsi prodeant. Cur clandestinis consiliis nos oppugnant? cur de perfugis nostris copias comparat is contra nos?*

Missos] *non satis liquet, unde desumtus sit integer senarius. Quae mox ibidem sequuntur, (Cur clandestinis etc.) ex concione contra popularem factionem petita credas, nisi forte sunt ex oratione in Philippum.* Ellendt p. LXXIV.

comparat is] ex Quintiliano 9, 4, 101. recepi. Vulgo *comparant.*

Plinius Hist. Nat. 35, 4. *Deinde video et in foro positas vulgo tabulas. Hinc enim ille Crassi oratoris*

lepos agentis sub Veteribus, cum testis compellatus instaret: Dic ergo, Crasse, qualem me reris? Talem, inquit, ostendens in tabula pictum inficetissime Gallum exerentem linguam.

Crassi] idem fere dictum a Cicerone De Orat. 2, 66. C. Iulio Caesari Straboni tribuitur.

sub Veteribus] *Veteres Tabernae* in foro erant. Bunsen Beschreibung von Rom. t. 3. P. 2. p. 24, sqq.

XLIX. *Q. Mucius Scaevola Pontifex Maximus.*

Natus eodem fere anno, quo Crassus, id est, a. 614 (140): aequales enim eos fuisse, Cicero in Bruto scribit c. 40, 150. Quaestor a. 643 (111), tribunus pl. a. 648 (106), aedilis a. 651 (103), praetor a. 655 (99), consul a. 659 (95), proconsul Asiam provinciam a. 660 (94) administravit (Valerius Max. 8, 15, 6.) et legatum habuit P. Rutilium Rufum. (Madwig de Asconio p. 110.) Idem pontifex maximus. Occisus est Mario auctore a. 672 (82). Distinguendus est a. Q. Mucio Scaevola augure. Vid. *Onomasticon Tullianum.* Eius vitam enarravit Maiansius in Fragmentis Iuris consultorum T. 1. p. 169. idemque reliquias librorum de iure collegit et illustravit.

Cic. Brut. 39. *Eloquentium iurisperitissimus Crassus, iurisperitorum eloquentissimus Scaevola.*

ibid. c. 40. *Crassus erat elegantium parcissimus, Scaevola parcorum elegantissimus. Crassus in summa comitate habebat etiam severitatis satis, Scaevolae multa in severitate non deerat tamen comitas.*

ibid. 44. *Scaevolae dicendi elegantiam satis ex iis orationibus, quas reliquit, habemus cognitam.*

Velleius 2, 9. *Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Aemilianus Laeliusque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius, nec praetereundus Metellus Numidicus et Scaurus, et ante omnes L. Crassus et M. Antonius. Quorum aetati ingeniisque successere C. Caesar Strabo, P. Sulpicius.*

Nam Q. Mucius iuris scientia quam proprie eloquentiae nomine celebrior fuit.

Quintil. 12, 3, 9. *M. Cato cum in dicendo praestantissimus, tum iuris idem fuit peritissimus, et Scaevolae Servioque Sulpicio concessa est etiam facundiae virtus.*

1. Oratio pro M. Coponio adversus Manium Curium.

Causa centumviralis, acta a. 661 (93) T. Manilio praetore. Vide *orat. Crassi pro Manio Curio contra Coponium* p. 303.

Cic. Brut. 39. *In interpretando, in definiendo, in explicanda aequitate nihil erat Crasso copiosius, idque cum alias tum apud centumviros in Manii Curii causa cognitum est. ita enim multa contra scriptum pro aequo et bono dixit, ut hominem acutissimum Q. Scaevolam et in iure, in quo illa causa vertebatur, paratissimum obrueret argumentorum exemplorumque copia, atque ita tum ab his patronis aequalibus et iam consularibus causa illa dicta est, cum uterque ex contraria parte ius civile defenderet, ut eloquentium iurisperitissimus Crassus, iurisperitorum eloquentissimus Scaevola putaretur, qui quidem cum peracutus esset ad excogitandum, quid in iure aut in aequo verum aut esset aut non esset, tum verbis erat ad rem cum summa brevitate mirabiliter aptus.*

Ibid. c. 52. *Quis ex populo, cum Q. Scaevolam pro M. Coponio dicentem audiret, quidquam politius aut elegantius aut omnino melius aut expectaret aut fieri posse putaret? cum is hoc probare vellet, Manium Curium, cum ita heres institutus esset, si pupillus ante mortuus esset quam in suam tutelam venisset, pupillo non nato heredem esse non posse: quid ille non dixit de testamentorum iure, de antiquis formulis? quid, quemadmodum scribi oportuisset, si etiam filio non nato heres institueretur? quam captiosum esse populo, quod scriptum esset,*

negligi, et opinione quaeri voluntates et interpretatione disertorum scripta simplicium hominum pervertere? quam ille multa de auctoritate patris sui, qui semper ius illud defenderat? quam omnino multa de conservando iure civili? quae quidem omnia cum perite et scienter tum ita breviter et presse et satis ornate et pereleganter diceret, quis esset in populo, qui aut expectaret aut fieri posse quidquam melius putaret?

Cic. de Orat. 1, 39. *Quid vero? clarissima Manii Curii causa Marcique Coponii nuper apud centumviros quo concursu hominum, qua exspectatione defensa est? cum Q. Scaevola aequalis et collega meus, homo omnium et disciplina iuris civilis eruditissimus et ingenio prudentiaque acutissimus et oratione maxime limatus atque subtilis atque, ut ego soleo dicere, iuris peritorum eloquentissimus, eloquentium iuris peritissimus, ex scripto testamentorum iura defenderet negaretque, nisi postumus et natus, et antequam in suam tutelam veniret, mortuus esset, heredem eum esse posse, qui esset secundum postumum et natum et mortuum heres institutus; ego autem defenderem, hac eum tum mente fuisse, qui testamentum fecisset, ut si filius non esset, qui in suam tutelam veniret, Manius Curius esset heres.* Conf. ibid. 1, 57. II, 32. De Invent. 2, 42. p. Caecina 18. Quintil. 7, 6, 9. Gaius 2, 179.

2. Oratio pro P. Rutilio Rufo.

Causa celeberrima est acta a. 662 (92). Vide *orat. Rutilii pro se contra publicanos* p. 266. Dubitabatur olim, utrum Q. Mucius Scaevola pontifex maximus an Scaevola augur Rutilii defensor fuerit. Sed Krebsius in disquisitione quadam, quam Orellius in Onomastico repetivit, Scaevolam pontificem maximum intelligendum esse probavit. Nec aliter iudicavit Maiansius p. 172. Zumpt. ad Cic. Div. in Caecil. 17, 57. Ellendt ad Cic. de Orat. 1, 53.

Cic. Brut. 30. *Rutilius dixit ipse pro sese et pauca C. Cotta, sed Q. Mucius enucleate ille quidem et polite, ut solebat, nequaquam autem ea vi atque copia, quam genus illud iudicii et magnitudo causae postulabat.*

Cic. de Orat. 1, 53. *Dixit causam illam quadam ex parte Q. Mucius more suo nullo apparatu pure et dilucide.*

L. *Q Servilius Caepio.*

In priore editione de hoc viro multum erravi, cum Caepione consule a. 648 (106) cum confundens: plures enim Caepiones, quorum in Bruto Ciceronis fit mentio, sunt distinguendi, idque in Onomastico Tulliano ab Orellio nostro accurate est factum. Conf. Westermannus p. 98. Ahrens *Die drei Volkstribunen* p. 114.

Quaestor urbanus a. 654 (100). Auct. ad Herennium 1. 12. Homo popularis erat contraque senatum et optimates stetit, item M. Aemilii Scauri inimicus. Bello Marsico legatus Rutilii consulis, occisus est a. 664 (90). Liv. Epit. l. 73.

Extabant Caepionis orationes, quarum una certe non ab ipso Caepione, verum ab Aelio Praeconino Stilone composita erat, ut mox dicemus.

Cicero Bruto c. 62, 222. *M. Drusum, L. Lucullum, M. Lucullum, M. Octavium, Cn. Octavium, M. Catonem, Q. etiam Catulum filium abducamus ex acie, id est, a iudiciis et in praesidiis reipublicae, cui facile satisfacere possint, collocemus. Eodem Q. Caepionem referrem, nisi nimis equestri ordini deditus a senatu dissedisset.*

equestri ordini deditus] nisi nimis populi partes seculus contra optimates stetisset. Florus lib. 3, 17. *In hoc statu rerum pares opibus animis dignitate, (unde et nata Livio Druso aemulatio) equitem Servilius Caepio, senatum Livius Drusus asserere: signa et aquilae et vexilla aderant. ceterum sic urbe in una quasi in binis castris dissidebatur. prior Caepio in senatum impetu facto reos ambitus Scaurum et Philippum, principes nobilitatis, elegit.*

1. Oratio in M. Aemilium Scaurum lege Servilia.

Ea causa dicta est a. 663 (91). Vide *orat. Scauri* p. 257. De lege Servilia repetundarum v. Index Legum Tullianus.

Cic. p. Scauro 1, 2. *Scaurus reus est factus a Q. Servilio Caepione lege Servilia, cum iudicia penes equestrem ordinem essent et P. Rutilio damnato nemo tam innocens videretur, ut non timeret illa.*

Asconius in Scaurianam p. 21. *Q. Servilius Caepio Scaurum ob legationis Asiaticae invidiam et adversus leges captarum pecuniarum reum fecit repetundarum lege, quam tulit Servilius Glaucia.*

2. Oratio pro se contra M. Aemilium Scaurum.

Ea est habita a. 663 (91). Vide *orat. Scauri* N. 8. p. 258.

Asconius in Scaurianam p. 21. *Q. Servilius Caepio Scaurum ob legationis Asiaticae invidiam et adversus leges captarum pecuniarum reum fecit repetundarum lege, quam tulit Servilius Glaucia. Scaurus tanta fuit continentia animi et magnitudine, ut Caepionem contra reum detulerit, at breviore die inquisitionis accepta effecerit, ut ille prior causam diceret, M. quoque Drusum tribunum pl. cohortatus sit, ut iudicia commutaret.*

3. Oratio in M. Aemilium Scaurum lege Varia.

Ea oratio dicta est a. 664 (90). Q. Varius tribunus pl. a. 664 (90) legem tulit, ut quaereretur de iis, quorum ope consiliove socii contra populum rom. arma sumsissent, nec multo post multi optimates ea lege in iudicium vocabantur, quos inter Scaurus. Cum autem auctoritate eius commotus, Varius accusator ab accusatione destitisset, Q. Caepio, vetus inimicus Scauri, causam recepit, iterumque eum eadem lege reum fecit quasi socios et latinos ad bellum incitasset. Cicero p. Scauro c. 1, 3. Asconius in Scaurianam p. 22. Vide *Orationes Scauri* n. 10. p. 261.

Charisius p. 114. *Q. Caepio in M. Aemilium Scaurum lege Varia: Cum ab isto viderem cotidie hostes adiuvari.*

Charisius p. 116. *Q. Caepio in M. Aemilium Scaurum lege Varia: Cum ab isto viderem cotidio consiliis hostes adiuvari.*

Charisius p. 133. *Caepio in M. Aemilium Scaurum lege Varia: Q. Albius vir bonus est et vehementer idoneus.*

Q. Albius] De eo nihil certi constat.

4. Oratio in Betucium Barrum Asculanum.

Causa incerta est. Orationem, quam Caepio adversus Betucium habuit, non ipse scripserat sed a L. Aelio composita erat.

Cicero Bruto c. 46. *Omnium eloquentissimus extra hanc urbem T. Betucius Barrus Asculanus, cuius sunt aliquot orationes Asculi habitae, illa Romae contra Caepionem, nobilis sane, cui orationi Caepionis ore respondit Aelius, qui scriptitavit orationes multis, orator ipse numquam fuit.*

Ibidem c. 56, 206. *Aelius Stoicus scribebat orationes, quas alii dicerent, ut Q. Metello f., ut Q. Caepioni, ut Q. Pompeio Rufo.*

Incerta.

Charisius p. 84. *Tores. Servilius, ut etiam Flavius Pomponianus notat, aureum tores pro torque.*

Servilius] Lindemannus hoc fragmentum Q. Servilio Caepioni oratori tribuit.

LI. *T. Betucius Barrus Asculanus.*

Hic orator Asculi, in urbe Picentium, natus, circa illam aetatem vixit, qua socii romanorum de civitate danda turbas excitarunt bellumque funestum adversus rem publicam suscepere. Betucii orationes in his rebus versatas esse suspicor. Constat autem, in illo bello Asculum captum dirutumque esse a. 665 (89) Florus 3, 18.

Cic. Bruto 46. *Omnium eloquentissimus extra hanc urbem T. Betucius Barrus Asculanus, cuius sunt aliquot orationes Asculi habitae, illa Romae contra Caepionem, nobilis sane, cui orationi Caepionis ore respondit Aelius.*

1. Orationes Asculanae.

Earum vestigium nullum.

2. Oratio contra Q. Servilium Caepionem.

Vid. orat. *Q. Servilii Caepionis* p. 322. Caepio homo factiosus et popularis, inimicitia erga M. Aemilium Scaurum celebris, bello Marsico sive sociali periit a. 664 (90). Vid. Onomast. Tullianum.

LII. *L. Marcius Philippus.*

Eum natum scribit Ellendt p. LXXVII. a. 615 vel 616, Westermannus autem p. 100. anno 629. Quaestor a. 645 (109), tribunus pl. a. 650 (104), aedilis a. 653 (101), praetor a. 656 (98), consul a. 663 (91), censor a. 668 (86) fuisse traditur.

Incertum, an orationes reliquerit Philippus.

Cicero Bruto c. 47. *Duobus summis Crasso et Antonio L. Philippus proximus accedebat, sed longo intervallo tamen proximus, itaque eum, etsi nemo intercederet, qui se illi anteferret, neque secundum tamen nec tertium dixerim. Sed tamen erant ea in Philippo, quae, qui sine comparatione illorum spectaret, satis magna diceret, summa libertas in oratione, multae facetiae, satis creber in reperiendis, solutus in explicandis sententiis, erat etiam inprimis ut temporibus illis graecis doctrinis institutus, in altercando cum aliquo aculeo et maledicto facetus.*

Cic. Brut. 45. *M. Herennius summa nobilitate hominem, cognatione, sodalitate, collegio, summa etiam eloquentia L. Philippum in consulatus petitione superavit.*

consulatus petitione] L. Marcius Philippus et M. Herennius consulatum petebant a. 660 (94), Philippus repulsam tulit et anno demum 663 (91) consul factus est.

ibidem c. 50. *De populo si quem ita rogavisses: quis est in hac civitate eloquentissimus? in Antonio et Crasso aut dubitaret, aut hunc alius, illum alius diceret. Nemone Philippum, tam suavem oratorem, tam gravem, tam facetum his anteferret, quem nosmet ipsi proximum illis fuisse diximus? Nemo profecto.*

Cic. de Oratore 2, 78. *Admirari soleo hominem in primis disertum atque eruditum, Philippum, qui ita solet surgere ad dicendum, ut, quod primum verbum habiturus sit, nesciat, et ait idem, cum brachium concalefecerit, tum se solere pugnare.*

Cic. de Offic. 1, 30. *Erat in L. Crasso, in L. Philippo multus lepos, maior etiam magisque de industria in C. Caesare L. f.*

Cic. de Orat. 3, 1. *Philippus, homo vehemens et disertus et in primis fortis ad resistendum.*

Horatius Epist. 1, 7, 46. *Strenuus et fortis causisque Philippus agendis Clarus.*

1. Oratio de lege agraria.

L. Marcius in tribunatu a. 650 (104) legem agrariam promulgavit, nec tamen pertulit, cum senatus resisteret. Hanc maxime omnium funestam fuisse rogationem, ex eo apparet, quod tradidit Göttling G. d. röm. Staatsverf. p. 351: Cicero sagt bestimmt, dass alle agrarischen Gesetze vom *ager publicus* gegolten haben. Und wirklich betraf von allen *agrarischen* Gesetzen, welche von den Römern erwähnt werden, keines das wirkliche Landeigenthum als ein nicht durchgegangenes des L. Marcius Philippus in der Mitte des siebenten Jahrhunderts, welcher vorschlug, es sollte eine allgemeine gleiche Theilung des Landeigenthumes vorgenommen werden. ibid. p. 430.

Cic. de Officiis 2, 21. *In primis videndum erit*

ei, qui rem publicam administrabit, ut suum quisque teneat, neque de bonis privatorum publice deminutio fiat. Perniciose enim Philippus in tribunatu, cum legem agrariam ferret (quam tamen antiquari facile passus est et in eo vehementer se moderatum praebuit) sed cum in agendo multa populariter, tum illud male, non esse in civitate duo millia hominum, qui rem haberent. Capitalis oratio et ad aequationem bonorum pertinens, qua peste quae potest esse maior?

qui rem haberent] Miror, quod Zumptius in commentatione egregia *Ueber den Stand der Bevölkerung und die Volksvermehrung im Alterthum* hunc gravissimum locum, qui maxime ad rem pertinebat, in ea orationis parte, ubi de inopia plebis romanae disserit, p. 75 sqq. praetermisit.

2. Concio.

L. Marcius Philippus in consulatu a. 663 (91) concionem habuit, in qua in senatum acerbissime invectus est, plebemque contra optimates irritare cupiebat. Ei in senatu respondit Crassus. Vide *orat. Crassi adversus Philippum consulem* p. 312.

Cic. de Orat. 3, 1. *Crassus erat vehementer commotus oratione ea, quae ferebatur habita esse in concione a Philippo, quem dixisse constabat, videndum sibi esse aliud consilium, illo senatu se rem publicam gerere non posse.*

Cic. de Orat. 1, 7. *Vehementius invehebatur in causam principum consul Philippus Drusique tribunatus, pro senatus auctoritate susceptus, infringi iam debilitarique videbatur.*

in causam principum] i. e. infestus erat optimatibus et senatui.

Drusi tribunatus] Cum Drusus plebem cum senatu reconciliare studeret multasque leges, ad id spectantes, promulgaret, Philippus consul concionibus plebem abalienavit, et optimates quoque consiliis Drusi restitere, ita ut cura atque labor eius inanis esset.

Valerius Max. 6, 2, 2. *L. Philippus consul adversus senatum libertatem exercere non dubitavit. Nam segnitiem pro rostris exprobrans alio sibi senatu*

opus esse dixit. Idem refert Io. Saresberiensis De Nug. Cur. l. VII, 25. p. 518.

3. Oratio pro Cneo Pompeio.

Ea habita est a. 668 (86). Cn. Pompeius illo anno reus factus est, quod in bello Marsico Asculi a. 665 (89) praedam pecuniamque diripuisset, atque aerarium populi romani defraudavisset. Atque accusatores qui eum ob id potissimum oderant, quod contra Marium steterat, condemnassent eum, nisi connubio gratiam Antistii quaesitoris captasset. Pro eo dixere Philippus, Hortensius et Cn. Papirius Carbo. (Val. Max. 6, 2, 8.) Conf. Plut. Pompeius 4. Drumann t. 4. p. 326.

Cic. Bruto 64. *Philippus iam senex pro Cn. Pompeii bonis dixit.*

ium senex] *quod senex hoc loco dicatur, vix urgendum, nam a. 668 annos fortasse tres vel quatuor et quinquaginta habuit.* Ellendt p. LXXIX. Philippus senex dicitur comparatus cum Hortensio admodum iuvene.

Plutarch. v. Pompeii 2. *Ἦν δέ τις καὶ ἀναστολὴ τῆς κόμης ἀτρέμα καὶ τῶν περὶ τὰ ὄμματα ῥυθμῶν ὑγρότης τοῦ προσώπου ποιοῦσα μᾶλλον λεγομένην ἢ φαινομένην ὁμοιότητα πρὸς τὰς Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως εἰκόνας· ᾗ καὶ τοὔνομα πολλῶν ἐν ἀρχῇ συνεπιφερόντων οὐκ ἔφευγεν ὁ Πομπήϊος, ὥς τε καὶ χλευάζοντας αὐτὸν ἐνίους ἤδη καλεῖν Ἀλέξανδρον. Διὸ καὶ Λεύκιος Φίλιππος, ἀνὴρ ὑπατικὸς, συνηγορῶν αὐτῷ μηδὲν ἔφη ποιεῖν παράλογον, εἰ Φίλιππος ὢν φιλαλέξανδρός ἐστι.*

4. Oratio pro Sexto Naevio contra P. Quintium.

L. Philippus una cum Hortensio a. 673 (81) Sex. Naevium contra Ciceronem defendit, P. Quintii patronum. Vide argum. orat. Ciceronianae; ibid. c. 22.

5. Oratio adversus Mam. Aemilium Lepidum.

Legimus apud Salustium orationem fictam Philippi, a. 677. (77) contra Lepidum consulem in senatu habi-

tam. Conf. *Salustii Orationes ab Orellio editae* a. 1831. p. 13.

Incerta.

Cic. de Orat. 2, 61. *In male olentem Video me a te circumveniri, subridicule Philippus.*

circumveniri] Lusit Philippus in vocibus *Circum* et *hircum*. Cogitandum enim Romanis *circum* dictum *Kirkum*: quod si cum sono nasali pronuntiabatur, *Kirkonveniri* et *hirco conveniri* satis videbuntur similia. Eltendt.

Cic. de Orat. 2, 60. *Pusillus testis processit. Licet, inquit, rogare, Philippus? Tum quaesitor properans: Modo breviter. hic ille: non accusabis, perpusillum rogabo. Ridicule. Sed sedebat iudex L. Aurifex brevior ipse quam testis. Omnis est risus in iudicem conversus, visum est totum scurrile ridiculum.*

Cic. de Orat. 2, 54. *A. Philippo interrogatus, quid latraret, Furem se videre respondit Catulus.*

Catulus] Henrichsen existimat, Catulum in altercatione quadam id in Philippum consulem, cum in causam optimatium inveheretur, dixisse.

LII. *Helvius Mancia.*

Quamvis Helvius Mancia a Cicerone in Bruto, id est, in historia oratorum romanorum, non memoretur, aliunde tamen novimus, multas eum causas egisse, et illa aetate vixisse, qua Antonius et Crassus et Caesar Strabo floruerunt, (Cic. de Orat. 2, 68, 274. et 2, 66.) Idem vero ultimam attigisse videtur senectutem, ut ex causa, quam a. 699 (55) oravit, apparet. Homo dicax et malignus, ut ex eo, quod Caesar Strabo in eum dixit, (ut infra videbimus) verisimile fit.

1. Oratio contra L. Scribonium Libonem apud censores.

Ea causa acta fertur a. 699 (55), Pompeio iterum consule. Censores fuerunt M. Valerius Messala Niger et P. Servilius Vatia Isauricus, teste Baitero in Fastis Consularibus. Defendit Libonem Pompeius consul.

Valerius Max. 6, 2, 8. *Helvius Mancia Formianus, libertini filius, ultimae senectutis L. Libonem apud censores accusabat. In quo certamine cum Pompeius Magnus humilitatem ei aetatemque exprobrans, ab inferis illum ad accusandum remissum dixisset, Non mentiris, inquit, Pompei: venio enim ab inferis, in L. Libonem accusator venio; sed dum illic moror, vidi cruentum Cn. Domitium Ahenobarbum deflentem, quod summo genere natus, integerrimae vitae, amantissimus patriae in ipso iuventutis flore tuo iussu esset occisus. Vidi pari claritate conspicuum Brutum ferro laceratum, querentem id sibi prius perfidia, deinde etiam crudelitate tua accidisse. Vidi Cn. Carbonem, acerrimum pueritiae tuae bonorumque patris tui defensorem, in tertio consulatu catenis, quas tu ei iniici iusseras, vinctum, obtestantem te adversus omne fas ac nefas, cum in summo esset imperio, a te equite romano trucidatum. Vidi eodem habitu et quiritatu praetorium virum Perpernam saevitiam tuam exsecrantem, omnesque eos una voce indignantes, quod indemnati sub te adolescentulo carnifice occidissent." — Obducta iam vetustis cicatricibus bellorum civilium vastissima vulnera municipali homini servitutem paternam redolenti, effrenatae temeritatis, intolerabilis spiritus, inpune revocare licuit.*

Formianus] Formiae municipium Latii.

L. Libonem] L. Scribonius Libo, qui a. 720 (34) consul factus est, cuius filia Sexto Pompeio Cn. filio nupserat.

Cn. Domitium Ahenobarbum] Obiecit Helvius Pompeio omnia crudelitatis facinora, quae bello civili Sullano commiserat. Cn. Domitium proelio victum occidit Pompeius a. 673 (81). Livius Epit. 89. Drumann t. 3. p. 17. t. 4. p. 333.

Brutum] M. Iunius Brutus a Pompeio a. 678 (76) clam interfectus. Drumann t. 4. p. 345.

Cn. Carbonem] Cn. Papirius Carbo, qui Pompeium adolescentem in gravissima causa defenderat, (v. pag. 326) in ipso tertio consulatu a. 672 (82) ab eo necatur. Drumann t. 4. p. 329 sq.

Perpernam] M. Perperna a. 682 (72) a Pompeio victus et occisus. Drumann t. 4. p. 375.

omnesque eos] multi alii a Pompeio in bello Sullano crudelissime trucideti. Drumenn t. 4. p. 545.

Ioannes Saresberiensis de Nug. Cur. 7, 25. *Pompeius cum Helvio Formiano, libertini filio, inproperans, quod redierat ab inferis, ut Lucium Libonem, amicum Pompeii, accusaret: Ab inferis, inquit Helvius, in Libonem venio accusator, sed dum illic moratus sum, vidi quam plurimos in diversa aetate et sexu innocentes, ibidem de te gravissime conquerentes, quos ipsos per hanc importabilem bonis potentiam tuam nequiter condemnaveris, et omnia Pompeii perversa et reprehendenda audientibus cunctis exposuit.*

Incerta.

Cic. de Orat. 2, 66. *Valde ridentur etiam imagines, quae fere in deformitatem aut in aliquod vitium corporis ducuntur cum similitudine turpioris, ut meum illud in Helvium Manciam: Iam ostendam, cuiusmodi sis, cum ille, ostende, quaeso: demonstravi digito pictum Gallum in Mariano scuto Cimbrico sub Novis, distortum, eiecta lingua buccis fluentibus. Risus est commotus, nihil tam Manciae simile visum est.*

meum illud] C. Iulius Caesar Strabo causam egit contra Helvium Manciam, quae alioqui ignota est. Plinius idem dictum errore, opinor, Cresso oratori tribuit, Hist. Nat. 35, 4.

pictum Gallum] non mirum, hanc imaginem risui praebuisse locum. Omnes enim imagines Gallorum, quales et in scutis et in nummis Celticis conspiciuntur, maxime esse deformes, demonstrat Lelewel Etudes Numismatiques. T. I. Type Gaulois. Bruxelles 1840 p. 81.

sub Novis] Novae tabernae in foro erant. Vid. Bunsen Beschreib. v. Rom t. 3. P. 2. p. 26.

buccis fluentibus] *buccas fluentes dicit pendentes et solutas.* Ellendt.

Quintil. 6, 3, 38. *Rarum est, ut oculis subiicere contingat, ut fecit C. Iulius, qui cum Helvio Manciae saepius obstrepenti sibi diceret, Iam ostendam, qualis sis, isque plane instaret interrogatione, qualem se ostensurus esset, digito demonstravit imaginem Galli in scuto Cimbrico pictam, cui Mancia tum*

simillimus est visus. Tabernae autem erant circa forum ac scutum illud signi gratia positum.

LIV. *C. Iulius Caesar Strabo Vopiscus.*

Natus esse videtur a. 623 (131). Ellendt p. LXXXI. anno 628 natum, a. 659 (95) quaestorem fuisse scribit. Aedilis curulis erat a. 664 (90) L. Caesare fratre et P. Rutilio Lupo coss. Drumann t. 3. p. 126. nec aliter Pighius statuit. Alii ut Ellendt p. LXXXI et Zumpt in Annalibus a. 665 (89) Cn. Pompeio L. Porcio coss. aedilitatem gessisse volunt. Falso. Cicero enim scribit in Bruto c. 89, 305., C. Caesarem eodem anno aedilem fuisse quo Curionem tribunum pl. Cum igitur constet, Curionem a. 664 (90) eum magistratum obtinuisse, hoc quoque anno Caesar aedilitatem capessivit. Deinde a. 666 (88) consulatum petebat praetermissa praetura. Quod cum lege annali vetitum esset, et praeterea factio Marii cum Sullanis, quibuscum coniunctus erat, multum de republica certaret: magnae ex ea petitione exortae sunt lites, atque repulsam tulit. Anno deinde sequenti, a. 667 (87), cum Marius Romam reverteretur, et amicos Sullae persequeretur, Caesar quoque trucidatus est.

Orationes edidit atque tragoedias, quarum collegit reliquias Weichert Poet. Lat. Rel. p. 127 et Welker Rheinisches Museum 2 Supplem. 3 Abtheil. 1841. p. 1398.

Cicero Bruto 48. *Festivitate et facetiis C. Iulius L. F. et superioribus et aequalibus suis omnibus praestitit, oratorque fuit minime ille quidem vehemens, sed nemo umquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior. Sunt eius aliquot orationes, ex quibus, sicut ex eiusdem tragoediis, lenitas eius sine nervis perspici potest.*

Cic. de Officiis, 1, 37. *Uberior oratio L. Crassi nec minus faceta, sed bene loquendi de Catulis opinio non minor. Sale vero et facetiis Caesar, Catuli patris frater, vicit omnes, ut in ipso illo forensi genere dicendi contentiones aliorum sermone vinceret.*

Cic. de Offic. 1, 30. *Erat in Crasso, in L. Philippo multus lepos, maior etiam magisque de industria in C. Caesare L. f.*

Cic. de Orat. 2, 23. *Caesar inusitatum nostris quidem oratoribus leporem quendam et salem est consecutus.*

Cic. de Orat. 3, 8. *Quid? noster hic Caesar nonne novam quandam rationem attulit orationis et dicendi genus induxit prope singulare? Quis umquam res praeter hunc tragicas pene comice, tristes remisse, severas hilare, forenses scenica prope venustate tractavit atque ita, ut neque iocus magnitudine rerum excluderetur, nec gravitas facetiis minueretur?*

Cic. Tusculan. 5, 19. *In C. Caesare mihi videtur specimen fuisse humanitatis, salis, suavitatis, leporis.*

Velleius 2, 9. *Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Aemilianus Laeliusque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius. Nec praetereundus Metellus Numidicus et Scaurus, et ante omnes L. Crassus et M. Antonius: Quorum aetati ingeniisque successere C. Caesar Strabo, P. Sulpicius.*

Asconius in Scaurianam p. 24. *C. Iulius Caesar inter primos temporis sui oratores et tragicus poeta admodum bonus habitus est.*

1. Oratio pro Sardis contra T. Albucium.

Ea est habita a. 651 (103). Vide *orat. T. Albucii* p. 270. Caesar Strabo T. Albucium, qui a. 649 (105) Sardiniam male avareque administraverat, Sardis rogantibus repetundarum postulavit, eaque causa magnam adolescens famam assecutus est.

Cic. de Offic. 2, 14. *Etiam accusatio probata persaepe est. Dixi paulo ante de Crasso, idem fecit adolescens M. Antonius. Etiam P. Sulpicii eloquentiam accusatio illustravit. Sed hoc quidem non est saepe faciendum, nec umquam nisi aut reipublicae causa, ut ii, quos ante dixi, aut ulciscendi ut duo*

Luculli, aut patrocinii ut nos pro Siculis, pro Sardis in Albucio Iulius.

Cicero Divinat. in Caecil. c. 19. *Cn. Pompeio Straboni in T. Albucium nominis deferendi potestas non est data, atque ille Cn. Pompeius ita cum C. Iulio contendit, ut tu, Caecili, mecum. quaestor enim Albucii fuerat, ut tu Verris. Iulius hoc secum auctoritatis ad accusandum T. Albucium afferebat, quod, ut hoc tempore nos ab Siculis, sic tum ille ab Sardis rogatus ad causam accesserat.*

Suetonius Caesar. 55. *Caesar genus eloquentiae, duntaxat adolescens adhuc, Strabonis Caesaris secutus videtur, cuius etiam ex oratione, quae inscribitur pro Sardis, ad verbum nonnulla transtulit in divinationem suam.*

in divinationem suam] i. e. in orationem, quam de accusatore in Dolabellam constituendo habuit.

Appuleius De Magia p. 538. ed. Oudend. *Neque gloriae causa me accusat ut M. Antonius Cn. Carbonem, C. Iulius T. Albucium, P. Sulpicius C. Norbanum, Q. Fufius Man. Aquilium, C. Curio Q. Metellum. Quippe hi omnes eruditissimi iuvenes laudis gratia primum hoc rudimentum forensis operae subibant, ut aliquo insigni iudicio civibus suis noscerentur.*

C. Iulius T. Albucium] vulgo legitur *C. Mucius A. Albucium.*
C. Norbanum] vulgo *Cn. Norbanum.*
L. Fufius Man. Aquilium] vulgo *C. Furius M. Aquilium.*

2. Oratio adversus C. Scribonium Curionem trib. pl.

Ea oratio a. 664 (90) dicta est. Multas eum illo anno, quo aedilis curulis erat, conciones habuisse, Cicero testatur in Bruto c. 89. *Reliqui, qui tum principes numerabantur, in magistratibus erant, quotidieque fere a nobis in concionibus audiebantur. Erat enim tribunus plebis tum C. Curio, quamquam is quidem silebat, ut erat semel a concione relictus, Q. Metellus*

Celer, non ille quidem orator, sed tamen non infans, diserti autem Q. Varius, C. Carbo, Cn. Pomponius, et hi quidem habitabant in rostris, Caius etiam Iulius aedilis curulis quotidie fere accuratas conciones habebat. Sed unius tautum extat fragmentum et quidem eius, quam contra Curionem trib. pl. dixit, quocum de republica vehementer dissidebat. De Curione patre infra dicemus.

Cicero Bruto 60. *Reliqua duo sunt agere et meminisse. in utroque cachinnos irridentium commovebat Curio. Motus erat is, quem et C. Iulius in perpetuum notavit, cum ex eo in utramque partem toto corpore vacillante quaesivit, quis loqueretur e lintre.*

Quintil. XI, 3, 129. *Reprehendenda et illa frequens et concitata in utramque partem nutatio, quam in Curione patre irrisit Iulius, quaerens, quis in lintre loqueretur?*

3. Oratio apud censores.

Eam dictam opinor a. 665 (89) P. Licinio Crasso et L. Iulio Caesare fratre censoribus. Argumentum incertum.

Varro de re rustica 1, 7. *Caesar Vopiscus aedilicius, causam cum ageret apud censores, campos Roseae Italiae dixit esse sumen, in quo relicta pertica postridie non appareret propter herbam.*

Aedilicius] Caesar aedilitatem gesserat anno 664 (90), et occisus est a. 667 (87), unde apparet hanc causam non alio anno nisi a. 665 (89), quo anno ii censores, quos supra nominavi, fuerunt, actam.

campos Roseae] Cicero ad Atticum 4, 15. *Reatini me ad sua τέμπη duxerunt, ut agerem causam contra Interamnates apud consulem et decem legatos, quod lacus Velinus a Manio Curio emissus interciso monte in Narem defluit, ex quo est illa siccata et humida tamen modice Rosia.* Vid. Niebuhr Hist. Rom. t. 3. p. 487.

Plinius Hist. Nat. 17, 4. *Caesar Vopiscus, cum causam apud censores ageret, campos Roseae dixit*

Italiae sumen esse, in quibus perticas pridie relictas gramen operiret; sed nonnisi ad pabulum probantur.

4. Oratio contra P. Sulpicium Rufum tribunum pl.

Ea est habita a. 666 (88), cum lis coorta esset propter petitionem extraordinariam consulatus. Vid. Ahrens Die drei Volkstribunen p. 150. Drumann t. 2. p. 482.

Asconius in Scaurianam p. 24. *Iulios cum dicit Cicero, duos Caesares fratres, Caium et Lucium, significat, ex quibus Lucius et consul et censor fuit, Caius aedilicius quidem occisus est, sed tantum in civitate potuit, ut causa belli civilis contentio eius cum Sulpicio tribuno fuerit. Nam et sperabat et id agebat Caesar, ut omissa praetura consul fieret; cui cum primis temporibus iure Sulpicius resisteret, postea nimia contentione ad ferrum et ad arma processit. Idem inter primos temporis sui oratores et tragicus poeta bonus admodum habitus est: huius sunt enim tragoediae, quae inscribuntur Iulii. Hi autem Iulii ab satellitibus Marii sunt occisi.*

Cicero Bruto c. 63. *Coniunctus igitur Sulpicii aetati P. Antistius fuit, rabula sane probabilis, qui multos cum tacuisset annos, neque contemni solum sed irrideri etiam solitus esset, in tribunatu primum contra C. Iulii illam consulatus petitionem extraordinariam veram causam agens est probatus, et eo magis, quod, eandem causam cum ageret eius collega ille ipse Sulpicius, hic plura et acutiora dicebat. Itaque post tribunatum primo multae ad eum causae, deinde omnes maximae deferebantur.*

Auctor de Haruspicum responsis c. 20. *Sulpicium ab optima causa profectum Caioque Iulio consulatum contra leges petenti resistentem longius quam voluit popularis aura provexit.*

Priscianus T. 1. p. 197. *Caesar Strabo in oratione, qua Sulpicio respondit: Deinde propinquos nostros Messallas domo deflagrata penore volebamus privare.*

Priscian. t. 1. p. 270. *Caesar Strabo contra Sulpicium tribunum plebis: Deinde propinquos nostros Messallas domo deflagrata penore volebamus privare.*

5. Oratio contra Helvium Manciam.

Causa incerta. Vide Fragmenta *Helvii Manciae* p. 329.

Cic. de Orat. 2, 66. *Valde ridentur etiam imagines, quae fere in deformitatem aut in aliquod vitium corporis ducuntur cum similitudine turpioris ut meum illud in Helvium Manciam: Iam ostendam, cuiusmodi sis. Cum ille: ostende quaeso! demonstravi digito pictum Gallum in Mariano scuto Cimbrico sub Novis distortum, eiecta lingua buccis fluentibus. Risus est commotus, nihil tam Manciae simile visum est.*

6. Oratio pro Sextilio.

Causa incerta. Caesar Strabo Sextilium in causa capitali admodum adiuverat, ut absolveretur: sed beneficii immemor Caesarem, cum proscriptus esset auxiliumque eius imploraret a. 667 (87), prodidit. Haec oratio non Caesari Straboni, sed Caesari Dictatori in edit. Caesaris Oudendorpiana T. 2. p. 846. errore tribuitur.

Valerius Max. 5, 3, 3. *Quo nimbo, qua procella verborum impium Sextilii caput obrui meretur, quod C. Caesarem, a quo cum studiose tum etiam feliciter gravissimi criminis reus defensus fuerat, Cinnanae proscriptionis tempore profugum praesidium suum in fundo Tarquiniensi cladis conditione implorare beneficii iure repetere coactum, truculento victori iugulandum tradere non exhorruit.*

Incerta.

Nonius p. 198. *Cinis feminino apud Caesarem et Catullum et Calvum lectum est.*

Caesarem] Caesarem Strabonem in tragoediis illo vocabulo usum opinor.

Velius Longus de Orthograph. p. 2244. *Lutum atque macellum singulariter exire memento, licet Memmius ista macella dicat et Caesar luta.*

Memmius] in carminibus, opinor, quorum Plinius quoque meminit in Epistolis l. 5, 3, 5.
Caesar] Iulii tragoedias significat.

LV. *L. Aelius Praeconinus Stilo.*

Eques romanus, Lanuvinus, doctrina et eruditione magis clarus quam eloquentia. Ipse magistratus non tenuit, nec foro operam dedit, sed cum rhetor esset, et multi adolescentes eum de arte oratoria praecipientem audire solerent, aliis orationes scripsit. Atque diu vixisse videtur: adolescens enim L. Coelio Antipatro et Lucilio familiaris, qui a. 651 (103) obiit, senex vero discipulos habuit Varronem et Ciceronem. Cic. Brut. c. 56. A. 654 (100). non Romae degit, sed Smyrnae moratus est, cum Q. Caecil. Metellum Numidicum in exilium comitatus esset, unde a. 655 (99) reversus est.

Suetonius De Illustr. Gramm. 2. *Instruxerunt auxeruntque ab omni parte grammaticam L. Aelius Lanuvinus generque Aelii Servius Clodius, uterque eques romanus, multique ac varii et in doctrina et in republica usus. L. Aelius cognomine duplici fuit: nam et Praeconinus, quod pater eius praeconium fecerat, vocabatur, et Stilo, quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat. Tantus optimatium fautor, ut Q. Metellum Numidicum in exilium comitatus sit.*

Cicero Brut. c. 56. *L. Aelius fuit omnino vir egregius et eques romanus cum primis honestus idemque eruditissimus et graecis literis et latinis, antiquitatisque nostrae et in inventis rebus et in actis, scriptorumque veterum literate peritus. Sed idem Aelius Stoicus esse voluit, orator autem nec studuit umquam nec fuit; scribebat tamen orationes, quas alii dicerent.*

Ibid. c. 46. *L. Aelius scriptitavit orationes multis, orator ipse numquam fuit.*

1. Oratio pro Q. Caecilio Metello Nepote, Balearici filio.

Ea causa est acta a. 657 (97). C. Scribonius Curio pater Metellum accusavit. Vide *orat. Curionis.*

Cicero Bruto c. 56. *Aelius scribebat orationes, quas alii dicerent, ut Q. Metello filio.*

Q. Metello filio] *filio* addidit, nimirum ut a patre filium distingueret. Similia exempla Eckhel affert in numis familiarum T. 5, p. 200.

2. Oratio pro Q. Servilio Caepione.

Accusavit Caepionem T. Betucius Barrus Asculanus. Vide *orat. Caepionis* p. 322.

Cicero Bruto c. 56. *Aelius scribebat orationes, quas alii dicerent, ut Q. Caepioni.*

Ibid. c. 46. *Omnium eloquentissimus extra hanc urbem T. Betucius Barrus Asculanus, cuius sunt aliquot orationes Asculi habitae, illa Romae contra Caepionem, nobilis sane, cui orationi Caepionis ore respondit Aelius.*

3. Orationes pro Q. Pompeio Rufo.

Eae scriptae videntur a. 664 (90). V. Oratt. *Q. Pompeii Rufi* p. 338.

Cic. Brut. 56. *Aelius scribebat orationes, quas alii dicerent, ut Q. Pompeio Rufo. Quamquam is etiam ipse scripsit eas, quibus pro se est usus, sed non sine Aelio.*

4. Orationes pro C. Aurelio Cotta.

Earum unam (de ceteris enim nihil constat) a. 664 (90) dictam scimus. Vide *oratt. Cottae* p. 338.

Cic. Brut. c. 56. *Cottam autem miror, summum ipsum oratorem minimeque ineptum, Aelianas leves oratiunculas voluisse existimari suas.*

Ibid. c. 56. *Cottae pro se lege Varia quae inscribitur, eam L. Aelius scripsit Cottae rogatu.*

LVI. *Q. Pompeius Rufus.*

Tribunus plebis a. 654 (100). Praetor urbanus a. 663 (91). Cic. de Orat. 1, 37. Consul a. 666 (88). Eodem anno seditione militum coorta interficitur. Erat optimatium, et dissidebat multum a P. Sulpicio Rufo

tribuno pl., quocum antea maxime fuerat coniunctus. Vid. Drumann t. 4. p. 311.

1. Orationes pro se lege Varia.

Eae orationes anno 664 (90) habitae videntur: eo enim anno iudicia exercebantur lege Varia. Asconius in Scaurianam p. 22. Cum enim optimates a Marianis velut auctores belli socialis rogatione Q. Varii tribuni pl. accusarentur, Q. quoque Pompeius in iudicium vocatus est, et orationes reliquit, quas ope L. Aelii, de quo supra diximus p. 336., scripserat.

Cic. Brut. 89. *Erat Hortensius in bello, primo anno miles, altero tribunus militum, Sulpicius legatus aberat, etiam M. Antonius. Exercebatur una lege iudicium Varia, ceteris propter bellum intermissis. Cui frequens aderam, quamquam pro se ipsi dicebant oratores, non illi quidem principes, L. Memmius et Q. Pompeius, sed oratores tamen.*

in bello] sociali.
primo anno] a. 664 (90).

Ibid. c. 56. *L. Aelius scribebat orationes, quas alii dicerent, ut Q. Pompeio Rufo; quamquam is etiam ipse scripsit eas, quibus pro se est usus, sed non sine Aelio.*

Nescio, utrum fragmentum orationum Pompeii extet, an alteri Pompeio, cuius supra facta est mentio, p. 199. sit vindicandum.

Priscian. t. 1. p. 371. *Q. Pompeius: Me miserum, quem illae feminae despicari ausae sunt!*

LVII. *C. Aurelius Cotta.*

Natus a. 630 (124). (Cic. Brut. 88.) petebat tribunatum a. 664 (90). Sed eodem anno lege Varia postulatus, depellitur tribunatu et sponte in exilium abiit, unde cum Sulla rediit a. 672 (82). Consulatum a 679 (75) adeptus est. Deinde Galliam provinciam sortitus, a. 681 (75) repentina morte extinctus est. Conf. Ellendt p. XCV.

Cicero Bruto 49. *Iisdem fere temporibus, aetate inferiores paulo quam Iulius, sed aequales propemodum fuerunt C. Cotta, P. Sulpicius, Q. Varius, Cn. Pomponius, C. Curio, L. Fufius, M. Drusus, P. Antistius, nec ulla aetate uberior oratorum foetus fuit. Ex his Cotta et Sulpicius cum meo iudicio tum omnium facile primas tulerunt.*

Ibid. c. 55. *Inveniebat acute Cotta, dicebat pure ac solute, et ut ad infirmitatem laterum perscienter contentionem omnem remiserat, sic ad virium imbecillitatem dicendi accommodabat genus. Nihil* erat *in eius oratione nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum, illudque maximum, quod, cum contentione orationis flectere animos iudicum vix posset nec omnino eo genere diceret, tractando tamen impellebat, ut idem facerent a se commoti, quod a Sulpicio concitati. — Crassum P. Sulpicius volebat imitari, Cotta malebat Antonium, sed ab hoc vis aberat Antonii, Crassi ab illo lepos.*

Ibid. c. 56. *Atque in his oratoribus* (Cotta et Sulpicio) *illud animadvertendum est, posse esse summos, qui inter se sint dissimiles: nihil enim tam dissimile quam Cotta Sulpicio, et uterque aequalibus suis plurimum praestitit.*

Ibid. c. 92. *Duo tum excellebant oratores, Cotta et Hortensius: quorum alter remissus et lenis, et propriis verbis comprehendens solute et facile sententiam, alter ornatus, acer, et verborum et actionis genere commotior.*

ibid. c. 97. *Nonne cernimus, vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles constitisse? Galba fuit inter tot aequales unus excellens, Lepidus postea, deinde Carbo; Antonius, Crassus, post Cotta, Sulpicius, Hortensius.*

Cicero Oratore c. 29. *Nihil ample Cotta, nihil leniter Sulpicius, non multa graviter Hortensius.*

Cic. de Orat. 3, 8. *Ecce praesentes duo prope aequales Sulpicius et Cotta. Quid tam inter se dissi-*

mile? quid tam in suo genere praestans? Limatus Cotta et subtilis, rem explicans propriis aptisque verbis. Haeret in causa semper, et quid iudici probandum sit, cum acutissime vidit, omissis ceteris argumentis in eo mentem orationemque defigit.

Asconius in Cornelianam p. 66. *Cotta magnus orator habitus et compar in ea gloria P. Sulpicio et C. Caesari.*

C. Caesari] Straboni, de quo supra locuti sumus.

Cotta paucas orationes scriptas reliquit, et miratur Cicero, quod non ipse orationes suas scripsit, sed L. Aelio id mandare solebat.

Cicero Oratore c. 38. *Uterer exemplis domesticis, nisi ea legisses; uterer alienis, vel latinis, si ulla reperirem, vel graecis, si deceret. Sed Crassi perpauca sunt, nec ea iudiciorum; nihil Antonii, nihil Cottae, nihil Sulpicii.*

Cicero Bruto c. 56. *Cottam miror, summum ipsum oratorem minimeque ineptum, Aelianas leves oratiunculas voluisse existimari suas.*

1. Oratio pro P. Rutilio Rufo.

Ea dicta est a. 662 (92). Cotta adolescens P. Rutilium Rufum avunculum in celeberrima causa, de qua supra diximus p. 266., defendit.

Cicero in Bruto c. 30. *Rutilius cum innocentissimus in iudicium vocatus esset, cum essent eo tempore eloquentissimi viri L. Crassus et M. Antonius consulares, eorum adhibere neutrum voluit. Dixit ipse pro se, et pauca C. Cotta, quod sororis erat filius, et is quidem ut orator, quamquam erat admodum adolescens.*

Cic. De Orat. 1, 53. *Rutilius paullum Cottae tribuit partium, disertissimo adolescenti, sororis suae filio.*

2. Oratio pro se lege Varia.

Ea habita est a. 664 (90). Cotta lege Varia, quae

contra optimates tamquam auctores belli socialis saeviit, accusatus est, et condemnationem exilio voluntario effugit. Cic. de Orat. 3, 3, 11. Brut. 88.

Cic. Brut. 56. *Cottae oratio pro se lege Varia quae inscribitur, eam L. Aelius scripsit Cottae rogatu.*

3. Oratio contra Arretinam mulierem.

Acta est causa a. 675 (79). Conf. Ellendt p. XCVI. Drumann t. 5. p. 245. Causa liberalis i. e. in qua de libertate rei agitur. Mulier quaedam Arretina rea: Cotta liberam eam esse negavit, Cicero autem libertatem eius defendit.

Cic. pro Caecina 33. *Ego hanc adolescentulus causam, cum agerem contra hominem disertissimum nostrae civitatis, Cottam, probavi. Cum Arretinae mulieris libertatem defenderem et Cotta decemviris religionem iniecisset non posse nostrum sacramentum iustum iudicari, quod Arretinis adempta civitas esset, et ego vehementius contendissem, civitatem adimi non potuisse: decemviri prima actione non iudicaverunt, postea re quaesita et deliberata sacramentum nostrum iustum iudicaverunt, atque hoc et contradicente Cotta et Sulla vivo iudicatum est.*

4. Oratio pro Cn. Dolabella contra C. Iulium Caesarem.

Ea causa acta est a. 677 (77). Vid. *orat. Caesaris.* Drumann t. 3. p. 134. Hortensius quoque reum defendit.

Valerius Max. 8, 9, 3. *Divus Iulius vim facundiae proprie expressit, dicendo in accusatione Cn. Dolabellae, quem reum egit, extorqueri sibi causam optimam C. Cottae patrocinio, si quidem maxima tum vis eloquentiae questa est.*

Cicero Bruto c. 92. *Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent, Cotta et Hortensius. Cum Hortensio mihi magis arbitrabar rem esse, quod et dicendi ardore eram propior et aetate coniunctior. Etenim videram in iisdem causis ut pro M. Canuleio,*

pro Cn. Dolabella consulari, cum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partes Hortensium.

5. Oratio pro M. Canuleio.

Pighius scribit T. 3. p. 287, M. Canuleium repetundarum accusatum esse a. 677 (77), Drumannus autem t. 3. p. 84 sq., ante a. 676 (78) hanc causam actam opinatur. Pro Canuleio dixere Cotta et Hortensius.

Cicero Brut. c. 92. *Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent, Cotta et Hortensius, quorum alter remissus et lenis et propriis verbis comprehendens solute et facile sententiam, alter ornatus, acer, et verborum et actionis genere commotior. Itaque cum Hortensio mihi magis arbitrabar rem esse, quod et dicendi ardore eram propior et aetate coniunctior. Etenim videram in iisdem causis ut pro M. Canuleio, pro Cn. Dolabella consulari, cum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partes Hortensium.*

6. Oratio consularis.

Orationem Cottae, in consulatu a. 679 (75) habitam, finxit Salustius. Vide edit. Orellianam p. 167. Multas praeterea in consulatu orationes habuit, praesertim cum leges novas promulgasset. v. Drumann t. 3. p. 86.

7. Oratio pro Titinia.

Ellendt scribit p. XCVI: *Cotta Titiniae cum Cicerone affuit in iudicio privato vel maximo, cum Curio pro petitore diceret Ser. Naevio. Cic. Brut.* 60. Errat vir doctissimus: in loco enim Ciceronis nullum extat verbum, ex quo appareat, Cottam in ea causa oravisse.

8. Orationes pro Cn. Veturio.

Charisius p. 131: *Sponte* nomen quidem et aptoton, et eo q. *C. Cotta Cn. Veterio libro primo: t . . . plus hic cum optimis, tu de tua sponte hic cum religione.*

Cn. Veterio] legendum videtur: *C. Cotta pro Cn. Veturio.* Pulschius legit p. 195. *C. Cotta pro Cn. Veterio.* Ellendt autem p. XCVII. non hunc Cottam Veterii patronum fuisse scribit, sed de Messalino Cotta, Corvini filio, cogitandum putat. Non assentior.

Nonius p. 149. *Plebitatem* ignobilitatem. *Cato pro Veturio: propter tenuitatem atque plebitatem.*

Cato pro Veturio] legendum esse *Cotta pro Veturio*, supra diximus pag. 66 et 142.

9. Oratio de legibus suis abrogandis.

Duebnerus in editione sua Fragmentorum meorum p. 280 scribit: *Addit Eggerus Cic. Or. p. Cornelio fragm.* 8. *Possum dicere, hominem summa prudentia, C. Cottam, de suis legibus abrogandis ipsum ad senatum retulisse.* Quodsi ex his verbis colligi potest (quod dubito), Cottam orationem ea de re memoriae mandasse, nescio an in consulatu a. 679 (75) ea sit dicta. Sed quae fuerint leges, de quibus abrogandis ad senatum retulisset, incertum est, atque adeo Asconius quoque in ea re haesitavit, ut ex iis apparet, quae ad Cornelianam p. 66 adnotavit. Conf. Drumann t. 3. p. 86.

LVIII. *P. Sulpicius Rufus.*

Natus a. 630 (124), eodem anno quo Cotta. Nam in Bruto 88. decem annis Hortensio maior dicitur, qui anno 640 (114) natus est. Quaestor a. 661 (93). Tribunus plebis a. 666 (86), quo in magistratu pro Mario contra Sullam stetit. Eodem anno a Sulla occiditur. Liv. Epit. 66. 77. Vid. *Ahrens Die drei Volkstribunen Tib. Gracchus, M. Livius Drusus, P. Sulpicius Rufus. Leipzig* 1836.

Cicero Bruto 49. *Iisdem fere temporibus, aetate inferiores paulo quam Iulius, sed aequales propemodum fuerunt C. Cotta, P. Sulpicius, Q. Varius, Cn. Pomponius, C. Curio, L. Fufius, M. Drusus, P. Antistius, nec ulla aetate uberior oratorum fetus*

fuit. Ex his Cotta et Sulpicius cum meo iudicio tum omnium facile primas tulerunt.

Ibid. c. 55. *Fuit Sulpicius vel maxime omnium, quos quidem ego audiverim, grandis et, ut ita dicam, tragicus orator. Vox cum magna tum suavis etsplendida, gestus et motus corporis ita venustus, ut tamen ad forum, non ad scenam institutus videretur, incitata et volubilis, nec ea redundans tamen nec circumfluens oratio. Crassum hic volebat imitari, Cotta malebat Antonium; sed ab hoc vis aberat Antonii, Crassi ab illo lepos.*

ibid. c. 97. *Nonne cernimus vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles constitisse? Galba fuit inter tot aequales unus excellens, Lepidus postea, deinde Carbo; Antonius, Crassus; post Cotta, Sulpicius.*

Cic. de Orat. 3, 8. *Ecce praesentes duo prope aequales Sulpicius et Cotta; quid tam inter se dissimile? quid tam in suo genere praestans? Sulpicius fortissimo quodam animi impetu, plenissima et maxima voce, summa contentione corporis et dignitate motus, verborum quoque ea gravitate et copia est, ut unus ad dicendum instructissimus a natura esse videatur.*

Auctor de Harusp. Resp. 1. 19. *Nam quid ego de P. Sulpicio loquar? cuius tanta in dicendo gravitas, tanta iucunditas, tanta brevitas fuit, ut posset, vel ut prudentes errarent, vel ut boni minus bene sentirent, perficere dicendo.*

Vellcius 2, 9. *Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Aemilianus Laeliusque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Papirius Carbo, nec praetereundus Metellus Numidicus et Scaurus, et ante omnes L. Crassus et M. Antonius. Quorum aetati ingeniisque successere C. Caesar Strabo, P. Sulpicius.*

Ausonii Gratiarum actio p. 727. *Et aliqua de oratoriis tuis virtutibus dicerem, nisi vererer mihi gratificari. Non enim Sulpicius acrior in concionibus nec maioris Gracchi commendabilior modestia fuit nec patris tui gravior auctoritas.*

Sulpicius] verisimile est, ad Publium Sulpicium, non ad Servium Sulpicium referenda esse haec verba, cum in concionibus P. Sulpicius longe excelleret, eique hoc ipsum eloquentiae genus plurimum ab omnibus scriptoribus vindicetur.

Orationes.

Sulpicius etsi celeberrimus erat orator, nullam orationem scriptam reliquisse fertur. Sed extabant orationes sub nomine Sulpicii vulgo habitae, verum a. Canutio, de quo infra dicemus, compositae.

Cicero Bruto c. 56. *Sulpicii orationes quae feruntur, eas post mortem eius scripsisse P. Canutius putatur, aequalis meus, homo extra ordinem nostrum meo iudicio disertissimus. Ipsius Sulpicii nulla oratio est, saepeque ex eo audivi, cum se scribere neque consuesse neque posse diceret.*

extra ordinem nostrum] i. e. extra ordinem senatorium. Similiter c. 48. *acutissimum iudico nostri ordinis Q. Sertorium, equestris C. Gargonium.* De Offic. 2, 18, 63.

Cicero Oratore c. 38. *Uterer exemplis domesticis, nisi ea legisses; uterer alienis, vel latinis, si ulla reperirem, vel graecis, si deceret. Sed Crassi perpauca sunt nec ea iudiciorum, nihil Antonii, nihil Cottae, nihil Sulpicii.*

1. Oratio . . .

Ea oratio a. 659 (95) dicta videtur. Argumentum incertum.

Cic. de Orat. 2, 21. *Sulpicium primum in causa parvula adolescentulum audivi, voce et forma et motu corporis et reliquis rebus aptis ad hoc munus, oratione autem celeri et concitata, quod erat ingenii, et verbis effervescentibus et paulo nimium redundantibus, quod erat aetatis. Vidi statim indolem neque dimisi tempus et eum sum cohortatus, ut forum sibi ludum putaret esse ad discendum, magistrum autem, quem vellet, eligeret, me quidem si audiret, L. Crassum. Vix annus intercesserat ab hoc sermone*

cohortationis meae, cum iste accusavit C. Norbanum defendente me.

2. Oratio contra C. Norbanum.

Ea causa acta est a. 660 (94). Sulpicius C. Norbanum, hominem seditiosum, lege Appuleia de maiestate accusavit. Sed Antonius eum defendit et servavit. Vid. *Antonii orat* p. 287.

Cic. de Orat. 2, 21. *Sulpicius accusavit C. Norbanum defendente me. Non est credibile, quid interesse mihi sit visum inter eum qui tum erat, et qui anno ante fuerat. Omnino in illud genus eum Crassi magnificum atque praeclarum natura ipsa ducebat, sed ea non satis proficere potuisset, nisi eodem studio atque imitatione intendisset, atque ita dicere consuesset, ut tota mente Crassum atque omni animo intueretur.*

Ibid. 2, 47, 197. *Quamquam te quidem, Sulpici, quid hoc doceam, qui in accusando sodali meo tantum incendium non oratione solum sed etiam multo magis vi et dolore et ardore animi concitaras, ut ego ad id restinguendum vix conarer accedere? Habueras enim tu omnia in causa superiora, vim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribunitiam in Caepionis gravi miserabilique casu in iudicium vocabas, deinde principem et senatus et civitatis, M. Aemilium, lapide percussum esse constabat, vi pulsum ex templo L. Cottam et T. Didium, cum intercedere vellent rogationi, nemo poterat negare. Accedebat, ut haec tu adolescens pro republica queri summa cum dignitate existimarere, ego, homo censorius, vix satis honeste viderer seditiosum civem et in hominis consularis calamitate crudelem posse defendere. Erant optimi cives iudices, bonorum virorum plenum forum, vix ut mihi tenuis quaedam venia daretur excusationis, quod tamen eum defenderem, qui mihi quaestor fuisset.*

Cic. de Offic. 2, 14. *Etiam P. Sulpicii eloquen-*

tiam accusatio illustravit, cum seditiosum et inutilem civem, C. Norbanum, in iudicium vocavit.

Quintilianus 12, 7, 4. *Principes in republica viri non detrectaverunt hanc officii partem*, (i. e. accusare malos) *creditique sunt etiam clari iuvenes obsidem reipublicae dare malorum civium accusationem, quia nec odisse improbos nec simultates provocare nisi ex fiducia bonae mentis videbantur. Idque cum ab Hortensio, Lucullis, Sulpicio, Cicerone, Caesare, plurimis aliis, tum ab utroque Catone factum est.*

Sulpicio] de hoc loco dixi in dissertatione, quae edita est in Zimmermanni Zeitschrift f. Alterthum 1836. N. 39. Zumpt autem atque Bonnell in lexico Quintilianeo Servium Sulpicium Rufum, aequalem Ciceronis, de quo infra dicetur, intelligunt.

Appuleius in Apologia p. 538. *Neque autem gloriae causa me accusat ut M. Antonius Cn. Carbonem, C. Iulius T. Albucium, P. Sulpicius C. Norbanum, L. Fufius Man. Aquillium, C. Curio Q. Metellum. Quippe hi omnes eruditissimi iuvenes laudis gratia primum hoc rudimentum forensis operae subibant, ut aliquo insigni iudicio civibus suis noscerentur.*

3. Orationes tribunitiae.

Eae habitae anno 666 (86). Multas turbas excitavit, multasque leges promulgavit.

Cic. Brut. 89. *P. Sulpicii in tribunatu quotidie concionantis totum genus dicendi penitus cognovimus.*

4. Oratio contra C. Iulium Caesarem Strabonem.

Ea est dicta a. 666 (86). Vid. *oratio Caesaris Strabonis adversus Sulpicium trib. pl.* p. 334. Cic. Brut. c. 63. De Harusp. resp. 20. Asconius in Scaurianam p. 24.

LIX. *C. Scribonius Curio.*

De C. Scribonio Curione avo supra locuti sumus p. 252., nunc de Curione patre dicendum. Natus anno circiter 630 (124), quaesturam a. 659 (95), tribunatum a. 664

(90), praeturam a. 673 (81), consulatum a. 678 (76) gessit. Ex consulatu Macedoniam per triennium rexit. Mortuus est a. 701 (53). Ellendt p. XCVIII.

Cicero in Bruto c. 49. *Iisdem fere temporibus, aetate inferiores paulo quam Iulius, sed aequales propemodum fuerunt C. Cotta, P. Sulpicius, Q. Varius, Cn. Pomponius, C. Curio, L. Fufius, M. Drusus, P. Antistius, nec ulla aetate uberior oratorum fetus fuit. Ex his Cotta et Sulpicius facile primas tulerunt.* c. 58. *Erant tamen, quibus videretur illius aetatis tertius Curio, quia splendidioribus fortasse verbis utebatur et quia latine non pessime loquebatur, usu, credo, aliquo domestico: nam literarum admodum nihil sciebat.* c. 59. *Nullum ille poetam viderat, nullum legerat oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat, non publicum ius, non privatum et civile cognoverat. — Itaque in Curione hoc verissime iudicari potest, nulla re una magis oratorem commendari quam verborum splendore et copia: nam cum tardus in cogitando, tum in instruendo dissipatus fuit. Reliqua duo sunt agere et meminisse: in utroque cachinnos irridentium commovebat.* c. 61. *Itaque cum ei nec officium deesset et flagraret studio dicendi, perpaucae ad eum causae deferebantur. Orator autem vivis eius aequalibus proximus optimis annumerabatur propter verborum bonitatem, ut ante dixi, et expeditam ac profluentem quodammodo celeritatem. Itaque eius orationes adspiciendas tamen censeo. Sunt illae quidem languidiores, verum tamen possunt augere et quasi alere id bonum, quod in illo mediocriter fuisse concedimus, quod habet tantam vim, ut solum sine aliis in Curione speciem oratoris alicuius effecerit.*

Scholia Bobiensia in Orat. in Clodium et Curionem p. 330. *Tres illis temporibus Curiones illustri nomine extiterunt, atque ita in* l i b r i s a d h u c f e r u n t u r; *Curio avus, qui Servium Fulvium incesti reum defendit, et hic C. Curio pater, qui P. Clodio adfuit, et*

tertius ille Curio tribunicius, qui bello civili Pompeiano in Africa periit.

1. Oratio in Q. Caecilium Metellum Nepotem, Balearici filium.

Ea causa acta fertur a. 657 (97). Pighius T. 3. p. 189. Q. Caecilius Metellus Nepos, Balearici filius, qui anno 656 (98) consul fuerat, a Curione patre postulatus est. Conf. orat. Aelii p. 336.

Asconius in Cornelianam p. 63. *Illud primum explicandum est, de quo Metello hoc dicit. Fuerunt enim tunc plures Quinti Metelli, ex quibus duo consulares, Pius et Creticus, de quibus apparet eum non dicere, duo autem adolescentes, Nepos et Celer, ex quibus nunc Nepotem significat. Eius enim patrem, Q. Metellum Nepotem, Balearici filium, Macedonici nepotem, qui consul fuit cum T. Didio, Curio is, de quo loquitur, accusavit, isque Metellus moriens petiit ab hoc filio suo Metello, ut Curionem, accusatorem suum, accusaret, et id facturum esse iure iurando adegit.*

Appuleius de Apologia p. 538 ed. Oudend. *Neque autem gloriae causa me accusat, ut M. Antonius Cn. Carbonem, C. Iulius T. Albucium, P. Sulpicius C. Norbanum, L. Fufius Man. Aquillium, C. Curio Q. Metellum, quippe hi omnes eruditissimi iuvenes laudis gratia primum hoc rudimentum forensis operae subibant, ut aliquo insigni iudicio civibus suis noscerentur.*

2. Oratio contra C. Iulium Caesarem Strabonem.

Ea est dicta a. 664 (90). Curio tribunus plebis erat, Caesar aedilis curulis. Cic. Brut. c. 89. Conf. *oratio Caesaris Strabonis* p. 332.

Cicero Bruto c. 60. *Reliqua duo sunt agere et meminisse: in utroque cachinnos irridentium commovebat Curio. Motus erat is, quem et C. Iulius in perpetuum notavit, cum ex eo in utramque partem*

toto corpore vacillante quaesivit: quis loqueretur e lintre.

Quintil. XI, 3, 129. *Reprehendenda et illa frequens et concitata in utramque partem nutatio, quam in Curione patre irrisit Iulius, quaerens, quis in lintre loqueretur?*

nutatio] haec actio vitiosa et ridicula cognomen Curioni Burbuleii, ignobilis tunc temporis histrionis, contraxit. Valer. Max. 9, 14, 5. vid. Ellendt p. XCVIII.

3. Oratio pro Cossis fratribus contra M. Antonium.

Haec causa centumviralis ante annum certe 667 (87), quo anno M. Antonius orator periit, dicta. alioquin prorsus ignota. v. orat. Antonii p. 291.

Cic. de Orat. 2, 23. Antonius loquitur: *Nec vester* (Caesar et Cotta) *aequalis Curio, patre mea sententia vel eloquentissimo temporibus illis, quemquam mihi magno opere videtur imitari, qui tamen verborum gravitate et elegantia et copia suam quandam expressit quasi formam figuramque dicendi, quod ego maxime iudicare potui in ea causa, quam ille contra me apud centumviros pro fratribus Cossis dixit, in qua nihil illi defuit, quod non modo copiosus sed etiam sapiens orator habere deberet.*

4. Oratio adversus Cn. Sicinium tribunum pl.

Causa est acta a. 678 (76).

Cic. Bruto c. 60. *Motus Curionis erat is, quem Iulius in perpetuum notavit, et Cn. Sicinius, homo impurus, sed admodum ridiculus, neque aliud in eo oratoris simile quidquam: is enim cum tribunus plebis Curionem et Octavium consules produxisset, Curioque multa dixisset sedente Cn. Octavio collega, qui devinctus erat fasciis et multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus, Nunquam, inquit, Octavi, collegae tuo gratiam referes, qui nisi se suo more iactavisset, hodie te istic muscae comedissent.*

Quintil. XI, 3, 129. *Reprehendenda illa frequens*

et concitata in utramque partem nutatio, quam in Curione patre irrisit et Iulius et Sicinius: nam cum assidente collega, qui erat propter valetudinem et deligatus et plurimis medicamentis delibutus, multum se Curio ex more iactasset, Numquam, inquit, Octavi, collegae tuo gratiam referes, qui nisi fuisset, hodie te istic muscae comedissent.

5. Oratio pro P. Clodio Pulchro incestus.

Causam Clodii defendit a. 692 (62).

Scholia Bobiensia in orat. in Clodium et Curionem p. 330. *Reus de incesto factus est P. Clodius accusante L. Lentulo, defendente C. Curione patre.*

6. Oratio adversus Ciceronem.

Ea in senatu videtur dicta anno 693 (61). Orationi Curionis respondit Cicero in oratione quae inscripta est: *In P. Clodium et Curionem.* Conf. Drumann t. 2. p. 245. Spalding autem ad Quintilianum 3, 7, 2. dubitaverat, utrum contra Curionem patrem an contra filium eam dixerit Cicero atque Ellendt p. C. filium intelligendum putat. Sed Scholia Bobiensia veritatem aperuere in orat. in Clodium et Curionem p. 329. 330. 331.

7. Oratio pro Sergio Naevio.

Causa privata. Sergius Naevius Titiniam Cottae uxorem fecit ream. Pro accusatore dixit Curio, pro rea Cicero.

Cicero Brut. 60. *Curio memoria ita fuit nulla, ut aliquoties, tria cum proposuisset, aut quartum adderet aut tertium quaereret, qui in iudicio privato vel maximo, cum ego pro Titinia Cottae peroravissem, ille contra me pro Sergio Naevio diceret, subito totam causam oblitus est, idque veneficiis et cantationibus Titiniae factum esse dicebat.*

Cicero in Oratore c. 38. *Magno semper usi impetu saepe adversarios de statu omni deiecimus. Nobis pro familiari reo summus orator non respondit Hortensius. A nobis homo audacissimus Catilina in*

senatu accusatus obmutuit. Nobis privata in causa magna et gravi, cum coepisset Curio pater respondere, subito assedit, cum sibi venenis ereptam memoriam diceret.

8. Oratio in Cn. Pompeium Magnum.

Ea oratio in senatu, opinor, habita a. 695 (59).

Suetonius in Caesare c. 50. *Caesarem pronum et sumtuosum in libidines fuisse, constans opinio est, plurimasque et illustres feminas corrupisse, in quibus Postumiam Servii Sulpicii, Lolliam Auli Gabinii, Tertullam M. Crassi, etiam Cn. Pompeii Muciam. Nam certe Pompeio et a Curionibus, patre et filio, et a multis exprobratum est, quod, cuius causa post tres liberos exegisset uxorem, et quem gemens Aegisthum appellare consuesset, eius postea filiam potentiae cupiditate in matrimonium recepisset.*

Pompeio] Caesar a. 695 (59) Iuliam filiam Pompeio in matrimonium dedit. Ea res multos offendebat, Ciceronem, Catonem, Curionem patrem et filium. Drumann t. 3. p. 203.

Coniiciunt quidam, eidem orationi vindicandum esse dictum quoddam, quod apud Claudium Sacerdotem p. 38 ed. Endlich. extat: *Per similitudinem dictum est de Pompeio, qui coloris erat rubei, sed animi inverecundi: quem non pudet et rubet, non est homo, sed ropio — ropio autem est aut minium aut piscis robeus, aut penis.*

9. Oratio in C. Iulium Caesarem.

Curio Caesaris adversarius, cum alias tum a. 695 (59), quo anno Bibulus consul a Caesare collega vehementer irrideri solebat, acerbas orationes contra eum habuisse videtur.

Suetonius in Caesare c. 49. *Praetereo actiones Dolabellae et Curionis patris, in quibus Caesarem Dolabella pellicem reginae, spondam interiorem regiae lecticae, et Curio stabulum Nicomedis et Bithynicum fornicem dicunt.*

Ibid. c. 52. *Ac ne cui dubium sit, et impudicitiae*

eum (Caesarem) *et adulteriorum flagrasse infamia, Curio pater quadam eum oratione omnium mulierum virum et omnium virorum mulierem appellat.*

Ibid. c. 9. *Meminerunt huius coniurationis* (Caesaris cum M. Crasso consulari, item P. Sulla et Autronio) *Tanusius Geminus in historia, M. Bibulus in Edictis, C. Curio pater in orationibus. — Convenisse autem, Curio ait, ut togam de humero deiiceret. Idem Curio, sed et M. Actorius Naso auctores sunt, conspirasse eum etiam cum Cn. Pisone adolescente, cui ob suspicionem urbanae coniurationis provincia Hispania ultro extra ordinem data sit, pactumque, ut simul foris ille, ipse Romae ad res novas consurgerent per Lambranos et Transpadanos; destitutum utriusque consilium morte Pisonis.*

coniurationis] Ea in annum 687 (67) cadit. Drumann t. 3. p. 143.
Lambranos] i. e. accolas Lambrani, fluvii Galliae Cisalpinae. Mannert Italien T. 1. p. 211. Alii nomen corruptum putant.

Incerta.

Priscian. t. 1. p. 371. *Curio pater*: *Nusquam demolitur, nusquam exoneratur pecunia* — demolitur passive dixit.

nusquam] tres codd. Krehlii *numquam*.

LX. C. Papirius Carbo Arvina.

C. Papirium Carbonem patrem supra (p. 211.) habuimus, qui a L. Crasso oratore a. 635 (119) in iudicium postulatus damnationem morte voluntaria effugit. Carbo pater homo popularis erat et cum Gracchis coniunctissimus, ideoque optimatibus invisus. Carbo autem filius optimatibus erat deditus pro iisque stetit, (Cic. ad famil. 9, 21, 3.) ideoque a factione Marianorum a. 672 (82) occisus. Cic. Brut. 90, 311. De Orat. 3, 3, 10. Eum tribunum plebis a. 663 (91) fuisse atque collegam M. Livii Drusi, in editione priore falso tradideram: Pighius quoque atque Zumpt errant, qui tribunatum eius a. 665 (89) assignant. Neutrum mihi enim nunc placet, atque

a. 664 (90) tribunum fuisse credo: Cicero enim in Bruto c. 89 sic scribit: *Exercebatur una lege Varia iudicium ceteris propter bellum intermissis. Erat Hortensius in bello, primo anno miles, altero tribunus militum; Sulpicius legatus aberat, etiam M. Antonius. Reliqui, qui tum principes numerabantur, in magistratibus erant; erat enim tribunus pl. tum C. Curio, Q. Metellus Celer, diserti autem Q. Varius, C. Carbo, Cn. Pomponius, et hi quidem habitabant in rostris. C. etiam Iulius aedilis curulis quotidie fere accuratas conciones habuit.* — His verbis annus 664 (90) significatur, cum constet, cunctos hos viros illo anno magistratus fuisse: idem elucet ex iis, quae Cicero subiecit: *Iam consequente anno* (a. 665) *Q. Varius sua lege damnatus excesserat. — Atque huic anno proximus* (a. 666) *Sulla consule et Pompeio fuit.*

Cic. Bruto c. 62. *In eodem igitur numero eiusdem aetatis* (cum Curione patre, Cotta, Sulpicio, Pomponio) *C. Carbo fuit, illius eloquentissimi viri filius, non satis acutus orator, sed tamen orator numeratus est: erat in verbis gravitas, et facile dicebat et auctoritatem naturalem quandam habebat oratio.*

C. Carbo] aemulabatur Crassum oratorem, sed frustra. Unde illud dictum, quod in Claudii Sacerdotis Arte l. 1. p. 38 refertur: *Dictum est de Carbone, qui mortuo Crasso homine felice, inimico suo, antea obscurus, florere coepit: postquam Crassus carbo factus est, id est, periit, Carbo crassus factus est, id est, res ante mortua revixit, ad florem pervenit.*

Ibid. c. 90, 308. *Triennium fere* (a. 668, 669, 670) *fuit urbs sine armis, sed oratorum aut interitu aut discessu aut fuga primas in causis agebat Hortensius, magis magisque quotidie probabatur Antistius, Piso saepe dicebat, minus saepe Pomponius, raro Carbo, semel aut iterum Philippus. — Tumultus interim pro recuperanda republica* (a. 671) *et crudelis interitus oratorum trium Scaevolae, Carbonis, Antistii* (a. 672).

1. Oratio tribunicia.

Ea dicta est a. 664 (90). Locus qui extat, ex ea parte orationis sumtus, in qua M. Livium Drusum filium, anno praecedente interfectum, iure occisum esse testatus est.

Cicero in Oratore 63, 213. *Me stante C. Carbo C. f. tribunus pl. in concione dixit: O. Marce Druse, (patrem appello) tu dicere solebas, sacram esse rem publicam; quicumque eam violavissent, ab omnibus esse ei poenas persolutas. Patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit.*

me stante] i. e. me adstante, me audiente. Cic. Brut. 89. *Reliqui, qui tum principes numerabantur, in magistratibus erant, quotidieque fere a nobis in concionibus audiebantur. Erat enim tum tribunus pl. C. Curio, Q. Metellus Celer, diserti autem Q. Varius, C. Carbo, Cn. Pomponius. et hi quidem habitubant in rostris.* Illo anno, quo oratio est dicta, Cicero sedecim annos erat natus. Hoc fragmentum in Onomastico Tulliano Carboni patri tribuitur, quod verum esse nego, cum Carbo pater diem obiverit, antequam Cicero esset natus.

patrem] M. Drusus pater a. 633 (121) C. Gracchum iure interfectum esse dixit: Carbo idem dictum repetivit, cum Drusus filius, qui pariter atque Gracchus novas res moliebatur, occideretur.

LXI. *Claudius.*

Extat fragmentum corruptissimum apud Nonium p. 208: *Horrea genere neutro, ut saepe; feminino, Claudius oratione in Quintium Gallum: Quarum iaceni murena ulla horrea curiaque et tabularias publicae. Eiusdem generis tabularias et horrias dixit.*

Quaeritur, quis sit Claudius. In edit. priore Q. Claudio Quadrigario ea verba tribuebam, sed incertum est, an umquam fuerit orator reliqueritque orationes. Sunt quidem inter fragmenta Annalium Claudii haud pauca oratoria, nec tamen ex veris orationibus, sed ex iis decerpta puto, quas ipse finxit et pariter atque ceteri historici annalibus inserere solebat. Quapropter falsum

iudico, quod Ulrici tradidit Historiographie p. 115. Alius fortasse Claudium imperatorem intelligendum putet, alius Appium Claudium Caecum, oratorem antiquissimum, alius Appium Claudium Pulchrum, vel Claudium Marcellum, aequales Ciceronis. Sed Nonii verba emendanda potius existimo: *Calidius in oratione in Quintum Gallium.* Calidii enim, summi oratoris, in Q. Gallium actio fuit celeberrima, ut infra videbimus.

LXII. *L. Cornelius Sisenna.*

Conscripsit L. Cornelii Sisennae, historici romani, vitam Car. Lud. Roth. Basileae 1834. De anno natali dissentiunt scriptores. Weichert in Poet. lat. Rel. p. 99. Sisennam anno 604 s. 605 natum scribit. Sed Madwigius eum refellit in Opusculis suis p. 100. atque Ellendt p. CII., Westermann p. 228. Krause in Vitis Historicorum p. 300., Roth et Orellius in *Onomastico* anno 634 s. 635 natum putant; probabili sane ratione, ex qua anno legitimo, anno aetatis quadragesimo, praeturam urbanam et peregrinam obtinuit, nempe anno 675 (79), cuius rei testis est inscriptio quaedam. Atque ipse Cicero annum 635 indicare videtur, ut mox dicemus. Anno 677 (77) provinciam Siciliam administravit. Pompeii legatus et Graeciae praefectus a. 687 (67); eodem anno in Creta, quo fuerat cum exercitu missus, decessit, anno LII. aetatis. Appian in Mithridat. 95. Dio Cass. 36, 2.

An orationes scriptas reliquerit, incertum. Supersunt tamen fragmenta quaedam oratoria, quae libris historiarum inserta erant, sed eae non verae orationes esse videntur, sed in historiarum usum compositae. Attamen causas novimus, quas egerat Sisenna, earumque faciemus mentionem. In edit. priore fragmenta quatuor Sisennae receperam, quae nunc omisi, cum ex historia eius, non ex orationibus sumta videantur.

Cicero Bruto c. 64. *Inferioris aetatis proximus erat L. Sisenna, doctus vir et studiis optimis deditus, bene latine loquens, gnarus reipublicae, non sine facetiis, sed neque laboris multi nec satis versatus*

in causis, interiectusque inter duas aetates Hortensii et Sulpicii nec maiorem consequi poterat et minori necesse erat cedere. Huius omnis facultas ex historia ipsius perspici potest, quae cum facile vincat omnes superiores, tum indicat tamen, quantum absit a summo quamque genus hoc scriptionis nondum sit satis latinis litteris illustratum.

inferioris aetatis] Sisenna minor erat natu quam Sulpicius et Cotta, qui a. 630 (124) nati sunt. Ex hoc igitur loco patet, Weichertum de anno natali Sisennae errasse, Rothium autem ceterosque verum coniecisse. Sisenna minor erat quinquennio quam Sulpicius, qui a. 630 (124) natus est, maior quinquennio quam Hortensius, qui a. 640 (114) natus est: igitur inter duas aetates Sulpicii et Hortensii interiectus, a. 635 (119) natus est.

maiorem] Sulpicium.

minori] Hortensio.

Cic. de Legibus 1, 2, 7. *Sisenna omnes adhuc nostros scriptores facile superavit. Is tamen neque orator in numero vestro unquam est habitus, et in historia puerile quiddam consectatur.*

1. Oratio pro C. Rutilio contra C. Rusium.

Argumentum incertum.

Cic. Brut. c. 74. *Sisenna quasi emendator sermonis usitati cum esse vellet, ne a C. Rusio quidem accusatore deterreri potuit, quo minus inusitatis verbis uteretur. C. Rusius fuit accusator vetus, quo accusante C. Rutilium Sisenna defendens dixit, quaedam eius sputatilica esse crimina. Tum C. Rusius, circumvenior, inquit, iudices, nisi subvenitis. Sisenna quid dicat nescio: metuo insidias. Sputatilica, quid est hoc? sputa quid sit scio, tilica nescio.*

C. Rusio] *C. Erucio* Pighius, item Weichert in Opusculis p. 101., qui eundem hominem intelligit, quem Cicero apud Quintilianum 8, 3, 22. Erucium Antoniastrum appellat.

C. Rutilium] nullus codex *C. Rutilium*, pene omnes *Chirtilium*. Atque Ellendtio (Iahnii Annal. nov. 1836 p. 261) placet, si scribatur *C. Hirtilium* vel simpliciter *Hirtilium*. Duebner.

2. Oratio pro C. Verre.

Sisenna cum Hortensio defendit C. Verrem adversus Ciceronem a. 684 (70). Cic. Verr. Accusat. 2, 45, 110 et 4, 20, 43.

LXIII. et LXIV. *L. et M. Luculli.*

L. Licinius Lucullus anno circiter 637 (117) natus: longe enim maior natu erat quam Pompeius. Plut. Lucull. 36. Pomp. 31. Exercitui Sullae interfuit inde ab anno 664 (90), in bello Marsico, deinde in bello Mithridatico, nec ante annum 674 (80) ex Asia Romam rediit. Aedilis curulis a. 675 (79). Praetor a. 677 (77). Consul a. 680 (74); quo anno bellum ei contra Mithridatem regem mandatur, unde a. 688 (66) invitus reversus est, cum Pompeius sibi succederet. Mortuus est a. 698 (56). In Onomastico Tull. legitur: Mortuus est paulo post a. 697 (57), assentiente Madwigio in Praef. ad Cic. de finibus p. LXI. Vid. de hoc viro Cicero Academ. Prior. lib. 2, 1. Drumann t. 4. p. 120—174.

M. Licinius Lucullus, Lucii frater, deinde a M. Terentio Varrone adoptatus, a. 638 (116) natus videtur, uno anno minor natu quam Lucius. Aedilis curulis cum L. fratre a. 675 (79): tum 37 annos erat natus, qui legitimus fuit annus. Praetor peregrinus a. 678 (76). Consul a. 681 (73), deinde in provinciam Macedoniam decessit, unde a. 683 (71) rediit. A. 687 (67) inter novem legatos fuit, qui in Asiam ad L. Lucullum fratrem, imperatorem mittebantur, ut provinciam instituerent. A. 699 (55) mortuus esse videtur. Plut. Lucull. 43. Conf. Drumann t. 4. p. 176.

Cic. Bruto c. 62. *M. Drusum, gravem oratorem, ita dumtaxat cum de republica diceret, L. autem Lucullum, etiam acutum, M. Lucullum, M. Octavium, Cn. Octavium — abducamus ex acie id est a iudiciis, et in praesidiis reipublicae, cui facile satisfacere possint, collocemus.*

Extabant orationes Lucullorum in opere Muciani.

Tac. Dial. de Orat. 37. *Nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae et in antiquariorum bibliothecis adhuc manent et cum maxime a Muciano contrahuntur, ac iam undecim, ut opinor, Actorum libris et tribus Epistolarum composita et edita sunt. ex iis intelligi potest, Cn. Pompeium et M. Crassum non viribus modo et armis sed ingenio quoque et oratione valuisse; Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et ceteram procerum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine aliqua eloquentia consecutum.*

a Muciano] totus locus infra in *Pompeio* explicabitur.

Plut. Lucullus 1. *Ὁ δὲ Λούκουλλος ἤσκητο καὶ λέγειν ἱκανῶς ἑκατέραν γλῶσσαν· ἦν γὰρ οὐκ ἐπὶ τὴν χρείαν μόνην ἐμμελὴς αὐτοῦ καὶ πρόχειρος ὁ λόγος, καθάπερ ὁ τῶν ἄλλων τὴν μὲν ἀγορὰν „θύννος βολαῖος πέλαγος ὣς διεστρόβει“ γενόμενος δὲ τῆς ἀγορᾶς ἐκτὸς „αὖος ἀμουσίᾳ τεθνηκὼς,“ ἀλλὰ καὶ τὴν ἐμμελῆ ταύτην καὶ λεγομένην ἐλευθέριον ἐπὶ τῷ καλῷ προσεποιεῖτο παιδείαν ἔτι καὶ μειράκιον ὤν.*

1. Oratio adversus P. Servilium augurem.

Acta est causa a. 662 (92), si Pighio fides est adhibenda. L. Lucullus cum Marco fratre P. Servilium augurem, patris accusatorem, (P. Servilium Vatium Isauricum cos. a. 675 (79) appellat Orellius in Onomastico) reum fecerunt.

Quintil. 12, 7, 3. *Principes in republica viri non detrectaverunt hanc officii partem* (accusatoris), *creditique sunt etiam clari iuvenes obsidem reipublicae dare malorum civium accusationem, quia nec odisse improbos nec simultates provocare nisi ex fiducia bonae mentis videbantur. Idque cum ab Hortensio, Lucullis, Sulpicio, Cicerone, Caesare, plurimis aliis, tum ab utroque Catone factum est.*

Cic. Academic. Prior. lib. 2, 1. *Magnum ingenium L. Luculli magnumque optimarum artium studium, tum omnis liberalis et digna homine nobili ab eo percepta doctrina, quibus temporibus florere in foro maxime potuit, caruit omnino rebus urbanis. Ut enim admodum adolescens cum fratre pari pietate et industria praedito paternas inimicitias magna cum gloria est persecutus, in Asiam quaestor profectus ibi permultos annos admirabili cum laude provinciae praefuit.*

Cic. de Offic. 2, 14. *Etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persaepe est. Dixi paulo ante de Crasso. Idem fecit adolescens M. Antonius, etiam P. Sulpicii eloquentiam accusatio illustravit, cum seditiosum et inutilem civem C. Norbanum in iudicium vocavit; sed hoc quidem non est saepe faciendum nec umquam nisi aut reipublicae causa ut ii, quos ante dixi, aut ulciscendi ut duo Luculli, aut patrocinii ut nos pro Siculis, pro Sardis in Albucio Iulius.*

Cic. de Provinc. consularib. 9. *Multa praetereo, quod intueor coram haec lumina atque ornamenta reipublicae, P. Servilium et M. Lucullum: utinam etiam L. Lucullus ille videret! Quae fuerunt inimicitiae in civitate graviores quam Lucullorum atque Servilii? quas in viris fortissimis non solum extinxit res publica dignitasque ipsorum, sed etiam ad amicitiam consuetudinemque traduxit.*

Plut. Lucullus 1. *Αὐτὸς δ᾽ ὁ Λούκουλλος ἔτι μειράκιον ὢν, πρὶν ἀρχήν τινα μετελθεῖν καὶ πολιτείας ἅψασθαι, πρῶτον ἔργον ἐποιήσατο τὸν τοῦ πατρὸς κατήγορον κρῖναι Σερουίλιον Αὔγουρα λαβὼν ἀδικοῦντα δημοσίᾳ, καὶ τὸ πρᾶγμα λαμπρὸν ἐφάνη Ῥωμαίοις καὶ τὴν δίκην ἐκείνην ὥσπερ ἀριστείαν διὰ στόματος ἔσχον· Ἐδόκει δὲ καὶ ἄλλως αὐτοῖς ἄνευ προφάσεως οὐκ ἀγεννὲς εἶναι τὸ τῆς κατηγορίας ἔργον, ἀλλὰ καὶ πάνυ τοὺς νέους ἐβούλοντο τοῖς ἀδικοῦσιν ἐπιφυομένους ὁρᾷν ὥσπερ θηρίοις εὐγενεῖς σκύλακας. Ὀυ μὴν ἀλλὰ μεγάλης περὶ*

τὴν δίκην ἐκείνην φιλονεικίας γενομένης, ὥστε καὶ τρωθῆναί τινας καὶ πεσεῖν, ἀπέφυγεν ὁ Σερουίλιος.

Pseudo - Asconius memoria falsus est, quod L. Cottam (pro Servilio) a Lucullis accusatum scribit in Act. 1. in Verrem p. 150: *L. Lucullus et item M. Lucullus, ambo consulares, Marcus vero et triumphalis fuit. Hi, cum accusarent L. Cottam, non usi sunt oratione perpetua, sed interrogatione testium causam peregerunt.* Conf. Madwig de Asconio p. 110 et Zumpt ad Verrin. 1. c. 18, 55.

LXV. *Q. Hortensius.*

Natus anno 640 (114). Quaestor anno circiter 674 (80), aedilis a. 679 (75), praetor a. 682 (72), consul a. 685 (69). Mortuus est a. 704 (50). Eius vitam descripsit Drumann T. 3. p. 84 et Luzac *De Q. Hortensio oratore, Ciceronis aemulo Lugd. Bat.* 1810. Visconti in *Iconografia romana* t. 2. p. 307. Westermann p. 220.

Scripsit orationes, annales, poemata, librum *communium locorum.* Hortensius summus orator erat, plurimasque egit causas, ita ut Cicero solus eius famam gloriamque aequaret atque adeo superaret. In agendo pares, in scribendo autem Hortensius inferior, ita ut orationes eius scriptae minus aestimarentur, a posterisque negligerentur. Atque eam esse causam opinor, cur cunctae interierint, nec ulla prope adhuc particula extet. Cicero quoque, quamvis eloquentiam Hortensii summis laudibus efferret, numquam tamen ex eius orationibus exempla attulit, cum ab audientibus tantum, non ab legentibus aeque probatae essent.

Cic. Brut. 64. *Q. Hortensii admodum adolescentis ingenium, ut Phidiae signum, simul adspectum et probatum est. Is L. Crasso Q. Scaevola consulibus primum in foro dixit, et apud hos ipsos consules et cum eorum, qui affuerunt, tum ipsorum consulum, qui omnes intelligentia auteibant, iudicio discessit probatus. undeviginti annos natus erat eo tempore.*

Est autem L. Paullo C. Marcello coss, mortuus, ex quo videmus, eum in patronorum numero annos quatuor et quadraginta fuisse.

Ibid. c. 92. *Hortensius ornatus, acer, verborum et actionis genere commotior.*

Ibid. c. 95. *Si quaerimus, cur adolescens magis floruerit dicendo quam senior Hortensius, causas reperiemus verissimas duas. Primum quod genus erat orationis Asiaticum, adolescentiae magis concessum quam senectuti. — Et cum iam honores et illa senior auctoritas gravius quiddam requireret, remanebat idem, nec decebat idem; quodque exercitationem studiumque dimiserat, quod in eo fuerat acerrimum, concinnitas illa crebritasque sententiarum pristina manebat, sed ea vestitu illo orationis, quo consueverat, ornata non erat.*

Ibid. c. 97. *Nonne cernimus, vix singulis aetatibus binos oratores laudabiles constitisse? Galba fuit inter tot aequales unus excellens, cui et Cato cedebat senior, et qui temporibus illis aetate inferiores fuerunt; Lepidus postea, deinde Carbo: nam Gracchi in concionibus, multo faciliore et liberiore genere dicendi, quorum tamen ipsorum ad aetatem laus eloquentiae perfecta nondum fuit; Antonius, Crassus; post Cotta, Sulpicius, Hortensius.*

Ibid. c. 88. *Hortensius, cum admodum adolescens orsus esset in foro dicere, celeriter ad maiores causas adhiberi coeptus est. Primum memoria tanta, quantam in nullo cognovisse me arbitror, ut, quae secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset. Hoc adiumento ille tanto sic utebatur, ut sua et commentata et scripta et nullo referente omnia adversariorum dicta meminisset. Ardebat autem cupiditate sic, ut in nullo unquam flagrantius studium viderim. Nullum enim patiebatur esse diem, quin aut in foro diceret aut meditaretur extra forum; saepissime autem eodem die utrumque faciebat. Attuleratque minime*

vulgare genus dicendi, duas quidem res, quas nemo alius, partitiones, quibus de rebus dicturus esset, et collectiones, memor et quae essent dicta contra quaeque ipse dixisset. Erat in verborum splendore elegans, compositione aptus, facultate copiosus, eaque erat cum summo ingenio tum exercitationibus maximis consecutus. Vox canora et suavis, motus et gestus etiam plus artis habebat, quam erat oratori satis.

Velleius 2, 36. *Iam pene supervacaneum videri potest, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat, diremptos gradibus aetatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium, saneque Crassum, Catonem, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Coelium, Calvum, et proximum Ciceroni Caesarem?*

Crassum] non L. Crassum oratorem, Antonii aequalem, intelligit: eius enim supra, ubi similiter de celeberrimis ingeniis prioris seculi egit, lib. 2, 9. fecit mentionem; sed M. Crassum triumvirum accipiendum esse sensit Ellendt p. CVI.

Catonem] Catonem Uticensem.

Sulpicium] Servium Sulpicium Rufum, non P. Sulpicium Rufum, quem lib. 2. 9. nominavit.

Valer. Max. 3, 5, 4. *Q. Hortensius in maximo et ingenuorum civium et amplissimorum proventu summum auctoritatis atque eloquentiae gradum obtinuit.*

Quintil. 12, 10, 10. *In oratione si species intueri velis, totidem pene reperias ingeniorum quot corporum formas. Sed fuere quaedam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam iam ingenii vim prae se ferentia. Hinc sint Laelii, Africani, Catones etiam Gracchique. Mediam illam formam teneant L. Crassus, Q. Hortensius. Tum deinde efflorescat non multum inter se distantium tempore oratorum ingens proventus. Hic vim Caesaris, indolem Coelii, subtilitatem Calidii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalae, sanctitatem Calvi, gravitatem Bruti, acumen Sulpicii, acerbitatem Cassii reperiemus. At M. Tullium non circa plurium artium*

species praestantem habemus, sed in omnibus, quae in quoque laudantur, eminentissimum.

Quintil. 12, 11, 27. *Quin imo si hanc cogitationem homines habuissent, ut nemo se meliorem fore eo, qui optimus fuisset, arbitraretur, hi ipsi, qui sunt optimi, non fuissent, nec post Lucretium ac Macrum Virgilius, nec post Crassum et Hortensium Cicero, sed nec illi, qui post eos fuerunt.*

Schol. Bobiensia in orat. p. Archia p. 356. *L. Hortensio filius fuit Q. Hortensius, qui temporibus M. Tulii quamvis aetate provectior, non tamen famosior, oratoris nomen obtinuit.*

non] Maius inseruit.

Appuleius Apologia p. 589 ed. Oud. *quamcumque orationem struxerit Avitus, ita illa erit undique sui perfecte absoluta, ut in illa nec Cato gravitatem requirat nec Laelius lenitatem nec Gracchus impetum nec Caesar calorem, nec Hortensius distributionem nec Calvus argutias nec parsimoniam Salustius nec opulentiam Cicero.*

Pseudo - Asconius in Divinat. p. 98. *Hortensius facile et princeps in senatu propter nobilitatem et in foro ob eloquentiam rex causarum.*

Sidonius Epistol. IV. 3. *Rex Theodericus sentit ut Pythagoras, dividit ut Socrates, explicat ut Plato, implicat ut Aristoteles, ut Aeschines blanditur, ut Demosthenes irascitur, vernat ut Hortensius, aestuat ut Cethegus, incitat ut Curio, moratur ut Fabius, simulat ut Crassus, dissimulat ut Caesar, suadet ut Cato, dissuadet ut Appius, persuadet ut Tullius.*

vernat] floridum dicendi genus, sive Asiaticum, quo Hortensius maxime usus est, significat Sidonius.

Orationes.

Cic. Brut. 94. *Dicendi genus quod fuerit in utroque nostrum, orationes utriusque etiam posteris nostris indicabunt.*

Cic. in Oratore c. 37, 132. *Uterer exemplis domesticis, nisi ea legisses, uterer alienis vel latinis, si ulla reperirem, vel graecis, si deceret. Sed Crassi perpauca sunt, nec ea iudiciorum, nihil Antonii, nihil Cottae, nihil Sulpicii, dicebat melius quam scripsit Hortensius.*

Quintilian. XI, 3, 8. *Actione Cn. Lentulum plus opinionis consecutum quam eloquentia Cicero tradit, eadem C. Gracchum in deflenda fratris nece totius populi romani lacrimas concitasse, et Antonium et Crassum multum valuisse, plurimum vero Q. Hortensium. cuius rei fides est, quod eius scripta tantum intra famam sunt, qua diu princeps oratorum, aliquando aemulus Ciceronis existimatus est, novissime, quoad vixit, secundus, ut appareat, placuisse aliquid eo dicente, quod legentes non invenimus.*

1. Oratio pro provincia Africa.

Ea causa est acta a. 659 (95). Hortensius, qui tum novendecim annos erat natus, causam suscepit Afrorum, qui a senatu petebant, ut magistratus quidam, qui Africam provinciam male et avare administraverat, repetundarum postularetur et condemnaretur. Nomen magistratus ignotum; sed hac accusatione tirocinium eloquentiae posuisse fertur.

Quintil. 12, 7, 4. *Itaque ut accusatoriam vitam vivere et ad deferendos reos praemio duci, proximum latrocinio est, ita pestem intestinam propulsare cum propugnatoribus patriae comparandum; ideoque principes in republica viri non detrectaverunt hanc officii partem, creditique sunt etiam clari iuvenes obsidem reipublicae dare malorum civium accusationem, quia nec odisse improbos nec simultates provocare nisi ex fiducia bonae mentis videbantur. Idque cum ab Hortensio, Lucullis, Sulpicio, Cicerone, Caesare, plurimis aliis, tum ab utroque Catone factum est.*

Cic. Brut. 64, 229. *Hortensius L. Crasso Q. Scaevola*

coss. primum in foro dixit, et apud hos ipsos quidem consules, et cum eorum qui affuerunt, tum ipsorum consulum, qui omnes intelligentia anteibant, iudicio decessit probatus: undeviginti annos erat eo tempore.

Cic. de Oratore 3, 61, 229. Crassus dicit: *Me consule in senatu causam defendit Africae Hortensius.*

in senatu] Bis igitur in causa Afrorum egisse videtur, in senatu, cum testimonium dicendum erat, in foro apud consules, cum ipsam causam agebat. Conf. Drumann t. 3. p. 81.

2. Oratio pro Nicomede, rege Bithyniae.

Ea est dicta a. 663 (91). Nicomedes, rex Bithyniae, per Socratem Chrestum fratrem regno expulsus imploravit auxilium Romanorum. Eius causam Romae suscepit Hortensius; senatus decrevit, ut Manius Aquillius et Manilius Mancinus legati eum reducerent ad eamque rem L. Cassius, praetor Asiae, opem ferret. Appianus De bello Mithridat. 10. 11. Iustinus 38, 3.

Cic. de Orat. 3, 61, 229. Crassus dicit: *Ego Hortensium omnibus laudibus excellentem esse iam iudico et tum iudicavi, cum me consule in senatu causam defendit Africae, nuperque etiam magis, cum pro Bithyniae rege dixit.*

3. Oratio pro Cn. Pompeio.

Ea est dicta a. 668 (86). Cn. Pompeius adolescens reus factus est, quod bello Marsico s. sociali Asculo capto praedam intercepisset: Eum defenderunt L. Marcius Philippus, censor (v. supra pag. 326.) atque Hortensius. Plut. Pompei. 4.

Cic. Brut. 64, 230. *Philippo iam sene pro Cn. Pompeii bonis dicente, in illa causa, adolescens cum esset, princeps fuit Hortensius.*

4. Oratio pro Sexto Naevio contra P. Quintium.

Ea est dicta a. 673 (81). Gellius 15, 28. Hortensius in causa privata Sexto Naevio adfuit, Cicero P. Quintio. Vid. argumentum orationis Ciceronianae vel apud Klotzium

vel apud Drumannum t. 3. p. 82., qui adnotat, ab Hortensio in omnibus causis rem optimatium defensam esse.

Cic. p. Quintio 1. *Quae res in civitate duae plurimum possunt, eae contra nos ambae faciunt in hoc tempore, summa gratia et eloquentia, quarum alteram vereor, alteram metuo. Eloquentia Hortensii ne me in dicendo impediat, nonnihil commoveor.*

ibid. c. 2. *Q. Hortensio summam copiam facultatemque dicendi natura largita est.*

ibid. 22. *Dicet Hortensius, excellens ingenio nobilitate existimatione.*

5. Oratio pro M. Canuleio.

Pro Canuleio oravere Hortensius atque C. Aurelius Cotta, ut supra diximus p. 342., sed Hortensius Cottam superavit. Pighius tradit t. 3. p. 287, M. Canuleium Divitem repetundarum reum factum esse a. 677 (77). Drumann vero putat, eam causam ante a. 676 (78) actam esse.

Cic. Bruto 92. *Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent, Cotta et Hortensius. — Sed videram in iisdem causis ut pro M. Canuleio, pro Cn. Dolabella consulari, cum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partes Hortensium.*

6. Oratio pro Cn. Cornelio Dolabella L. f. contra M. Scaurum.

Acta est causa a. 676 (78). Cum Cn. Cornelius Dolabella a. 674 (80) et 675 (79) praetor Ciliciam provinciam regeret, nec avaritiae nequitiaeque Verris legati sui restitisset, sed potius eum adiuvasset, post reditum a M. Scauro in iudicium vocatus et in exilium eiectus est. Hortensius ei affuit. Luzac, Zumpt et Orellius in Onomastico *M. Aemilium* Scaurum, Marci, qui princeps senatus erat, filium intelligunt, Drumann vero t. 2. p. 564. *M. Aurelium* Scaurum.

Huius causae mentio est facta ap. Cic. Verrin. lib. 1. 38, 97., exitum iudicii commemorat Asconius in Scaurianam p. 26. *alterum Dolabellam M. Scaurus et accusavit et damnavit.*

7. Oratio pro Cn. Cornelio Dolabella Cn. f. contra C. Iulium Caesarem.

Acta est causa a. 677 (77). Cn. Cornelius Dolabella postquam a Sulla consulatum a. 673 (81) et deinde proconsulatum Macedoniae acceperat, multasque ibi pecunias contraxerat: a C. Iulio Caesare, qui Sullanis maxime adversarius erat, accusatus est repetundarum a. 677 (77), sed a Cotta et Hortensio defensus, ab iudicio senatorio liberatus est. Vide *orat. C. Iul. Caesaris*, et *C. Aurelii Cottae* p. 341.

Cic. Brut. c. 92. *Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent, Cotta et Hortensius. Sed cum Hortensio magis arbitrabar rem esse, quod et dicendi ardore eram propior et aetate coniunctior. Etenim videram in iisdem causis ut pro M. Canuleio, pro Cn. Dolabella consulari, cum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partes Hortensium.*

8. Oratio pro Terentio Varrone contra Appium Claudium.

Acta est causa a. 679 (75). Terentius Varro, qui propraetor Asiae haud innocenter se gesserat, accusatus est ab Appio Claudio, de quo infra dicemus. Conf. Drumann t. 2. p. 186. Hortensius, qui tum aedilis erat, eum defendit nec nisi iudicibus corruptis servavit. Ceterum haec causa nonnisi ex Pseudo-Asconio nota esse videtur. Conf. Madwig de Asconio p. 106.

Pseudo-Asconius in Divinationem p. 109. *Terentius Varro, consobrinus frater Hortensii, reus ex Asia apud L. Furium praetorem primo de pecuniis repetundis, deinde apud P. Lentulum Suram est accusatus, absolutusque est a Q. Hortensio, qui corruptis iudicibus hunc metum adiunxit ad gratiam, ut discoloribus ceris insignitas iudices tabellas acciperent.*

Ibid. Appius Claudius adolescens nobilis, cum accusaret Terentium Varronem repetundarum ex Asia, victus ab Hortensio est, in quo iudicio discoloribus ceris signa sententiarum notabantur.

Scholiasta Gronovianus p. 398. *Figuram fecit* (Cicero) *in Hortensium de Varronis iudicio, consobrini eius, quod discoloribus ceris iudicium corrupit.*

9. Oratio pro C. Verre contra Ciceronem.

Acta est causa a. 684 (70). C. Verres, omnium praetorum romanorum pessimus, a Cicerone repetundarum postulatur. Quem cum optimates a criminibus liberare cuperent, Hortensius, qui ubique eorum causam tueri atque vindicare solebat, defensionem rei suscipit, sed frustra. Etsi enim multae in republica romana causae pariter atque in nostris civitatibus non iure et aequitate sed studio partium diiudicarentur, atque optimates, dum iudicia ab ipsis tenebantur, raro condemnarentur, nec aliter homines populares, cum penes equestrem ordinem erant iudicia, poenas facile effugerent, in hac tamen causa iustitia vicit: Verres condemnationem exilio effugit. Cicero maximam assecutus gratiam atque auctoritatem, Hortensii vero potentia inde imminuta et fracta.

Dubium est, an Hortensius orationem pro Verre reliquerit. Cicero enim ipse id negare videtur, cum in Oratore c. 36, 129. dicit: *Magno semper usi impetu saepe adversarios de statu omni deiecimus. Nobis pro familiari reo summus orator non respondit Hortensius.* Atque illa oratio, quae Quintiliani tempore circumferebatur, ficta esse videtur, ut Zumptio placet ad Cic. Verrinas p. 2. Nec veri simile est, eum de ea re orationem scripsisse et reliquisse, cum causa maxime esset infamis. Sed rhetorum erat hanc retractare causam, in qua oratores celeberrimi extiterant. Drumannus autem t. 5. p. 323. existimat, orationem Hortensii pro Verre, cuius apud Quintilianum facta sit mentio, ad aliam referendam esse causam. Ea opinio

parum probabilis, atque per ipsum Quintilianum refellitur, cum dicit l. 10, 1, 23. *Illud utilissimum, nosse eas causas, quarum orationes in manus sumserimus, et quoties continget, utrimque habitas legere actiones. — Quin etiam, si minus pares videbuntur, aliquae tamen ad cognoscendam litium quaestionem recte requirentur, ut contra Ciceronis orationes Tuberonis in Ligarium et Hortensii pro Verre.*

Hortensii] Vides ex his verbis, Quintilianum ipsum non multum huic orationi Hortensii tribuisse, ut qui eam imparem esse orationibus Ciceronianis dixerit.

10. Dissuasio legis Gabiniae.

Cum A. Gabinius tribunus pl. a. 687 (67) legem tulisset, ut Cn. Pompeio imperium totius orae maritimae bellumque contra praedones gerendum traderetur, dissuasit eam Hortensius. Vid. Baiteri Index Legum s. v. *lex Gabinia.*

Cic. pro lege Manilia c. 17, 52. *Tu idem, Q. Hortensi, multa pro tua summa copia ac singulari facultate dicendi et in senatu contra virum fortem A. Gabinium graviter ornateque dixisti, cum is de uno imperatore contra praedones constituendo legem promulgasset, et ex hoc ipso loco permulta item contra eam legem verba fecisti.*

ex hoc ipso loco] tum in senatu tum in rostris eam legem dissuasit.

11. Dissuasio legis Maniliae.

Cum Manilius tribunus pl. a. 688 (66) rogationem promulgaret, ut Pompeio bellum contra Mithridatem committeretur, Hortensius dissuasit.

Cic. p. lege Manilia c. 17. *At enim vir clarissimus, amantissimus reipublicae, vestris beneficiis amplissimis adfectus, Q. Catulus, itemque summis ornamentis honoris, fortunae, virtutis, ingenii praeditus, Q. Hortensius, ab hac ratione dissentiunt; quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuisse*

et valere oportere confiteor, sed in hac causa, tametsi cognoscitis auctoritates contrarias virorum fortissimorum et clarissimorum, tamen omissis auctoritatibus ipsa re ac ratione exquirere possumus veritatem, atque hoc facilius, quod ea omnia, quae a me adhuc dicta sunt, iidem isti vera esse concedunt et necessarium bellum esse et magnum et in uno Cn. Pompeio summa esse omnia. Quid igitur ait Hortensius? si uni omnia tribuenda sint, unum dignissimum esse Pompeium, sed ad unum tamen omnia deferri non oportere. Obsolevit iam ista oratio, re multo magis quam verbis refutata.

12. Oratio pro L. Vargunteio.

Ea est habita a. 689 (65). L. Vargunteius senator de ambitu reus factus, ab Hortensio defenditur. Idem postea a. 691 (63) inter coniuratos Catilinae erat. Salust. Catil. 17. 28. Drumann t. 3. p. 93.

Cicero p. Sulla 2. *Quis nostrum adfuit L. Vargunteio? nemo, ne hic quidem Hortensius, praesertim qui illum solus antea de ambitu defendisset.*

13. Oratio pro C. Rabirio contra T. Atium Labienum.

Ea est habita a. 691 (63). C. Rabirius a. 654 (100) L. Appuleium Saturninum tribunum pl., a senatu hostem populi romani iudicatum, in Curia Hostilia occidisse tradebatur. Cum deinde multo post C. Iulius Caesar Sullae socios atque asseclas vexare coepisset, multosque per factionem suam in iudicium vocaret, auctor quoque erat, ut T. Atius Labienus tribunus pl. a. 691 (63) C. Rabirium perduellionis reum faceret. Pro eo frustra dixere Hortensius et Cicero, cuius extat oratio: nam condemnatus est, cum Caesar ipse iudex esset. Conf. Drumann t. 3. p. 159—164. Sueton. Caes. 12. Dio Cassius 37, 26 sqq.

Charisius p. 71. *Cicatricum* non cicatricium. *Hortensius pro G. Rabirio: cicatricum mearum*, quod emendate dictum sit.

cicatricum mearum] haec verba ex ea parte orationis sumta, ubi Hortensius Rabirium loquentem induxit, isque res a se in bello gestas refert. bello enim insignem meruerat famam. Conf. Niebuhr ad Cic. pro C. Rabirio c. 36. p. 80.

14. Oratio pro L. Licinio Murena contra Ser. Sulpicium Rufum.

Ea est habita a. 691 (63). Eo anno petivere consulatum L. Licinius Murena, D. Iunius Silanus, Servius Sulpicius Rufus et Catilina. Cum deinde Murena et Silanus creati essent, Ser. Sulpicius Rufus Murenam ambitus reum fecit, quod suffragia pecunia emisset. Eum defendit Hortensius et Cicero. Hortensium in hac defensione non cessisse Ciceroni, Plutarchus tradidit in vit. Cicer. c. 35. *Λικιννίῳ Μουρήνᾳ φεύγοντι δίκην ὑπὸ Κάτωνος βοηθῶν* (Cicero) *καὶ φιλοτιμούμενος Ὁρτήσιον ὑπερβάλλειν ἐνημερήσαντα μέρος οὐδὲν ἀνεπαύσατο τῆς νυκτὸς, ὡς ὑπὸ τοῦ σφόδρα φροντίσαι καὶ διαγρυπνῆσαι κακωθεὶς ἐνδεέστερος αὑτοῦ φανῆναι.*

15. Oratio pro P. Cornelio Sulla.

Ea causa est acta a. 692 (62). L. Torquatus in iudicium vocavit P. Sullam, quod inter coniuratos fuisset Catilinae. Ei adfuere Cicero et Hortensius, et quamvis culpae esset affinis, liberatus est. Conf. Drumann t. 2. p. 513—523.

16. Oratio pro rostris de censura et bello Allobrogum.

Ea habita fertur a. 692 (62). Legimus in *Actis diurnis*, a nescio quo fictis et suppositis, quae apud Pighium T. 2. p. 378. et Le Clerc *Des Iournaux chez les Romains* p. 278 extant, inter ea quae ad a. 692 (62) relata sunt, haec quoque: *Q. Hortensius sub vesperum orationem habuit pro rostris de censura et bello Allobrogum.* De Brosse (Histoire Romaine d'après Salluste T. 2. p. 590) putabat, unam duasve novas orationes Hortensii se invenisse, cum in haec verba Actorum incidisset: sed Le Clerc, qui omnino de *Actis Romanorum* prudenter et docte scripsit, verum vidisse arbitror, qui cuncta Actorum fragmenta aut a

Sigonio aut ab alio viro docto illius seculi, ut lectorum deciperet animos, composita esse scribit. (pag. 321. 334.); nec aliter iudicat Göttling G. d. röm. Staatsv. p. 348 sq.

17. Oratio pro Valerio.

Ea causa est acta a. 694 (60). Incertum, utrum Valerius Flaccus an Valerius Messalla an alius sit intelligendus.

Cic. ad Atticum 2, 3. *Primum, ut opinor, εὐαγγέλια. Valerius absolutus est Hortensio defendente. Id iudicium Auli filio condonatum putabatur, et Epicratem suspicor, ut scribis, lascivum fuisse. Etenim mihi caligae eius et fasciae cretatae non placebant.*

Auli filio] i. e. L. Afranio consuli. v. *Onomast. Tull.*

18. Oratio pro L. Valerio Flacco contra D. Laelium.

Acta est causa a. 695 (59). L. Valerius Flaccus praetor a. 691 (63), qui deinde Asiam provinciam obtinuerat, a D. Laelio repetundarum accusatus est. Pro eo oraverunt et Hortensius et Cicero, qui in consulatu suo a Flacco adiutus fuerat. Absolutus est immerito, teste Macrobio Saturnal. 2, 1. *Flaccum repetundarum reum ioci opportunitate de manifestissimis criminibus exemit Cicero. Is iocus in oratione non extat, mihi ex libro Furii Bibaculi notus est, et inter alia eius dicta celebratur.*

Cic. ad Atticum 2, 25. *At hercule alter tuus familiaris Hortalus, quam plena manu, quam ingenue, quam ornate nostras laudes in astra sustulit, cum de Flacci praetura et de illo tempore Allobrogum diceret. Sic habeto, nec amantius nec honorificentius nec copiosius potuisse dici. Ei te hoc scribere a me tibi esse missum volo.*

19. Oratio pro P. Sextio contra M. Tullium Albinovanum.

Acta est causa a. 698 (56). P. Sextius, qui tribunus pl. a. 697 (57) de restituendo Cicerone bene meritus

erat, et Clodii satellitibus vim attulerat, a M. Tullio Albinovano auctore Clodio de vi lege Lutatia reus factus, sed a crimine liberatus est.

Scholia Bobiensia in orat. p. Sestio p. 292. *Hanc eandem causam plurimi defenderunt: in quis fuit Q. Hortensius, M. Crassus, C. Licinius Calvus partibus inter se distributis, quas in agendo tuerentur. Tullius peroravit.*

20. Dissuasio legis sumtuariae.

M. Licinius Crassus et Cn. Pompeius Magnus, ambo iterum consules, a. 699 (55) legem de sumtu coercendo promulgarunt. Eam Hortensius dissuasit, et auctores ipsi abiecerunt. Drumann t. 3. p. 99.

Dio Cassius 39, 37. Ὁ Πομπήϊος καὶ ὁ Κράσσος ἐπεχείρησαν καὶ τὰ ἀναλώματα τὴν δίαιταν ἐπὶ μακρότατον προσηγμένα συστεῖλαι, καί περ ἐς πᾶν αὐτοὶ καὶ τρυφῆς καὶ ἁβρότητος προκεχωρηκότες· ἐκωλύθησαν δὲ ὑπ᾽ αὐτοῦ τούτου, τοῦ διανομοθετῆσαι. ὁ γὰρ Ὁρτήσιος, φιλανάλωτος ἐν τοῖς μάλιστα ὤν, ἔπεισεν αὐτοὺς τότε μέγεθος τῆς πόλεως ἐπεξιὼν καὶ ἐπί τε τῇ οἴκοι πολυτελείᾳ καὶ ἐπὶ τῇ ἐς τοὺς ἄλλους μεγαλοφροσύνῃ ἐπαινῶν, καταβαλεῖν τὴν γνώμην ἅ τε καὶ συναγωνιστῇ τῶν λόγων τῷ βίῳ σφῶν χρώμενος. τήν τε γὰρ ἐναντίωσιν αἰδεσθέντες καὶ προσέτι καὶ κατοκνήσαντες, φθόνῳ τινὶ τοὺς ἄλλους, ὧν αὐτοὶ ἐποιοῦντο, δοκεῖν ἀπείργειν, ἑκόντες ἀφῆκαν τὴν εἰςήγησιν.

21. Oratio pro Procilio contra P. Clodium.

Acta est causa a. 700 (54). Procilius tribunus pl. a. 698 (56) cum C. Catone et Nonio Sufenate collegis turbas excitaverat, ut Pompeio et Crasso consulatum petentibus auxilio esset. Eum accusavit P. Clodius, Hortensius defendit. Cic. ad Att. 4, 15. Conf. Drumann t. 3. p. 99. An vero in eadem causa Sufenati quoque et Catoni adfuerit, ut in Onomastico Tulliano s. n. *Hortensius* p. 291 dictum, incertum est.

22. Oratio pro Cn. Plancio.

Acta est causa a. 700 (54). Manutius ex loco orationis Ciceronianae pro Plancio c. 15. colligendum putat, Hortensium quoque in illa causa Plancii patronum fuisse. Ei assentitur Orellius in Onomastico p. 291. ubi legitur: *Ante Ciceronem defendit Hortensius Cn. Plancium. Pro Plancio* 15, 37. Sed Drumann t. 3. p. 99 scribit, ab Hortensio Plancium defensum non esse, nec a Cicerone eum velut patronum Plancii memorari, sed ideo tantum mentionem eius esse factam, quod de lege Licinia, in qua causa Plancii nitebatur, tunc temporis in senatu dixisset.

23. Oratio pro M. Aemilio Scauro contra P. Valerium Triarium.

Acta est causa a. 700 (54). M. Aemilius Scaurus a. 699 (55) Sardiniam provinciam obtinuit, nec innocenter se gessit. Itaque rogantibus Sardis a P. Valerio Triario repetundarum postulatus. Habebat sex patronos, quos inter Hortensius et Cicero. Liberatus est. Conf. Drumann t. 1. p. 31.

Asconius in Scaurianam p. 20. *Defenderunt Scaurum sex patroni, cum ad id tempus raro quisquam pluribus quam quatuor uteretur, ac post bella civilia ante legem Iuliam ad duodenos patronos est perventum. Fuerunt autem hi: P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cicero, M. Messala Niger, Q. Hortensius.*

24. Oratio pro T. Annio Milone.

Haec causa acta est a. 702 (52). T. Annius Milo, qui P. Clodium, adversarium acerrimum Ciceronis, vi aperta interfecerat, auctore Pompeio in iudicium vocatus est. Defendit Cicero, cuius oratio extat. Pro eoque etiam Hortensius in senatu stetit, nec tamen in iudicio ei adfuit.

Asconius in Milonianam p. 35. *Affuerunt Miloni Q. Hortensius, M. Cicero, M. Marcellus, M. Calidius,*

M. Cato, Faustus Sulla. Verba pauca Q. Hortensius dixit: Liberos esse eos, qui pro servis postularentur: nam post recentem caedem manumiserat eos Milo sub hoc titulo, quod caput suum ulti essent. Haec agebantur mense intercalari.

Q. Hortensius dixit] haec non in iudicio, sed in senatu Hortensius dixerat, cum de Clodii nece et de puniendo Milone deliberabatur, eoque referendum videtur, quod in Scholiis Bobiensibus p. 282 legimus: *Pro Milone autem obnixe laborasse Q. Hortensius videbatur*, nempe in senatu. In iudicio autem Milonis Hortensius non aderat, et Cicero *solus* eius causam defendit, teste eodem Asconio p. 42. *Respondit his unus M. Cicero.* Conf. Drumann t. 3. p. 101.

25. Oratio pro M. Valerio Messala.

Acta est causa a. 703 (51). M. Valerius Messala cum in petendo consulatu a. 700 (54) suffragia largitione emisset, ambitus postulatus est a. 703 (51), nec nisi malis amicorum artibus poenam effugit. Cic. ad. Attic. 5, 12. ad Famil. 8, 2.

Cic. Brut. 96. *Hortensium magnum oratorem semper putavi maximeque probavi pro Messala dicentem. Sic ferunt, inquam, idque declarat totidem quot dixit, ut aiunt, scripta verbis oratio.*

Valerius Max. 5, 9, 2. *Q. Hortensii, qui suis temporibus ornamentum romanae eloquentiae fuit, admirabilis in filio patientia extitit. Cum enim eo usque impietatem eius suspectam et nequitiam invisam haberet, ut Messalam, suae sororis filium, heredem habiturus, ambitus reum defendens iudicibus diceret, si illum damnassent, nihil sibi praeter osculum nepotum, in quibus acquiesceret, superfuturum. Hac scilicet sententia, quam etiam editae orationi inseruit, filium potius in tormento animi quam in voluptatibus reponens, tamen ne naturae ordinem confunderet, non nepotes, sed filium heredem reliquit.*

osculum nepotum] ex hoc ipso fragmento elucet, dulcem et floridam et exquisitam fuisse eloquentiam Q. Hortensii.

26. Oratio pro Appio Claudio Pulchro contra P. Cornelium Dolabellam.

Acta est causa a. 704 (50). Appius Claudius Pulcher consul a. 700 (54), postquam a. 703 (51) e Cilicia provincia Romam erat reversus, a P. Corn. Dolabella de maiestate accusatur a. 704 (50). Hortensius et M. Iunius Brutus, Appii gener, eum defenderunt. Absolutus est. Cic. ad famil. VIII, 6. 13. III, 11. Drumann t. 2. p. 194.

Cic. Brut. 64. *Hortensius pro Appio Claudio dixit paulo ante mortem.*

Ibid. c. 94, 324. *Hortensius quarto et sexagesimo anno perpaucis ante mortem diebus una tecum socerum tuum defendit Appium.*

27. Causa Marciae.

Duebnerus p. 288 scribit: *„Marciae causam addit Eggerus ex Quintiliani verbis 10, 5, 13. Veniat in iudicium, Cato Marciam honestene tradiderit Hortensio?"* — Sed ea causa huc non pertinet, nec Hortensium umquam causam Marciae egisse arbitror. Apud Quintilianum sermo est de Marcia, quae uxor M. Catonis erat, sed divortio facto Hortensio nupsit, et Hortensio mortuo denuo matrimonium cum Catone redintegravit. Hanc rem ita se habere, testatur Munatius, Catonis amicus, apud Plutarchum Cat. min. 52. Sed Caesar aliique inimici Catonis turpi eum calumnia afficiebant, tamquam Cato Hortensio non divortio facto, sed sponte uxorem suam tradidisset, et rhetoribus otiosis haec materia obscena vehementer placuisse videtur. Göttling Gesch. d. röm. Staatsverf. p. 95 verissime rem diiudicavit. Conf. Drumann t. 3. p. 107.

Incerta.

Cic. Verr. Act. sec. lib. 5, 18. *Noli metuere, Hortensi, ne quaeram, qui licuerit aedificare navem senatori. Antiquae sunt istae leges et mortuae, quemadmodum tu soles dicere, quae vetant.*

mortuae] in hac voce deprehendit Westermann p. 225 figuram, qua Hortensius uti sit solitus.

Priscian. t. 1. p. 369. *Q. Hortensius: Abusis iam omnibus locis.* Abusis καταχρησθέντων.

Q. Hortensius] id fragmentum a Duebnero p. 288 relatum, verum non solum ex orationibus, sed etiam ex libro *Communium locorum* excerptum esse potest.
locis] scil. oratoriis.

Quintil. 1, 5, 12. *Duos in uno nomine faciebat barbarismos Tinca Placentinus, si reprehendenti Hortensio credimus, preculam pro pergula dicens, et immutatione, cum c pro g uteretur, et transmutatione, cum r praeponeret e antecedenti.*

Hortensio] in oratione quadam, quam in causa alioquin ignota contra Tineam Placentinum dixit, sic irridebat adversarium Hortensius.

Extat porro fragmentum *Poematum Hortensii* apud Varronem de ling. lat. p. 402 ed Speng.: *Ab eo, quod alii dicunt cervices, id Hortensius in poematis cervix.* Eiusdem vocabuli facit rursus mentionem Varro p. 588. Quintilianus 8, 3, 35. et Servius in Virg. Aen. XI, 496. Deinde supersunt fragmenta *Annalium et Communium locorum.*

LXVI. *Hortensia, Quinti filia.*

Hortensia Q. filia eloquentia sua nomen famamque meruit et oratio eius apud posteros quoque celebris erat.

Oratio apud triumviros.

Ea est dicta a. 712 (42). Cum Octavianus Lepidus Antoniusque, triumviri reip. constituendae, aerarii causa matronas gravi onerassent tributo, eae iniustum et invidiosum id esse ratae, iussa recusabant pro iisque apud ipsos triumviros orationem dixit Hortensia. Nec frustra: nam cum populus quoque, matronas onere liberandas esse clamaret, triumviri abiecerunt consilium. Conf. Drumann t. 3. p. 111. t. 1. p. 381.

Valer. Max. 8, 3, 3. *Hortensia Q. Hortensii*

filia, cum ordo matronarum gravi tributo a triumviris esset oneratus, necquisquam virorum patrocinium eis accommodare auderet, causam feminarum apud triumviros et constanter et feliciter egit. Repraesentata enim patris facundia, impetravit, ut maior pars imperatae pecuniae eis remitteretur. Revixit tum muliebri stirpe Q. Hortensius verbisque filiae adspiravit. Cuius si virilis sexus posteri vim sequi voluissent, Hortensianae eloquentiae tanta hereditas una feminae actione abscisa non esset.

Quintil. 1, 1, 6. *Gracchorum eloquentiae multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cuius doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus, et Laelia C. filia reddidisse in loquendo paternam elegantiam dicitur, et Hortensiae Q. filiae oratio apud triumviros habita legitur non tantum in sexus honorem.*

Haec actio tam fuisse celebris videtur, ut Appianus fictam Hortensiae orationem operi suo insereret Civilium bellorum lib. 4, 32 et 33.

LXVII. *Cn. Cornelius Dolabella.*

Consul a. 673 (81). Proconsul Macedoniae a. 674 (80). Conf. Drumann t. 2. p. 561.

Oratio contra C. Iulium Caesarem.

Causa est acta a. 677 (77). Vid. *Caesaris oratio.* Dolabella postquam a Sulla dictatore consulatum, deinde Macedoniam provinciam accepisset, a. C. Iulio Caesare reus factus repetundarum a. 677 (77), sed absolutus est, quamvis culpa esset oneratus. Hortensius (v. p. 368.) et Cotta (v. p. 341.) defenderunt, sed et Dolabella ipse orationem dixit maledicti plenam in Caesarem. Pseudo-Asconius in Divinationem in Caecilium p. 110 commutavit hunc Dolabellam cum altero Dolabella, qui praetor Ciliciae fuerat, ut Perizonius Animadv. hist. p. 54. et Drumann t. 2. p. 562. et Madwig de Asconio p. 109. demonstravit.

Suetonius Caes. c. 49. *Pudicitiae eius* (Caesaris) *famam nihil quidem praeter Nicomedis contubernium laesit, gravi tamen et perenni opprobrio et ad omnium convicia exposito. Praetereo actiones Dolabellae et Curionis patris, in quibus eum Dolabella pellicem reginae, spondam interiorem regiae lecticae, et Curio stabulum Nicomedis et Bithynicum fornicem dicunt.*

pellicem reginae] Caesar a. 673 (81) in Asiam profectus ad M. Minucium Thermum propraetorem, ibi prima stipendia fecit. Cum deinde a Minucio in Bithyniam mitteretur ad Nicomedem tertium regem, ut naves eius ad obsidendam Mitylenen arcesseret: rumor exortus est, voluptatibus eum regis nimis indulsisse. Aurel. Victor de Vir. Illustr. 78. Dio 43, 20. Drumann t. 3. p. 133 Atque Dolabella in oratione sua hoc ei crimen publice obiecit.

Curionis] v. pag. 347.

LXVIII. *L. Plotius Gallus.*

L. Plotius e Gallia cisalpina oriundus, ludum artis rhetoricae Romae aperuit a. 666 (88). Conf. Sueton. de clar. rhet. c. 2. Ellendt p. XIV. Weichert Poet. lat. p. 218.

Hieronymus in Eusebii Chron. Olymp. 173, 1. = a. u. 666 (88). *Plotius Gallus primus Romae latinam rhetoricam docuit, de quo Cicero sic refert: Memoria teneo, pueris nobis primum latine docere coepisse Plotium quendam.*

Quintil. 2, 4, 42. *Latinos dicendi praeceptores extremis L. Crassi temporibus coepisse, Cicero auctor est, quorum insignis maxime Plotius fuit.*

extremis L. Crassi temporibus] L. Licinius Crassus orator mortuus est a. 663 (91).

Seneca Controvers. lib. 2. Prooem. *Primus omnium latinus rhetor Romae fuit puero Cicerone Plotius.* Eiusdem meminit Varro in Satiris apud Nonium p. 79. *bubulcitare. Vinicius meus, quod apud Plotium rhetorem bubulcitaret.* Scripsitque praeter librum de *gestu* (teste Quintiliano XI, 3, 143.) *orationes*, quibus rei uterentur; sicuti Atratino, qui M. Coelium Rufum a. 698 (56) reum fecit, orationem composuisse constat.

Suetonius de cl. Rhett. 2. *Hunc eundem Plotium (nam diutissime vixit) M. Coelius in oratione, quam pro se de vi habuit, significat dictasse Atratino accusatori suo actionem subtractoque nomine hordearium eum rhetorem appellat, deridens ut inflatum et levem et sordidum.*

M. Coelius] v. Orat. M. Coelii Rufi.
Atratino] v. Orat. Atratini.

LXIX et LXX. *Lentuli.*

Lentuli duo oratores memorantur, quorum alter *Cn. Corn. Lentulus Clodianus*, alter *P. Lentulus Sura* esse videtur. Uterque aequalis erat Hortensii, anno igitur 640 (114) natus.

Cic. Brut. 64. *Hortensius suos inter aequales M. Pisonem, M. Crassum, Cn. Lentulum, P. Lentulum Suram longe praestitit.*

Cn. Cornel. Lentulus Clodianus consul a. 682 (72), censor a. 684 (70). Drumann t. 2. p. 546.

P. Corn. Lentulus Sura quaestor a. 673 (81), praetor a. 679 (75), consul a. 683 (71). Deinde a. 684 (70) e senatu a censoribus motus, iterum practura functus est a. 691 (63), sed, cum inter coniuratos Catilinae esset, morte multatur. Drumann t. 2. p. 529. Plut. Cicero c. 17.

Cic. Brut. 66. *Cn. Lentulus multo maiorem opinionem dicendi actione faciebat, quam quanta in eo facultas erat; qui cum esset nec peracutus, quamquam et ex facie et ex vultu videbatur, nec abundans verbis, etsi fallebat in eo ipso, sic intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora admodum arridebat, callebatque in agendo, ut ea quae deerant non desiderarentur. Ita tamquam Curio copia nonnulla verborum, nullo alio bono tenuit oratorum locum, sic Cn. Lentulus ceterarum virtutum dicendi mediocritatem actione occultavit, in qua excellens fuit: nec multo secus P. L e n t u l u s, cuius et excogitandi et loquendi tarditatem tegebat formae dignitas, corporis motus plenus et artis et venustatis, vocis*

et suavitas et magnitudo. Sic in hoc nihil praeter actionem fuit, cetera etiam minora quam in superiore.

Cn. Lentulus] idem tradit Quintilianus XI, 3, 8.

Eorundem fit mentio apud Ciceronem in Bruto c. 90. *Triennium fere fuit urbs sine armis, sed oratorum aut interitu aut discessu aut fuga (nam aberant etiam adolescentes M. Crassus et Lentuli duo) primas in causis agebat Hortensius.*

triennium] a. 668—670 (86—84).

Extabant *Lentulorum orationes* in opere Muciani. Tacit. Dial. de Oratt. 37. *Nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae et in antiquariorum bibliothecis adhuc manent et cum maxime a Muciano contrahuntur, ac iam undecim, ut opinor, Actorum libris et tribus Epistolarum composita et edita sunt. Ex iis intelligi potest, Cn. Pompeium et M. Crassum non viribus modo et armis sed ingenio quoque et oratione valuisse, Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et ceteram procerum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine aliqua eloquentia consecutum.*

haec vetera] v. *Pompeii Oratt.*

LXXI. *M. Licinius Crassus.*

Natus est a. 640 (114); aequalis enim fuit Hortensii. Cic. Brut. 65. In bello civili Sullae legatus erat a. 670. 671. 672. 673 (84—81). Praetor a. 683 (71). Eodem anno Crasso bellum servile contra Spartacum defertur. A. 684 (70) consul cum Pompeio. erat tum 44 annos natus. A. 689 (65) censor. A. 699 (55) consul iterum cum Pompeio. A. 700 (54) Syriam obtinuit provinciam, et statim consilium cepit, Parthis inferendi bellum, iam sexagenarius. Plut. Crass. 17. A. 701 (53) a Parthis occiditur. Vid. Drumann t. 4. p. 72.

Cic. Brut. 65, 233. et 66. *M. Crassus, qui fuit aequalis Hortensii, mediocriter a doctrina instructus,*

angustius etiam a natura, labore et industria, et quod adhibebat ad obtinendas causas curam etiam et gratiam, in principibus aliquot annos fuit. In huius oratione sermo latinus erat, verba non abiecta, res compositae diligenter, nullus flos tamen neque lumen ullum, animi magna, vocis parva contentio, omnia fere ut similiter atque uno modo dicerentur.

Ibid. c. 64. *Hortensius suos inter aequales M. Pisonem, M. Crassum, Cn. Lentulum, P. Lentulum Suram longe praestitit.*

Cic. p. Murena c. 23. *M. Crassus vir summa dignitate et diligentia et facultate dicendi.*

Velleius 2, 36. *Quis ignorat, diremptos gradibus aetatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium, saneque Crassum, Catonem, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Calvum, Coelium et proximum Ciceroni Caesarem, eorumque velut alumnos Corvinum ac Pollionem Asinium.*

hoc tempore] contextus docet, consulatum Ciceronis, id est, annum 691 (63) esse intelligendum.

saneque Crassum] hunc locum optime defendit Ellendt p. CVI. Nam profecto non de summis omnium aetatum oratoribus hoc loco agitur, sed de iis tantum, qui a. 691 (63), quo anno Cicero consul erat, maxime florebant: tum autem inter principes patronos erant Hortensius, M. Crassus triumvir, M. Cato minor, Caesar, Servius Sulpicius Rufus, deinde Coelius, Calvus, Calidius, Brutus. L. Crassus autem et M. Antonius et Cotta et P. Sulpicius Rufus, quos alii interpretes huc vocarunt, cuncti iam morte extincti erant, nec poterant iis amplius adnumerari, qui adiecerunt consulatui Ciceronis decus atque splendorem. Quare Drumannus t. 4. p. 115, Ruhnkenii emendationem secutus, a sensu aberrasse videtur, item Kritz, novissimus Velleii editor.

Tacit. Dial. de Orator. c. 37. *Nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae et in antiquariorum bibliothecis adhuc manent, et cum maxime a Muciano contrahuntur, ac iam undecim, ut opinor, actorum libris et tribus epistolarum composita et edita sunt. Ex iis intelligi potest, Cn. Pompeium et M. Crassum non viribus modo et armis sed ingenio*

quoque et oratione valuisse, Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et ceteram procerum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine aliqua eloquentia consecutum.

a Muciano] v. Oratt. Pompeii.

Plut. Crassus c. 3. *Παιδείας δὲ τῆς περὶ λόγον μάλιστα μὲν τὸ ῥητορικὸν καὶ χρειῶδες εἰς πολλοὺς ἤσκησε, καὶ γενόμενος δεινὸς εἰπεῖν ἐν τοῖς μάλιστα Ῥωμαίων ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ τοὺς εὐφυεστάτους ὑπερέβαλεν. Οὐδεμίαν γὰρ οὕτω δίκην φασὶ μικρὰν οὐδ' εὐκαταφρόνητον γενέσθαι, πρὸς ἣν ἀπαράσκευος ἦλθεν, ἀλλὰ καὶ Πομπηΐου πολλάκις ὀκνοῦντος καὶ Καίσαρος ἐξαναστῆναι καὶ Κικέρωνος ἐκεῖνος ἀνεπλήρου τὴν συνηγορίαν, καὶ διὰ τοῦτο μᾶλλον ἤρεσκεν ὡς ἐπιμελὴς καὶ βοηθητικός.*

ibid. c. 7. *Σώματος δ' ἀξίωμα καὶ λόγου πειθὼ καὶ προσώπου χάριν ἀγωγὸν ἀμφοτέροις* (Crasso et Pompeio) *ὁμοίως προσεῖναι λέγουσιν.*

1. Oratio pro L. Licinio Murena.

Causa est acta a. 691 (63). Vid. argum. orat. Ciceron. et in eadem c. 4, 10.

2. Oratio pro L. Cornelio Balbo.

Acta est causa a. 698 (56). Defendit reum Pompeius una et Cicero.

Cic. p. Balbo. 7, 17. *M. Crassus totam causam et pro facultate et pro fide sua diligentissime vobis explicavit.*

ibid. c. 22, 50. *Quid? hic qui adest, a quo haec, quae ego nunc percurro, subtilissime sunt omnia perpolita, M. Crassus, non Aletrinensem foederatum civitate donavit?*

3. Oratio pro M. Coelio Rufo.

Causa est acta a. 698 (56). Drumann t. 2. p. 412. Reum defendit et Cicero.

Cic. p. Coelio c. 8. *Quo loco possum dicere id, quod vir clarissimus, M. Crassus, cum de adventu regis Ptolomaei quereretur, paulo ante dixit „Utinamne in nemore Pelio“ ac longius quidem mihi contexere hoc carmen liceret.*

ibid. c. 10, 23. *Itaque illam partem causae facile patior graviter et ornate a M. Crasso esse peroratam, de seditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulsatione Puteolana, de bonis Pallae. Vellem dictum esset ab eodem etiam de Dione.*

4. Oratio pro P. Sestio.

Acta est causa a. 698 (56).

Schol. Bobiensia in orat. p. Sestio p. 292. *Hanc eandem causam defenderunt plurimi: in quis fuit Q. Hortensius, M. Crassus, Licinius Calvus.*

LXXII. *C. Licinius Macer.*

Natus anno circiter 648 (106), ita ut Ciceronis fere et Pompeii aequalis esse, et vix paucis annis aetate eos superasse videatur. Quaestor a. 676 (78) auctore Pighio. Tribunus pl. a. 681 (73). Deinde praeturam obtinuit nescio quo anno atque in provinciam decessit, unde reversus, a. Cicerone a. 688 (66) repetundarum reus factus, condemnatur et eodem fere tempore diem obiit. Valerius Max. 9, 12, 7. Plut. Cicero c. 9. Cic. ad Attic. 1, 4. Stetit contra nobilitatem atque optimates. Conf. Drumann t. 4. p. 194. Weichert Poet. lat. reliquiae p. 102. Eius filius, C. Licinius Calvus, multo celebrior.

Cic. Brut. c. 67. *C. Macer auctoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodum diligentissimus. Huius si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingenii everteret, maius nomen in patronis fuisset. Non erat abundans, non inops tamen, non valde nitens, non plane horrida oratio: vox, gestus et omnis actio sine lepore, at in inveniendis componendisque rebus mira accuratio, ut non facile in ullo diligentiorem maioremque cogno-*

verim, sed eam, ut citius veteratoriam quam oratoriam diceres. Hic etsi etiam in publicis causis probabatur, tamen in privatis illustriorem obtinebat locum.

Idem Annalium scriptor erat, de quibus Cicero De Legibus 1, 2. ita locutus est:

Quid Macrum numerem? Cuius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita graecorum copia, sed ex libraliolis latinis; in orationibus autem multas ineptias, elatio summam impudentiam.

in orationibus] Patet, eas Macri orationes hoc loco intelligendas, quas annalibus inseruil, pariter atque ceteri historici solent. Conf. Niebuhr Hist. Rom. t. 2. p. 11. sq. ed. sec.: earumque extant fragmenta, quae Krause in Vitis et Frag. Historicorum collegit, velut apud Priscianum t. 1. p. 496 et Diomedem p. 366.

1. Oratio ad plebem pro tribunicia potestate restituenda.

Salustius orationem finxit a C. Licinio Macro tribuno pl. a. 681 (73) habitam, ex qua apparet, Macrum hominem popularem fuisse et adversarium optimatium, acerrimeque contendisse, ut Sullae leges abrogarentur, et tribunicia potestas restitueretur. Conf. *Salustii Orationes et Epistolae,* ab Orellio editae a. 1831. pag. 25.

2. Oratio contra C. Rabirium.

Acta est causa a. 681 (73). C. Rabirius bis in iudicium vocatus est, quod L. Appuleium Saturninum in tribunatu a. 654 (100) occidisset. Macer tribunus pl. eum accusavit, sed liberatus est. Deinde T. Atius Labienus decem annis post auctore Caesare a. 691 (63) eum eiusdem criminis reum fecit, Hortensio atque Cicerone defendente. Drumann t. 3. p. 161. t. 4. p. 194.

Cic. pro C. Rabirio perduellionis reo c. 2. *Nisi forte de locis religiosis ac de lucis, quos ab hoc violatos esse dixisti, pluribus verbis tibi respondendum putas: quo in crimine nihil est umquam abs te dictum, nisi a C. Macro obiectum esse crimen id C. Rabirio. In quo ego demiror, meminisse te, quid obiecerit*

C. Rabirio Macer inimicus, oblitum esse, quid aequi et iurati iudices iudicarint.

3. Oratio pro Tuscis.

Veri simile est, hanc quoque orationem Macrum in tribunatu suo a. 681 (73) dixisse. Constat, Tuscos sive incolas Etruriae in bello civili Marium esse secutos, pro eoque contra Sullam acriter pugnasse. Victo deinde Mario Sulla in Tuscos saeviit, eorumque regionem legionibus suis tradidit. Cum vero eo mortuo adversarii iniurias illatas atque plagas ulcisci et erepta sociis patrimonia restituere cuperent: Macer quoque, qui omnes leges Sullanas abrogandas esse censuit, pro Tuscis causam suscepisse videtur. Quam tristis fuerit eorum conditio, ex Salustio accepimus, qui in Bell. Catil. c. 28 haec scribit: *Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare, egestate simul ac dolore iniuriae novarum rerum cupidam, quod Sullae dominatione agros bonaque omnia amiserat, praeterea latrones cuiusque generis, quorum in ea regione magna copia erat, nonnullos ex Sullanis colonis, quibus libido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.* Conf. Keferstein Bellum Marsicum p. 79. Drumann t. 2. p. 480. Zachariä Sulla p. 139 sqq. Göttling Gesch. d. röm. Staatsverf. p. 461.

Priscianus t. 1. p 502. *Verro* secundum Servium *versi* facit, secundum Charisium autem verri, quod et usus comprobat. *Licinius Macer pro Tuscis: Quos oportuit amissa restituere, hisce etiam reliquias averrerunt.*

Quos] legendum *quibus*.

LXXIII. *Cn. Pompeius Magnus.*

Natus est a. 648 (106), eodem anno quo Cicero. Inde ab adolescentia, id est, ab anno 665 (89), bello civili interfuit, et inter omnes Sullae legatos longe maxime excellebat. Unde omnibus bellis confectis Romam reversus a. 674 (80), cognomen Magni et triumphum

a Sulla dictatore accepit. Plut. Pompei. 13. Drumann t. 4. p. 335. Eckhel Doctr. Num. t. 5. p. 280. Postea bellum gessit in Hispania contra Sertorium, unde rediit a. 683 (71), et secundum triumphum egit. Consul a. 684 (70), legibus solutus: aetatem enim legitimam annorum 43 non habebat, quippe 37 annos erat natus. Anno 685 (69) et 686 (68) Romae degit. A. 687 (67) bellum piraticum ei mandatur. A. 688 (66) bellum Mithridaticum traditur, unde rediit a. 693 (61) et tertium triumphum celebrat. Consul iterum a. 699 (55). Consul tertium a. 702 (52). A. 705 (49) bellum civile inter Pompeium et Caesarem erupit. A. 706 (48) Pompeius, a Caesare victus, in Aegyptum fugit ibique occiditur, 58 annos natus. Eius vitam descripsit Drumann t. 4. p. 305—556.

Cic. Brut. 68. *Meus aequalis Cn. Pompeius, vir ad omnia summa natus, maiorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum maioris gloriae cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. Erat oratione satis amplus, rem prudenter videbat, actio vero eius habebat et in voce magnum splendorem et in motu summam dignitatem.*

Cic. pro lege Manilia c. 14. *Iam quantum consilio, quantum dicendi gravitate et copia valeat, in quo ipso inest quaedam dignitas imperatoria, vos, Quirites, hoc ipso ex loco saepe cognostis.*

Cic. ad Atticum in epistola a. 693 (61) scripta, lib. 1. 14. *Prima concio Pompeii qualis fuisset, scripsi ad te antea, non iucunda miseris, inanis improbis, beatis non grata, bonis non gravis, itaque frigebat.*

frigebat] Drumann t. 4. p. 544 de hoc loco sic scribit. Seine Reden konnten nicht für ihn begeistern, weil er selbst nichts fühlte.

Velleius 2, 29. *Cn. Pompeius innocentia eximius, sanctitate praecipuus, eloquentia medius.*

Quintil. XI, 1, 36. *Est quod principes deceat, aliis non concesseris. Imperatorum ac triumphalium separata est aliqua ex parte ratio eloquentiae, sicut*

Pompeius abunde disertus rerum suarum narrator, et hic, qui bello civili se interfecit, Cato eloquens senator fuit.

Seneca Epist. XI. *Nihil erat mollius ore Pompeii, nunquam non coram pluribus erubuit, utique in concionibus.*

Tacit. Dial. de Orator. c. 37. *Nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae et in antiquariorum bibliothecis adhuc manent et cum maxime a Muciano contrahuntur, ac iam undecim, ut opinor, Actorum libris et tribus Epistolarum composita et edita sunt: ex iis intelligi potest, Gnaeum Pompeium et Marcum Crassum non viribus modo et armis sed ingenio quoque et oratione valuisse; Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et ceteram procerum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine aliqua eloquentia consecutum.*

haec vetera] i. e. haec vetera romanae eloquentiae monumenta sive actiones veterum oratorum.

a Muciano] Licinius Mucianus sub Vespasiano imperatore florebat: qui et in republica et in vario litterarum genere multum praestitit, eiusque apud multos auctores fit mentio. De rerum natura atque de geographia mundi eum praeter alia scripsisse, ex Plinio maiore constat. vid. Tacit. Hist. 2, 5. Dio Cassius 66, 2. Suidas v. ἀγήλειεν.

contrahuntur] i. e. colliguntur. Eo ipso tempore, quo hic dialogus scriptus est, Mucianus illo opere, quo orationes veterum oratorum atque epistolas clarorum virorum collegit, erat occupatus.

Actorum] Acta i. e. actiones oratorum, quae vel in senatu vel in foro habitae sunt. Alii epitomae orationum intelligunt. Sic Le Clerc *Des Journaux chez les Romains* Paris 1838 p. 202: Il faut remarquer que ce titre d'*Acta* se donnait aussi quelquefois, dans un sens plus restreint, à un résumé des discours prononcés, soit dans la tribune publique, soit dans les basiliques et le comitium. Lorsque le jeune Tacite écrivait le dialogue *sur les Orateurs*, Mucien, l'ami de Vespasien, avait déjà formé onze volumes de ces analyses d'anciens discours, *Actorum libri*. Alii aliter explicant.

M. Crassum] triumvirum, de quo supra diximus p. 382.

Lentulos] intelligo Cn. Corn. Lentulum Clodianum et P. Corn. Lentulum Suram de quibus antea retulimus p. 381.

Metellos] Q. Caecilius Metellus Celer et Q. Caecilius Metellus Nepos fratres, de quibus infra dicemus.

Lucullos] L. Lucullum et M. Lucullum. v. pag 358.

Curiones] Curio pater et filius, quorum de orationibus alibi diximus.

Plut. Crassus 7. *Σώματος δ' ἀξίωμα καὶ λόγου πειθὼ καὶ προσώπου χάριν ἀγωγὸν ἀμφοτέροις* (Pompeio et Crasso) *ὁμοίως προσεῖναι λέγουσιν.*

Sueton. De Clar. Rhetor. 1. *Paulatim rhetorica et ipsa utilis honestaque apparuit, multique eam et praesidii causa et gloriae appetiverunt. Cicero ad praeturam usque graece declamitavit, latine vero senior quoque. Cn. Pompeium quidam historici tradiderunt, sub ipsum civile bellum, quo facilius C. Curioni promtissimo iuveni causam Caesaris defendenti contradiceret, repetisse declamandi consuetudinem, M. Antonium, item Augustum ne Mutinensi quidem bello omisisse.*

Pompeius non amabat scribere orationes, et nonnumquam, aliis impeditus negotiis, Cicero aut Sestio, id officium mandavit.

Quintil. 3, 8, 50. *Sunt multae a graecis latinisque compositae orationes, quibus alii uterentur, ad quorum conditionem vitamque aptanda, quae dicebantur, fuerunt. An eodem modo cogitavit aut eandem personam induit Cicero, cum scriberet Cn. Pompeio, Domitio ceterisve.*

Cic. ad Atticum. 7, 17. *Scire iam te oportet, L. Caesar quae responsa referat a Pompeio, quas ab eodem ad Caesarem ferat litteras. Scriptae enim et datae ita sunt, ut proponerentur in publico, in quo accusavi mecum ipse Pompeium, qui, cum scriptor luculentus esset, tantas res atque eas, quae in omnium manus venturae essent, Sestio nostro scribendas dederit.*

---

1. Oratio ad populum de restituenda potestate tribunitia.

Pompeius consul designatus a. 683 (71) concionem habuit. Drumann t. 4. p. 382.

Pseudo Asconius in Act. 1. in Verrem p. 148. *Pompeius proconsule de Hispania Sertorio victo nuper venerat, et statim habuerat concionem de restituenda tribunicia potestate.*

Cic. in Verrem actio Prima c. 15. *Ipse Cn. Pompeius, cum primum concionem ad urbem consul designatus habuit, ubi(id quod maxime exspectari videbatur) ostendit, se tribuniciam potestatem restituturum, factus est in eo strepitus et grata concionis admurmuratio. Idem in eadem concione cum dixisset, populatas vexatasque esse provincias, iudicia autem turpia et flagitiosa fieri: ei rei se providere ac consulere velle: tum vero non strepitu sed maximo clamore suam populus romanus significavit voluntatem.*

2. Oratio de triumpho suo.

Ea est habita a. 693 (61), cum Pompeius de Asia triumpharet.

Plin. Hist. Nat. 7, 26. *Triumphi, quem duxit Pompeius a. d. tertium Kalendas Octobres M. Pisone M. Messalla coss. praefatio haec fuit: cum oram maritimam a praedonibus liberasset et imperium maris populo romano restituisset, ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudaeis, Albanis, Iberia, insula Creta, Basternis et super haec de regibus Mithridate atque Tigrane triumphavit. Summa summarum in illa gloria fuit, ut ipse in concione dixit, cum de rebus suis dissereret, Asiam ultimam provinciarum accepisse eandemque mediam patriae reddidisse.*

Plin. Hist. 37, 2. *Victoria illa Pompeii primum ad margaritas gemmasque mores inclinavit. Id uti planius noscatur, verba ex ipsis Pompeii triumphorum actis subiiciam. Ergo tertio triumpho, quem de piratis, Asia, Ponto gentibusque et regibus in septimo operis huius volumine indicatis M. Pisone M. Messala coss. pridie Kal. Octob. die natalis sui egit, transtulit alveum cum tesseris lusorium e gemmis*

duabus latum pedes tres, longum pedes quatuor, (et ne quis de ea re dubitet, nulla gemmarum magnitudine hodie prope ad hanc amplitudinem accedente), in ea fuit luna aurea pondo XXX, lectos tricliniares tres, vasa ex auro et gemmis abacorum novem, signa aurea tria Minervae Martis et Apollinis, coronas ex margaritis triginta tres, montem aureum quadratum cum cervis et leonibus et pomis omnis generis, circumdata vite aurea, Museum ex margaritis, in cuius fastigio horologium erat; imago Cn. Pompeii e margaritis. — — Reipublicae et quaestoribus, qui oram maris defendissent, datum mille talentum, militibus singulis sena millia sestertium.

3. Oratio pro T. Annio Milone.

Acta est causa a. 698 (56). P. Clodius accusavit Milonem de vi. Eum defendit Pompeius. Drumann t. 2. p. 323.

Cic. ad Q. fratr. 2, 3, 2. *Milo affuit. Dixit Pompeius, sive voluit. nam, ut surrexit, operae Clodianae clamorem sustulerunt, idque ei perpetua oratione contigit, non modo ut acclamatione, sed ut convicio et maledictis impediretur. Qui ut peroravit, (nam in eo sane fortis fuit: non est deterritus, dixit omnia atque interdum etiam silentio, cum auctoritate semper) sed ut peroravit, surrexit Clodius.*

4. Oratio pro L. Cornelio Balbo.

Acta est causa a. 698 (56). L. Cornelius Balbus Gaditanus cum civitatem romanam Pompeio auctore obtinuisset, alii autem Balbum civem esse negarent, eumque in iudicium vocarent, ab eodem Pompeio, Crasso et Cicerone defenditur. Drumann t. 2. p. 594.

Cic. p. Balbo 1. *Quae fuerit hesterno die Cn. Pompeii gravitas in dicendo, quae facultas, quae copia, non opinione tacita vestrorum animorum, sed perspicua admiratione declarari videbatur. Nihil enim umquam audivi, quod mihi de iure subtilius*

dici videretur, nihil quod memoria maiore de exemplis, nihil peritius de foederibus, nihil illustriore auctoritate de bellis, nihil de republica gravius, nihil de ipso modestius, nihil de causa et crimine ornatius, ut mihi iam verum videatur illud esse, quod nonnulli litteris ac studiis doctrinae dediti quasi quiddam incredibile dicere putabantur, eum [illegible] animo virtutes penitus comprehendisset, omnia quae faceret, facillime tractare. Quae enim in L. Crasso potuit, homine nato ad dicendi singularem quandam facultatem, si hanc causam ageret, maior esse ubertas, varietas, copia, quam fuit in eo, qui tantum potuit impertire huic studio temporis, quantum ipse a pueritia usque ad hanc aetatem a continuis bellis et victoriis conquievit?

ibid. c. 7, 17. *Pompeii oratio omnibus ornamentis abundavit.*

Cic. de legibus 2, 3. *Magnus ille noster posuit in iudicio, cum pro Balbo tecum simul diceret, rem publicam nostram iustissimas huic municipio gratias agere posse, quod ex eo duo sui conservatores extitissent.*

Magnus] Pompeius id in honorem Ciceronis dixit.
huic municipio] Arpinum intelligit.
duo sui conservatores] Marius et Cicero.

5. Oratio pro L. Scribonio Libone.

Acta est causa a. 699 (55) Pompeio et Crasso iterum consulibus apud censores M. Val. Messalam et P. Servilium Vatiam Isauricum. Accusavit Libonem Helvius Mancia, cuius supra retulimus orationem, pag. 327.

6. Concio ad populum.

Eam habuit consul iterum a. 699 (55).

Plut. Pompeius c. 54. *Καίτοι Πομπήϊος εἰπέ ποτε δημηγορῶν, ὅτι πᾶσαν ἀρχὴν λάβοι πρότερον ἢ προσεδόκησε καὶ κατάθοιτο θᾶττον ἢ προσεδοκήθη, καὶ νὴ Δία μαρτυρούσας εἶχεν ἀεὶ τὰς διαλύσεις τῶν στρατοπέδων·*

πᾶσαν ἀρχήν] Honorem enim triumphi meruit, antequam senator erat, et consulatum primum obtinuit diu ante legitimam aetatem. Deinde bellum contra piratas incredibili celeritate finivit, cunctaque ei voluntate cesserunt et fortuna semper favit usque ad a. 693 (61).

7. Oratio de Theophane Mitylenaeo.

Ea est habita tempore belli Mithridatici (688—693), [illegible] nocuit. Usus est Pompeius Theophane Mitylenaeo, cum in Asia contra Mithridatem regem bellum gereret, eumque tantopere adamare coepit, ut auctoritas eius apud se plurimum valeret. Quare in concione militum civitate eum romana donavit. Theophanem res gestas Pompeii scripsisse constat.

Cic. p. Archia 10, 24. *Quid? Noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adaequavit, nonne Theophanem Mitylenaeum, scriptorem rerum suarum, in concione militum civitate donavit?*

Valer. Max. 8, 14, 3. *Ne Pompeius quidem Magnus ab hoc affectu gloriae aversus, qui Theophanem Mitylenaeum scriptorem rerum suarum, in concione militum civitate donavit, beneficium per se amplum accurata etiam et testata oratione prosecutus.*

Incerta.

Marius Victorinus De Orthographia l. 1. 4, 4. p. 8 ed Gaisford: *Gneius Pompeius Magnus et scribebat et dicebat Kadamitatem pro Kalamitatem.*

Kadamitatem] similia exempla litterarum *d* et *l* mutatarum v. in Schneideri Elementarlehre d. lat. Spr. T. 1. p. 255.

LXXIV. *C. Antonius.*

Aequalis fere Ciceronis, praeturam et consulatum una iisdem annis, quibus Cicero, obtinuit. A. 667 (87) interfuit exercitui Sullae, qui in Graecia adversus Mithridatem regem bellum gessit. Cum ibi multis socios iniuriis affecisset pecuniasque diripuisset, a. 678 (76) a Caesare repetundarum postulatus est. Tribunus pl. a. 682 (72). Senatu motus a L. Gellio et Cn. Lentulo censoribus a. 684 (70), mox recipitur. Praetor a. 688 (66).

Consul a. 691 (63). Post consulatum provinciam Macedoniam diripuit. A. 695 (59) maiestatis, cum inter coniuratos Catilinae fuisset, a M. Coelio Rufo, deinde repetundarum a C. Caninio Gallo postulatur. Eiectus in exilium in insulam Cephalleniam abiit, unde a. 707 (47) Romam rediit. Conf. Drumann t. 1. p. 531.

1. Oratio adversus Ciceronem.

Causa acta est a. 690 (64). Antonius cum consulatum peteret, ambitus a Cicerone reus factus, at frustra: creatur enim consul. Vide argumentum *Orationis Ciceronis in toga candida.* Ferebatur oratio C. Antonii adversus Ciceronem, ut refert

Asconius in Orat. in Toga candida p. 95. *Huic orationi Ciceronis et Catilina et Antonius contumeliose responderunt, quod solum poterant, invecti in novitatem eius. Feruntur quoque orationes nomine illorum editae, non ab ipsis scriptae, sed ab Ciceronis obtrectatoribus, quas nescio an satius sit ignorare.*

Quintilianus ex Antonii oratione affert locum, quem ipsius Antonii esse putat, verum declamatori potius tribuerim: nam haec ipsa verba declamationem et umbram potius sapiunt quam veram causam. Conf. Madwig de Asconio p. 75.

Quintil. 9, 3, 94. *Προσαπόδοσιν dicit, quae, ut maxime, servetur sane in pluribus propositis, quia aut singulis statim ratio subiiciatur, ut est apud C. Antonium: Sed neque accusatorem eum metuo, qui sum innocens, neque competitorem vereor, qui sum Antonius, neque consulem spero, qui est Cicero. aut positis duobus vel tribus, eodem ordine singulis continua reddatur, quale apud Brutum de dictatura Cn. Pompeii.*

Scholia Bobiensia in Orat. p. Sulla p. 363. *Novitatem Ciceronis multi quidem per illa tempora contumeliis agitare voluerunt, ut Catilina et Clodius et ipse, quamvis collega fuerit, C. Antonius.*

LXXV. *L. Sergius Catilina.*

Aequalis fere Ciceronis. Praetor a. 686 (68). deinde Africam provinciam obtinuit, unde reversus, a. 689 (65) repetundarum dixit causam. A. 690 (64) consulatum petebat; sed ambitus postulatus a Cicerone, repulsam tulit. Bis contra rempublicam coniuravit, primum a. 688 (66), deinde a. 690 (64): sed haec coniuratio, cum a. 691 (63) eruptura esset, a Cicerone consule detegitur. Catilina effugit proelioque occiditur a. 692 (62). Conf. Drumann t. 5. p. 388.

Oratio adversus Ciceronem.

Acta est causa a. 690 (64). Sex competitores consulatus fuere a. 690 (64), inter quos Catilina, C. Antonius, Cicero. Catilina et Antonius (ut modo diximus) a Cicerone ambitus accusantur. Vide *Argumentum Asconii in Ciceronis orationem in toga candida contra C. Antonium et L. Catilinam competitores* pag. 82.

Ferebatur oratio Catilinae adversus Ciceronem, non ab ipso Catilina, rerum a rhetore quodam scripta.

Asconius in Orat. in tog. cand. p. 95. *Huic orationi Ciceronis et Catilina et Antonius contumeliose responderunt, quod solum poterant, invecti in novitatem eius. Feruntur quoque orationes nomine illorum editae, non ab ipsis scriptae, sed ab Ciceronis obtrectatoribus, quas nescio an satius sit ignorare.*

Scholia Bobiensia in Orat. p. Sulla p. 363. *Novitatem Ciceronis multi quidem per illa tempora contumeliis agitare voluerunt, ut Catilina et Clodius et ipse, quamvis collega fuerit, C. Antonius.*

Declamatio antiqui rhetoris non amplius extat, alia autem, recentioribus ficta temporibus, etiamnunc fertur, atque primum typis expressa est, ut Orellio videtur in *Indice Editionum Scriptorum Ciceronis* p. 258., in editione, cuius titulus est: *Orationes V Ciceronis contra Catilinam. Oratio invectiva contra Ciceronem. Oratio Crispi Sallustii contra Ciceronem. M. T. Ciceronis*

oratio responsoria contra Sallustii invectivam edente Philippo Beroaldo s. l. et a. et typogr. nom 4. deinde in aliquot editionibus antiquissimis Salustii, quas accurate descripsit M. G. Veesenmeyer *Bibliographische u. biographische Analekten zu der Litteratur der alten griech. und lat. Schriftsteller*, Ulm 1826. p. 61—64., atque in Constantii Feliciani Durantini de coniur. Catil. narrat. in Cortii Salustio p. 93—97. Mirum igitur, quod eandem velut ineditam e codice Ms. Schoettgenius ediderit in Analectis ex omni meliorum litter. genere Lipsiae 1725. T. 2. p. 441, eamque ipsi Catilinae tribuerit. Atque F. A. Wolfius quoque eam ineditam putabat, ut ex Marcellina p. XXX. apparet.

LXXVI. *P. Canutius.*

P. Canutius sive Cannutius aequalis Ciceronis est, id est, anno 648 (106) natus.

Cic. Brut. 56. *P. Canutius, aequalis meus, homo extra ordinem nostrum meo iudicio disertissimus.*

ordinem nostrum] senatorium.

Cic. pro Cluentio c. 18. *P. Canutius, homo in primis ingeniosus et in dicendo exercitatus.*

1. Orationes P. Sulpicii Rufi.

P. Canutius, cum P. Sulpicius Rufus (v. pag. 343.) orator celeberrimus esset nec tamen orationes reliquisset, post mortem eius orationes ex ingenio finxit easque pro Sulpicii orationibus haberi voluit.

Cic. Brut. 56, 205. *Sulpicii orationes quae feruntur, eas post mortem eius scripsisse P. Canutius putatur.*

Priscianus t. 1. p. 369. *Canutius: Turpe est, propter venustatem vestimentorum admirari, et propter turpissime actam vitam non contemni* — admirari *θαυμάζεσθαι.*

Canutius] huic Canutio vere fragmentum vindicavit Falster Memor. Obscur. p. 37. Alius Canutii mentio facta est in Dialogo de Oratoribus c. 21. Alius denique est Canutius tribunus pl. a. 710, contra quem M. Antonius dixit.

2. Oratio contra Oppianicum in causa Cluentiana.

Vide argumentum orationis Ciceronis pro A. Cluentio Avito.

LXXVII. *Servius Sulpicius Rufus.*

Eius pater equestri loco, avus nulla illustri laude celebratus. Cic. p. Murena c. 7. Videtur esse natus a. 649 (105) vel a. 650 (104) uno tantum duobusve annis minor quam Cicero, qui eum aequalem appellat in Bruto c. 40, 150. 42, 156. Ellendt p. CIV scribit, Servium a. 680 (74) quaestorem, a. 685 (69) aedilem fuisse. Praetor a. 689 (65). Deinde consulatum petens a. 691 (63) repulsam tulit, nec ante a. 703 (51) eum obtinuit. In bello civili Caesaris partes secutus, ab eoque a. 709 (45) proconsul Achaiae factus est. Deinde Caesare interfecto consilia senatus adiuvans, in legatione Mutinam ad Antonium profectus, a. 711 (43) diem obiit.

Orator celebris, at celebrior iuris consultus, et eo potissimum nomine a populo romano consulatus datus, ut Dio Cassius dicit l. 40, 58. Extant plurima fragmenta librorum eius de iure. Atque Epistolae candoris et ingenii plenae ab eo scriptae, inter Ciceronis ad familiares libro quarto adhuc supersunt. Conf. *Robertus Schneider Quaestionum de Servio Sulpicio Rufo Iurisconsulto romano* Specimina duo Lipsiae 1834.

Cic. Brut. c. 41. *De Servio ego dicam quod sentio. Non enim facile quem dixerim plus studii quam illum et ad dicendum et ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse. nam et in iisdem exercitationibus ineunte aetate fuimus, et postea una Rhodum ille etiam profectus est, quo melior esset et doctior, et inde ut rediit, videtur mihi in secunda arte primus esse maluisse quam in prima secundus. atque haud scio an par principibus esse potuisset, sed fortasse maluit, id quod est adeptus, longe omnium, non eiusdem modo aetatis, sed eorum etiam, qui fuissent, in iure civili esse princeps.*

Ibid. c. 42. *Adiunxit etiam et litterarum scientiam et loquendi elegantiam, quae ex scriptis eius, quorum similia nulla sunt, facillime perspici potest.*

Quintil. 10, 1, 116. *Servius Sulpicius insignem non immerito famam tribus orationibus meruit.*

ibid. 10, 5, 4. *Sed et illa ex latinis conversio multum et ipsa contulerit, ac de carminibus quidem neminem credo dubitare, quo solo genere exercitationis dicitur usus esse Sulpicius. Nam et sublimis spiritus attollere orationem potest, et verba, poetica libertate audaciora, non praesumunt eadem proprie dicendi facultatem.*

ibid. 12, 10, 11. *In oratione si species intueri velis, totidem pene reperias ingeniorum quot corporum formas. Sed fuere quaedam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam iam ingenii vim prae se ferentia. hinc sint Laelii, Africani, Catones etiam Gracchique. Mediam illam formam teneant L. Crassus, Q. Hortensius. Tum deinde efflorescat non multum inter se distantium tempore oratorum ingens proventus. Hic vim Caesaris, indolem Coelii, subtilitatem Calidii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalae, sanctitatem Calvi, gravitatem Bruti, a c u m e n S u l p i c i i, acerbitatem Cassii reperiemus. At M. Tullium, non illum habemus circa plurium artium species praestantem, sed in omnibus, quae in quoque laudantur, eminentissimum.*

ibid. 12, 3, 9. *M. Cato cum in dicendo praestantissimus, tum iuris idem fuit peritissimus, et Scaevolae Servioque Sulpicio concessa est etiam facundiae virtus.*

Velleius 2, 36. *Iam pene supervacaneum videri potest, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat, diremtos gradibus aetatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium, saneque Crassum, Catonem, S u l p i c i u m, moxque Brutum, Calidium, Coelium, Calvum et proximum Ciceroni Caesarem,*

eorumque velut alumnos Corvinum ac Pollionem Asinium.

Sulpicium] Servium Sulpicium Rufum, non Publium Sulpicium Rufum intelligendum esse, cum ex reliquis oratoribus aequalibus, qui una nominantur, elucet, tum ex iis, quae *in M. Crasso Oratore* supra diximus pag. 383.

Pomponius De Orig. Iuris in Digestor. lib. 1, 2, 43: *Servius in causis orandis primum locum aut pro certo post M. Tullium obtinuit. — Huius volumina complura extant* (de iure): *reliquit enim prope centum et octoginta libros.*

Servius] totum Pomponii locum, qui admodum difficilis est, luculenter tractat Rob. Schneider Spec. 1. p. 8 et Spec. 2. in praefatione.

Orationes.

Extabant Quintiliano teste Servii Sulpicii orationes tres, (quarum duas tantum novimus) reliquarum autem causarum, quas egerat, non orationes quidem integras edidit, sed commentarios, in quibus argumentum tantum et capita summa litteris mandata erant.

Quintil. 10, 7, 30. *Plerumque multa agentibus accidit, ut maxime necessaria et utique initia scribant, cetera quae domo afferunt, cogitatione amplectantur, subitis ex tempore occurrant. Quod fecisse M. Tullium commentariis ipsius apparet. Sed feruntur aliorum quoque, et inventi forte, ut eos dicturus quisque composuerat, et in libros digesti, ut causarum, quae sunt actae a Servio Sulpicio (cuius tres orationes extant), sed hi, de quibus loquor, commentarii ita sunt exacti, ut ab ipso mihi in memoriam posteritatis videantur esse compositi.*

1. Oratio contra L. Licinium Murenam.

Acta est causa a. 691 (63). Fuerunt competitores consulatus D. Iunius Silanus, L. Licinius Murena, L. Sergius Catilina et Servius Sulpicius Rufus. Creati sunt Murena et Silanus. Cum autem Sulpicius suspicaretur, Murenam ambitu et largitione suffragia obtinuisse, ambitus

eum postulavit. Hortensius (v. pag. 341.) atque Cicero defendit oratione, quae extat. reus absolutus est.

2. Oratio pro Aufidia.

Acta causa videtur a. 710 (44) vel 711 (43). Ellendt autem p. CXXXII. eam non modo ante Caesaris mortem sed etiam ante bellum civile actam scribit. De argumento Schneider haec scribit p. 62: *videtur causa fuisse hereditaria. nam apud Quintilianum signatores commemorantur, quo nomine constat eos maxime significari, qui testamenta signabant.* Conf. *Orat. Messalae Corvini.* Ceterum incertum est, utrum Sulpicius pro Aufidia dixerit an contra Aufidiam. Utraque enim opinio auctoritate nititur. Loci, qui probare videntur, pro Aufidia eum egisse, hi sunt.

Quintil. 4, 2, 106. *Sermo aversus a iudice et brevius indicat interim et coarguit magis, qua de re idem, quod in prooemio dixeram, sentio, sicut de prosopopoeia, qua tamen non Servius modo Sulpicius utitur pro Aufidia: Somnone te languidum an gravi lethargo putem oppressum? sed M. quoque Tullius circa navarchos.*

somnone te languidum] haec verba Sulpicius contra accusatorem Aufidiae dixit.

Quintil. 10, 1, 22. *Illud utilissimum, nosse eas causas, quarum orationes in manus sumserimus, et quoties continget, utrinque habitas legere actiones, ut Demosthenis atque Aeschinis inter se contrarias, et Servii Sulpicii atque Messalae, quorum alter pro Aufidia, contra dixit alter, et Pollionis et Cassii reo Asprenate aliasque plurimas.*

alter pro Aufidia] etsi ambiguum est, ad quem prius *alter* pertineat, verisimile tamen est ad Sulpicium esse referendum, ita ut hic pro Aufidia dixerit, Messala contra Aufidiam. Aliter sentit Wiese in Comment. de M. Val Messala Corvino p. 65., qui scribit, Sulpicium contra Aufidium (sic enim errore scribit), Messalam pro Aufidio dixisse.

Festus p. 153. *(Mancipatione adoptatur) ut patris sui heres e(sse desinat: sed eius qui adop)tet, tam heres est qua(m si ex eo natus esset. Arrogatione, qui) in potestate alie(na non est, arrogatoris fit filius) et suus heres, ut p(atet manifeste ex eo, quod ait Ser.) Sulpicius in ea oratio(ne, quam habuit contra Messalam) pro Aufidia.*

Sequitur locus, ex quo probari potest, contra Aufidiam orasse Sulpicium.

Quintil. 6, 1, 20. *Sed saepius id est accusatoris, avertere iudicem a miseratione, qua reus sit usurus, atque ad fortiter iudicandum concitare. Cuius loci est etiam occupare, quae dicturum facturumve adversarium putes. Nam et cautiores ad custodiam suae religionis iudices facit, et gratiam responsuris aufert, cum ea, quae praedicta sunt ab accusatore, iam, si pro reo petentur, non sint nova, ut Servius Sulpicius contra Aufidiam, ne signatorum, ne ipsius discrimen obiiciatur sibi, praemonet.*

contra Aufidiam] Vere est, quod Spalding adnotavit: „*Contra*, quod facit difficultatem, tenendum est, cum accusatoris sit exemptum." Hic locus varias excitavit virorum doctorum coniecturas. Spalding ad Quintil. 10, 1, 22 oblivionis accusandum esse putat Quintilianum, cum scribere vellet *M. Valerius Messala contra Aufidiam.* Frotscher ad Quintil. 10, 1, 22 censet, in Aufidiae nomine erratum esse, ita ut legendum sit *Servius Sulpicius contra Messalam.* Ellendt p. CVI scribit: Si aberravit, ut solet interdum, non librarii sed auctoris memoria, credam potius praepositionem VI., 1, 20 mutari debuisse quam Messalae nomen Sulpicio substitui. Igitur legendum putat: *Servius Sulpicius pro Aufidia.* Westermannus autem p. 210., Zumpt et Bonnell in Indice Nominum s. n. *Sulpicius*, atque Rob. Schneider P. 1. p. 62. assentiuntur Spaldingio, quibus ego accedo.

Festus p. 182. *Orba apud poe(tas significatur privata aliqua) cara persona, apud oratores, quae patrem amisit aut matrem, ut Servius (Sulpicius ait, quae liberos quasi oc)ulos orba est.*

quae liberos] Si Festi locus recte suppletus est, ex oratione potius quam ex libris de iure Servii Sulpicii verba sumta videntur. quod

ex eo probabile est, cum Festus dicat, *apud oratores orbam eam dici, quae patrem aut matrem amiserit.* Atque de Aufidia Sulpicius loqui videtur, ita ut orationi pro Aufidia hic sit tribuendus locus.

LXXVIII et LXXIX. *Metelli.*

Metelli, quorum orationes Mucianus operi suo de claris oratoribus inseruit, fratres fuere. alter Q. Caecilius Metellus Celer, praetor a. 691 (63), consul a. 694 (60). (Drumann t. 2. p. 24): alter Q. Caecilius Metellus Nepos, tribunus pl. a. 692 (62), consul a. 697 (57). (Drumann t. 2. p. 29).

Cic. Brut. 70. *Duo Metelli, Celer et Nepos, nonnihil in causis versati, nec sine ingenio nec indocti, hoc erant populare dicendi genus assecuti.*

populare dicendi genus] i. e. excellebant in concionibus, non in orationibus iudiciariis.

Tacit. De Oratoribus 37. *Nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae et in antiquariorum bibliothecis adhuc manent et cum maxime a Muciano contrahuntur, ac iam undecim, ut opinor, Actorum libris et tribus Epistolarum composita et edita sunt. ex iis intelligi potest, Cn. Pompeium et M. Crassum non viribus modo et armis sed ingenio quoque et oratione valuisse, Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et ceteram procerum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine aliqua eloquentia consecutum.*

a Muciano] hunc locum supra in Cn. Pompeio Magno p. 389. explicuimus.

Cicero meminit in epist. ad Atticum l. 6, 3, 10. *orationis Q. Celeris contra M. Servilium*, quam a. 694 (60) habitam Pighius t. 3. p. 349 scribit, quo anno Metellus consul, Servilius tribunus pl. erat. Alteri Metello, Nepoti, in edit. pr. orationem tribui, auctoritate nitens Ciceronis ad Fam. 5, 4. *Nunc mihi Q. frater meus mitissimam tuam orationem, quam*

in senatu habuisses, perscripsit. Sed aliter haec verba interpretanda opinor: Cicero enim non de oratione scripta loquitur, sed de eo, quod in senatu benevole Nepos et amice de se dixerat.

LXXX. *C. Iulius Caesar.*

Natus a. 654 (100), sex annis natu minor Cicerone et Pompeio. Quaestor a. 687 (67). v. F. A. Wolf in Sueton. Caes. 7. et Clinton ad h. a., Drumann autem t. 3. p. 140. quaesturam anno 686 (68) assignare mavult. Aedilis a. 689 (65). Praetor a. 692 (62). Consul a. 695 (59). Proconsul Galliae ab anno 696 (58) ad a. 705 (49). Dictator a. 707 (47) et consul iterum. Consul tertium a. 708 (46). Consul quartum a. 709 (45). Consul quintum a. 710 (44) interfectus est. Eius vitam confecit Drumann t. 3. p. 129—762.

Cic. Brut. 72, 252. *De Caesare ita iudico, illum omnium fere oratorum latine loqui elegantissime, nec id solum domestica consuetudine, sed, quamquam id quoque credo fuisse, tamen ut esset perfecta illa bene loquendi laus, multis litteris et iis quidem reconditis et exquisitis summoque studio et diligentia est consecutus.* c. 74. *Solum et quasi fundamentum oratoris vides locutionem emendatam et latinam.* c. 75. *Caesar autem rationem adhibens consuetudinem vitiosam et corruptam pura et incorrupta consuetudine emendat. Itaque cum ad hanc elegantiam verborum latinorum adiungit illa oratoria ornamenta dicendi, tum videtur tamquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. Hanc cum habeat praecipuam laudem in communibus, non video cui debeat cedere. Splendidam quandam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica et generosa quodammodo. Orationes quidem eius mihi vehementer probantur, complures autem legi.*

+ Velleius 2, 36. *Iam pene supervacaneum videri potest, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis*

enim ignorat, diremtos gradibus aetatis floruisse hoc tempore Ciceronem Hortensium saneque Crassum, Catonem, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Coelium, Calvum et proximum Ciceroni Caesarem, eorumque velut alumnos Corvinum ac Pollionem Asinium.

Quintil. 10, 1, 114. *C. Caesar si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, qua bellavit, appareat. Exornat tamen haec omnia mira sermonis, cuius proprie studiosus fuit, elegantia.*

Ibid. 12, 10, 11. *In oratione si species intueri velis, totidem pene reperias ingeniorum quot corporum formas. Sed fuere quaedam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam iam ingenii vim prae se ferentia. hinc sint Laelii, Africani, Catones etiam Gracchique. Mediam illam formam teneant L. Crassus, Q. Hortensius. Tum deinde effloresceat non multum inter se distantium tempore oratorum ingens proventus. Hic vim Caesaris, indolem Coelii, subtilitatem Calidii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalae, sanctitatem Calvi, gravitatem Bruti, acumen Sulpicii, acerbitatem Cassii reperiemus: at M. Tullium non habemus circa plurium artium species praestantem, sed in omnibus, quae in quoque laudantur, eminentissimum.*

vim Caesaris] conf. Quint. 10, 2, 25. 1, 7, 34.

Salust. Catil. 54. *C. Caesari et M. Catoni genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuere.*

Tacit. De Oratoribus c. 21. *Concedamus sane C. Caesari, ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecerit quam divinum eius ingenium postulabat, tam hercule quam Brutum philosophiae suae relinquamus: nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur, nisi forte quisquam aut*

Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui et carmina eorundem miratur.

ibid. c. 25. *Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Calvus autem et Asinius et* C a e s a r *et Coelius et Brutus suo iure et prioribus et sequentibus anteponuntur. nec refert, quod inter se specie differant, cum genere consentiant. Astrictior Calvus, numerosior Asinius,* s p l e n d i d i o r C a e s a r, *amarior Coelius, gravior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero: omnes tamen eandem eloquentiae sanctitatem ferunt, ut si omnium pariter libros in manum sumseris, scias, quamvis in diversis ingeniis, esse quandam iudicii ac voluntatis similitudinem et cognationem.*

Tacit. Annal. 13, 3. *Adnotabant seniores, quibus otiosum est, vetera et praesentia contendere, primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienae facundiae eguisse. Nam* d i c t a t o r C a e s a r s u m m i s o r a t o r i b u s a e m u l u s *et Augusto prompta ac profluens, quae deceret principem, eloquentia fuit.*

Sueton. Caes. c. 55. *Eloquentia militarique arte aut aequavit praestantissimorum gloriam aut excessit. Post accusationem Dolabellae haud dubie principibus patronis annumeratus est. Certe Cicero ad Brutum oratores enumerans, negat se videre, cui Caesar debeat cedere, aitque eum elegantem, splendidam quoque atque etiam magnificam et generosam quodammodo rationem dicendi tenere, et ad Cornelium Nepotem de eodem ita scripsit: Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis sententiis aut acutior aut crebrior, quis verbis aut ornatior aut elegantior? Genus eloquentiae duntaxat adolescens Strabonis Caesaris secutus videtur; pronuntiasse autem dicitur voce acuta, ardenti motu gestuque, non sine venustate.*

Plut. Caes. 3. *Λέγεται δὲ καὶ φῦναι πρὸς λόγους πολιτικοὺς ὁ Καῖσαρ ἄριστα καὶ διαπονῆσαι φιλοτιμότατα*

τὴν φύσιν, ὡς τὰ δευτερεῖα μὲν ἀδηρίτως ἔχειν, τὸ δὲ πρωτεῖον, ὅπως τῇ δυνάμει καὶ τοῖς ὅπλοις πρῶτος εἴη μᾶλλον, ἄλλοις ἀσχοληθεὶς ὑφεῖναι, πρὸς ὅπερ ἡ φύσις ὑφηγεῖτο, τῆς ἐν τῷ λέγειν δεινότητος ὑπὸ στρατειῶν καὶ πολιτείας, ᾗ κατεκτήσατο τὴν ἡγεμονίαν οὐκ ἐξικόμενος.

Appuleius Apologia p. 589. ed Oud. *Quamcumque orationem struxerit Avitus, ita illa erit undique perfecte absoluta, ut in illa nec Cato gravitatem requirat nec Laelius lenitatem nec Gracchus impetum nec Caesar calorem nec Hortensius distributionem nec Calvus argutias nec parsimoniam Salustius nec opulentiam Cicero.*

Sidonius Epist. l. 4, 3. *Rex Theodoricus sentit ut Pythagoras, dividit ut Socrates, explicat ut Plato, implicat ut Aristoteles, ut Aeschines blanditur, ut Demosthenes irascitur, vernat ut Hortensius, aestuat ut Cethegus, incitat ut Curio, moratur ut Fabius, simulat ut Crassus, dissimulat ut Caesar, suadet ut Cato, dissuadet ut Appius, persuadet ut Tullius.*

dissimulat] Caesarem in orationibus dissimulandi arte maxime usum esse, testatur Sidonius.

dissuadet ut Appius] Appium Caecum intelligit, qui pacem Pyrrhi dissuasit.

Fronto ad Verum Imperatorem p. 181: *Caesari facultatem dicendi video imperatoriam fuisse.*

Fronto ad M. Caesarem p. 21. *Materiam quantam misisti mihi! necdum legi Coelianum excerptum, quod misisti, nec legam, prius quam sensus ipse venatus fuero, sed me Caesaris oratio uncis unguibus attinet. Nunc denique sentio, quantum operis sit, ternos vel quinos versus in die ornare et aliquid diu scribere.*

Caesaris] ad C. Iulium Caesarem pertinere puto.

Emporius Rhetor. p. 310 Capperonn. *Ab institutione, quam plurimam in facundia et dicendi studio fuisse probet, Caesar item culpabitur, quod adeo non adeptus sit formam oratoriae facultatis, ut eum graecae orationis expertem fuisse manifestum sit.*

Anthologia latina Epigr. 411. ed. meae:
En adsum Caesar! quis me praestantior armis?
Quis prior eloquio?

1. Orationes in Cn. Cornelium Dolabellam.

Acta est causa a. 677 (77), quo anno Caesar tres et viginti annos erat natus, non unum et viginti, ut Tacitus in Dialogo de Orat. 34 tradidit. Cn. Cornelius Dolabella, cum in Macedonia provincia non innocenter se gessisset, repetundarum est accusatus. Sed cum esset optimatium proque Sulla stetisset, iudices Sullani eum absolverunt, praesertim cum et C. Aurelius Cotta et Hortensius insigni eloquentia eum defendissent. Sed Caesar non minorem dicendi famam assecutus, indeque magnus orator habitus est. Conf. Orat. *Hortensii* (p. 368) et *C. Aurelii Cottae* (p. 341) et *Dolabellae* (p. 379).

Quintil. 12, 7, 3. *Ut accusatoriam vitam vivere et ad deferendos reos praemio duci, proximum latrocinio est, ita pestem intestinam propulsare cum propugnatoribus patriae comparandum, ideoque principes in republica viri non detrectarunt hanc officii partem, creditique sunt etiam clari iuvenes obsidem reipublicae dare malorum civium accusationem, quia nec odisse improbos nec simultates provocare nisi ex fiducia bonae mentis videbantur. Idque cum ab Hortensio, Lucullis, Sulpicio, Cicerone, Caesare, plurimis aliis, tum ab utroque Catone factum est.*

Tacitus Dial. de Oratoribus 34. *Nonodecimo aetatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno et vicesimo Caesar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multum aetate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus.*

uno et vicesimo] In numero vitium esse, observavit praeter alios Wesselieg in Observatt. p. 222., ideoque Osanous pro *uno IIIo* vel *IIIIo* corrigendum putabat. Sed scriptorem ipsum corrigere, vetitum est. Conf. Drumann I. 3. p. 129. Zumpt in Cic. Verrin. 1, 17. p. 126. Weichert. Poet. lat. Rel. p. 109.

Quintil. 12, 6, 1. *Calvus, Caesar, Pollio multum ante quaestoriam aetatem omnes gravissima iudicia susceperunt.*

quaestoriam aetatem] Lipsius in Exc. ad Tacit. Annal. 3, 29 aetatem quaestoriam definit anno aetatis XXV. Fischer autem (Römische Zeittafeln) ad a. 573 anno aetatis XXXI. nec aliter Göttling Gesch. d. r. Staatsv. p. 372.

Sueton. Caes. 4. *Ceterum composita seditione civili Cornelium Dolabellam consularem et triumphalem virum repetundarum postulavit, absolutoque Rhodum secedere statuit et ad declinandam invidiam et ut per otium ac requiem Apollonio Moloni clarissimo tunc dicendi magistro operam daret.* c. 55. *Post accusationem Dolabellae haud dubie principibus patronis annumeratus est. — Genus eloquentiae duntaxat adolescens adhuc Strabonis Caesaris secutus videtur, cuius etiam ex oratione, quae inscribitur* ***pro Sardis***, *ad verbum nonnulla transtulit in Divinationem suam.*

Strabonis Caesaris] Eius orationes supra memoravimus. p. 330. sqq.
in Divinationem suam] Baumgarten-Crusius suspiratur, Caesaris Divinationem fuisse prooemium causae in Dolabellam, veluti Cicero Divinationem habuit in Q. Caecilium, quae prooemium est Verrinarum orationum.

Emporius Rhetor. p. 311. Capperonn. *Tum facta omnia Caesaris, quaecunque poterunt, in partem utramque ducentur. Dicetur enim accusatione Dolabellae famam magnae eloquentiae consecutus, negabitur eandem meruisse, cum is, quem accusabat, evaserit.*

Valer. Max. 8, 9, 3. *Divus Iulius, quam coelestis numinis tam etiam humani ingenii perfectissimum columen, vim facundiae proprie expressit, dicendo in accusatione Cn. Dolabellae, quem reum egit, extorqueri sibi causam optimam C. Cottae patrocinio, si quidem maxima tum vis eloquentiae questa est.*

Asconius in Scaurianam p. 26. *Ne forte erretis*

et eundem hunc Cn. Dolabellam putetis esse, in quem C. Caesaris orationes legitis, scire vos oportet, duos eodem tempore fuisse et praenomine et nomine et cognomine Dolabellas. Eorum igitur alterum Caesar accusavit nec damnavit, alterum M. Scaurus et accusavit et damnavit.

Plut. Caesar 4. *ἐπανελθὼν εἰς Ῥώμην Δολοβέλλαν ἔκρινε κακώσεως ἐπαρχίας καὶ πολλαὶ ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος τῶν πόλεων μαρτυρίας αὐτῷ παρέσχον. Ὁ μὲν οὖν Δολοβέλλας ἀπέφυγε τὴν δίκην.*

Velleius 2, 43. *Nobilissima Dolabellae accusatio et maior civitatis in ea favor, quam reis praestari solet.*

in ea] dafensiones reorum plerumque populo magis gratae quam accusationes. Cicero de Offic. 2, 14. *Etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persaepe est*, valuti baec ipsa accusatio Caesaris magis probata fuit populo quam alias defensio. Conf. Orellius ad h. l.

Gellius 4, 16. *C. Caesar, gravis auctor linguae latinae, in Dolabellam actionis III. lib. 1.: Isti, quorum in aedibus fanisque posita et honori erant et ornatu.*

actionis III. lib. 1.] Gronovii emendationem secutus sum, praesertim cum ductus presse sequeretur optimi codicis regii *actionis in libusti*. (sic enim in illo codica legi, non *libuisti*, ut alii tradiderant, testatur Duebnerus). Sed dubitatio exorta est, an fieri possit, ut Caesar tot orationes in Dolabellam habuerit, magisque vidatur verisimile, legere, *actionis tertio libro*. Tres enim orationes in hac causa habuissa videtur, una erat Divinatio de constituendo accusatore, deinde duabus orationibus accusationem intendit: nac Ciceronis libri septam accusationis in Verrem huc vocari possunt, quorum duo tantum in foro babiti, reliqui in voloptatem legentium confecti sunt.

2. Oratio pro Graecis contra C. Antonium.

Acta est causa a. 678 (76). C. Antonius, qui postea Ciceronis collega in consulatu fuit, postquam in bello Mithridatico, copiis Sullae adiutus, Graeciam vexasset praedaque et spoliis potitus esset: a Caesare Graecis

rogantibus repetundarum postulatus est, sed dolo malo poenam effugit. Conf. Drumann t. 3. p. 134. 753. t. 1. p. 532.

Asconius in Orat. in Toga candida p. 84. *C. Antonius multos in Achaia spoliaverat, nactus de exercitu Sullano equitum turmas. Deinde Graeci, qui spoliati erant, eduxerunt Antonium in ius ad M. Lucullum praetorem, qui ius inter peregrinos dicebat. Egit pro Graecis C. C a e s a r etiam tum adolescentulus, de quo paulo ante mentionem fecimus, et cum Lucullus id, quod Graeci postulabant, decrevisset, appellavit tribunos Antonius iuravitque se id eiurare, quod aequo iure uti non posset. Hunc Antonium Gellius et Lentulus censores sexennio, quo haec dicerentur, senatu moverunt, causasque subscripserunt, quod socios diripuerit, quod iudicium recusarit, quod propter aeris alieni magnitudinem praedia mancipacit bonaque sua in potestate non haberet.*

C. Caesar] inserui praeeunte Wesselingio in Observatt. p. 223., Pighio t. 3. p. 292.
appellavit tribunos] v. F. L. Keller Semestrium T. 1. p. 156.
Gellius et Lentulus censores] a. 684 (70).

Plut. Caesar 4. *Ὁ δὲ Καῖσαρ ἀμειβόμενος τὴν Ἑλλάδα τῆς προθυμίας συνηγόρευσεν αὐτῇ Πόπλιον Ἀντώνιον διωκούσῃ δωροδοκίας ἐπὶ Λευκούλλου τοῦ Μάρκου Μακεδονίας στρατηγοῦ, καὶ τοσοῦτον ἴσχυσεν, ὥστε τὸν Ἀντώνιον ἐπικαλέσασθαι τοὺς δημάρχους σκηψάμενον οὐκ ἔχειν τὸ ἴσον ἐν τῇ Ἑλλάδι πρὸς Ἕλληνας.*

Πόπλιον] Plutarchus tres errores commisit, unum, quod Publium Antonium, non Gaium nominat, alterum, quod M. Lucullum praetorem Macedoniae, non praetorem peregrinum appellat, tertium, quod causam non Romae, sed in Graecia actam scribit.

3. Suasio rogationis Plautiae.

Ea est habita a. 684 (70). Cum Sulla Puteolis a. 676 (78) diem obiisset, M. Aemilius Lepidus consul acta eius tentans rescindere, bellum civile excitavit, sed a Q. Catulo collega a. 677 (77) Italia pulsus est, et in Sardinia

frustra bellum molitus periit. Liv. Epit. 90. Atque exercitus eius in Hispaniam ad Sertorium confugit. Cum deinde a. 682 (72) Sertorius occisus, et bellum confectum esset, milites eius, qui bello superstites erant, petebant, ut senatus sibi ignosceret reditusque daretur. Caesar Plautium tribunum commovit, ut rogationem promulgaret, ut exercitui Lepidiano reditus concederetur. Huc pertinet fragmentum Salustii ex lib. 3. Historiarum ex Arusiano p. 232 ed. Lindem. *Gratiam illi criminis facio.* Salust. Hist. III. *Post reditum eorum, quibus senatus belli Lepidiani gratiam fecerat.* Id a. 684 (70), quo anno Crassus et Pompeius consules fuere, accidisse, ex Suetonio apparet. Conf. Drumann t. 3. p. 139.

Sueton. Caes. 5. *Tribunatu militum, qui primus Romam reverso per suffragia populi honor obtigit, auctores restituendae tribuniciae potestatis, cuius vim Sulla deminuerat, enixissime iuvit. Lucio etiam Cinnae, uxoris fratri, et qui cum eo civili discordia Lepidum secuti, post necem consulis ad Sertorium confugerant, reditum in civitatem rogatione Plotia confecit, habuitque et ipse super ea re concionem.*

auctores] Crassus et Pompeius consules a. 684 (70) tribuniciam potestatem restituerunt.

Gellius 13, 3. *Reperi in oratione C. Caesaris, qua Plautiam rogationem suasit, necessitatem dictam pro necessitudine, id est, iure affinitatis. Verba haec sunt: Equidem mihi videor pro nostra necessitate non labore, non opera, non industria defuisse.*

pro nostra necessitate] Caesar affinitate coniunctus L. Cinnae, qui frater erat Corneliae uxoris.

Nonius p. 354. *Necessitas*, affinitas, unde et hoc iure coniuncti necessarii appellantur. *C. Caesar, cum Plautiam suasit rogationem: Equidem mihi videor pro nostra necessitate non labore, non opera, non industria defuisse.*

C. Caesar] Pighius l. 3. p. 228 hoc fragmentum non Caesari dictatori, sed Caesari Straboni errore tribuebat.

4. Laudatio Iuliae amitae.

Ea est dicta a. 686 (68). Cum Iulia, quae Marii fuerat coniux, mortua esset, orationem funebrem non ea tantum causa dixit Caesar, ut amitam suam laudaret, sed ut Marium apud populum in memoriam revocaret.

Plut. Caes. 5. *Τοῦ δὲ δήμου πρώτην μὲν ἀπόδειξιν τῆς πρὸς αὐτὸν εὐνοίας ἔλαβεν, ὅτε πρὸς Γαΐον Ποπίλιον ἐρίσας ὑπὲρ χιλιαρχίας πρότερος ἀνηγορεύθη, δευτέραν δὲ καὶ καταφανεστέραν, ὅτε τῆς Μαρίου γυναικὸς Ἰουλίας ἀποθανούσης, ἀδελφιδοῦς ὢν αὐτῆς ἐγκώμιόν τε λαμπρὸν ἐν ἀγορᾷ διῆλθε καὶ περὶ τὶν ἐκφορὰν ἐτόλμησεν εἰκόνας Μαρίου προθέσθαι τότε πρῶτον ὀφθείσας μετὰ τὴν ἐπὶ Σύλλα πολιτείαν, πολεμίων τῶν ἀνδρῶν κριθέντων. Ἐπὶ τούτῳ γὰρ ἐνίων καταβοησάντων τοῦ Καίσαρος ὁ δῆμος ἀντήχησε λαμπρῶς δεξάμενος κρότῳ καὶ θαυμάσας ὥσπερ ἐξ ᾅδου διὰ χρόνων πολλῶν ἀνάγοντα τὰς Μαρίου τιμὰς εἰς τὴν πόλιν.*

Sueton. Caes. 6. *Quaestor Iuliam amitam uxoremque Corneliam defunctas laudavit e more pro rostris. Sed in amitae quidem laudatione de eius ac patris sui utraque origine sic refert:*

Amitae meae, Iuliae, maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis immortalibus coniunctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater, a Venere Iulii, cuius gentis familia est nostra. Est ergo in genere et sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et cerimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges.

a Venere Iulii] Similiter Velleius 2, 41. *Caesar nobilissimo Iuliorum genitus familia, et quod inter omnes antiquissimos constabat, ob Anchise ac Venere deducens genus.*

Servius in Virg. Aen. 1, 267. *At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo Additur*] *Occiso Mezentio Ascanium, sicut* ***Iul. Caesar*** *scribit, Iulum coeptum vocari, a prima barbae lanugine, quam ἴουλον graeci dicunt, quae ei tempore victoriae nascebatur.*

Iul. Caesar] in oratione funebri Iuliae amitae.

Schol. Gronovianus in orat. p. Marcello p. 419. *Constat Caesarem se iactare divina origine a Venere esse natum. Unde et deus postea appellatus est.*

5. Laudatio Corneliae uxoris.

Ea est habita a. 686 (68). Caesar Corneliam L. Cinnae, hominis popularis, filiam non eo tantum laudavit, ut virtutes eius ante oculos poneret, sed ut L. Cinnam patrem, qui bello civili inter Marianos maxime excellebat, novo honore afficeret, laederetque optimates eorumque auctoritatem imminueret.

Suet. Caes. 6. *Caesar quaestor Iuliam amitam uxoremque Corneliam defunctas laudavit e more pro rostris.*

Plut. Caes. 5. *τὸ μὲν οὖν ἐπὶ γυναιξὶ πρεσβυτέραις λόγους ἐπιταφίους διεξιέναι πάτριον ἦν Ῥωμαίοις, νέαις δ᾽ οὐκ ὂν ἐν ἔθει πρῶτος εἶπε Καῖσαρ ἐπὶ τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς ἀποθανούσης, καὶ τοῦτ᾽ ἤνεγκεν αὐτῷ χάριν τινὰ καὶ συνεδημαγώγησε τῷ πάθει τοὺς πολλοὺς ὡς ἥμερον ἄνδρα καὶ περίμεστον ἤθους ἀγαπᾶν.*

6. Oratio de L. Catilina in senatu habita.

Ea est habita a. 691 (63), cum de Catilina ceterisque coniuratis in senatu deliberaretur. Ea non amplius extat, sed quod secutus fuerit in ea consilium quidque spectaverit, ex iis apparet, quae Appianus Bell. Civ. l. 2, 6. Plut. Cato c. 22. Caes. 7. Suetonius Caes. 14. atque Cicero Orat. Catil. 4, 4, 7. ad Atticum l. 12, 21, 1. retulerunt. Salustius in libro suo de Catilina (quem post mortem demum Caesaris scriptum arbitror) c. 51. orationem tribuit Caesari, quae non ipsius Caesaris est, sed suo ingenio elaborata. Conf. Drumann t. 3. p. 170. t. 5. p. 441.

Plut. Caes. 7. *ἐν δὲ τῇ βουλῇ κατὰ κράτος ἐξελεγχθέντων καὶ Κικέρωνος τοῦ ὑπάτου γνώμας ἐρωτῶντος περὶ κολάσεως ἕκαστον, οἱ μὲν ἄλλοι μέχρι Καίσαρος θανατοῦν ἐκέλευον, ὁ δὲ Καῖσαρ ἀναστὰς λόγον διῆλθε*

πεφροντισμένον, ὡς ἀποκτεῖναι μὲν ἀκρίτους ἄνδρας ἀξιώματι καὶ γένει λαμπροὺς οὐ δοκεῖ πάτριον οὐδὲ δίκαιον εἶναι, μὴ μετὰ τῆς ἐσχάτης ἀνάγκης, εἰ δὲ φρουροῖντο δεθέντες ἐν πόλεσι τῆς Ἰταλίας, ἃς ἂν αὐτὸς ἕληται Κικέρων, μέχρι οὗ καταπολεμηθῇ Κατιλίνας, ὕστερον ἐν εἰρήνῃ καὶ καθ' ἡσυχίαν περὶ ἑκάστου τῇ βουλῇ γνῶναι ὑπάρξει.

Sueton. Caesar 14. *Praetor creatus detecta coniuratione Catilinae, senatuque universo in socios facinoris ultimam statuente poenam solus municipatim dividendos custodiendosque publicatis bonis censuit, quin et tantum metum iniecit asperiora suadentibus, identidem ostentans, quanta eos in posterum a plebe romana maneret invidia, ut Decimum Silanum consulem designatum non piguerit sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire velut gravius, atque ipse sensisset, exceptam, obtinuissetque adeo transductis ad se iam pluribus, et in his Cicerone, consulis fratre, nisi labantem ordinem confirmasset M. Catonis oratio.*

7. Oratio pro Q. Metello vel quam scripsit Metello.

Ea dicta fertur a. 692 (62). Q. Caecilius Metellus Nepos tribunus plebis a. 692 (62) rogationem promulgavit contra senatum atque Ciceronem. Extabat de ea re oratio quaedam Caesaris, sive Metello orationem scripserit, sive ipse pro eo orationem habuerit. Conf. Drumann t. 2. p. 30. t. 3. p. 180. Schneider in Caesarem de bello Gallico Praefat. p. XIX. Patet orationis Metellinae argumentum ex fragmentis orationis, quam contra eam habuit Cicero.

Sueton. Caes. 55. *Caesar orationes aliquas reliquit, inter quas temere quaedam feruntur. Pro Q. Metello non immerito Augustus existimat magis ab actuariis exceptam male subsequentibus verba dicentis quam ab ipso editam. nam in quibusdam exemplaribus invenio, ne inscriptam quidem pro Metello, sed quam scripsit Metello, cum ex*

persona Caesaris sermo sit Metellum seque adversus communium obtrectatorum criminationes purgantis.

Scholia Bobiensia in Orat. p. Sestio p. 302. *Q. Metellus Nepos tr. pl. cum plerasque leges per seditionem ferret, et praecipue duas, unam, ut absens consul Cn. Pompeius fieret, tempore scilicet Mithridatici belli, quod ab eodem Pompeio gerebatur, et alteram, ut praesidio Italiae veniret adversus arma Catilinae, contradixit ei pleraque nobilitas et ipse vel maxime collega suus Cato, cum tamen C. Caesar praetor Metello tr. pl. adsisteret.*

8. Oratio pro Masintha contra Iubam.

Causa est acta a. 692 (62). Masintha sive Masinissa, Afer, nobili familia ortus, quem Hiempsal, Numidiae rex, tributarium esse voluit, Romanorum imploravit auxilium Caesaremque nactus est patronum. Cum deinde Iuba, Hiempsalis filius, qui optimatibus atque Pompeio deditus erat, (Dio Cass. 41, 41.) Romae eum accusaret, condemnatur, sed Caesar impedivit, ne regi traderetur. Conf. Drumann t. 3. p. 185.

Suet. Caes. c. 71. *Studium et fides erga clientem ne iuveni quidem defuerunt. Masintham nobilem iuvenem, cum adversus Hiempsalem regem tam enixe defendisset, ut Iubae regis filio in altercatione barbam invaserit, stipendiarium quoque pronuntiatum et abstrahentibus statim eripuit occultavitque apud se diu, et mox ex praetura proficiscens in Hispaniam, inter officia prosequentium fascesque lictorum lectica sua avexit.*

ex praetura] a. 692 (62).

9. Orationes tres contra L. Domitium et C. Memmium praetores.

Eae sunt habitae a. 696 (58). Cum Caesar in consulatu a. 695 (59) vires atque auctoritatem fregisset optimatium, leges novas pertulisset, multosque offendisset: L. Domitius Ahenobarbus et C. Memmius praetores a. 696 (58) acta eius rescindere cupiebant, eumque con-

sulatu defunctum reum fecerunt, ut rationem redderet novarum rerum, quas in consulatu tentasset. Sed frustra. Conf. oratt. Memmii p. 425..

Suet. Caes. 23. *Functus consulatu C. Memmio Lucioque Domitio praetoribus de superioris anni actis referentibus cognitionem senatui detulit, nec illo suscipiente triduoque per irritas altercationes absumto in provinciam abiit.*

Suet. Nero 2. *Domitius praetor C. Caesarem abeuntem consulatu, quem adversus auspicia legesque gessisse existimabatur, ad disquisitionem senatus vocavit.*

Scholia Bobiensia in Orat. p. Sestio p. 297. *De actis loquitur, quae habuit in consulatu C. Caesar inauspicato ut videbatur, qua de re adversus eum egerant in senatu C. Memmius et L. Domitius praetores, et ipsius Caesaris orationes contra hos extant, quibus et sua acta defendit et illos insectatur.*

Schol. Bobiensia in Orat. in Vatinium p. 317. *Commiserat causam suam senatui C. Caesar, id est, ut de lege agraria patres iudicarent. Ibi enim habitae sunt tres illae orationes contra Domitium et Memmium.*

10. Concio ad milites in Africa.

Ea est dicta a. 708 (46).

Suet. Caes. 66. *Fama hostilium copiarum perterritos non negando minuendove sed insuper amplificando ementiendoque confirmabat. Itaque cum expectatio adventus Iubae terribilis esset, convocatis ad concionem militibus, „Scitote, inquit, paucissimis his diebus regem affuturum cum decem legionibus, equitum triginta, levis armaturae centum millibus, elephantis trecentis. Proinde desinant quidam quaerere ultra aut opinari, mihique qui compertum habeo, credant, aut quidem vetustissima nave impositos, quocunque vento in quascumque terras iubebo avehi.“ —*

11. Orationes apud milites in Hispania.

Duae orationes Caesaris apud Mundam in Hispania a. 709 (45) habitae ferebantur: neutra ipsius Caesaris erat, sed ambae a rhetoribus fictae. Conf. Drumann t. 3. p. 637. 752.

Suet. Caes. 55. *Apud milites quoque in Hispania idem Augustus orationem esse vix ipsius putat: quae tamen duplex fertur, una quasi priore habita proelio, altera posteriore, quo Asinius Pollio ne tempus quidem concionandi habuisse eum dicit subita hostium incursione.*

Asinius Pollio] qui in exercitu Caesaris interfuit, et postea historiam bellorum civilium scripsit. Conf. Drumann t. 2. p. 5.

Huc fortasse pertinet, quod apud Diomedem l. 1. p. 395. legimus:

Frustro apud veteres, ut C. Caesar apud milites de commodis eorum: Non frustrabo vos, milites.

12. Oratio pro Decio Samnite.

Tempus incertum, argumentum non minus obscurum. Sed cum Caesar in omnibus, quas egerat, causis id unum spectaret, ut optimates vexaret atque opprimeret, homines vero populares adiuvaret, confirmaret novasque vires iis adderet: verisimile est, in hac quoque causa simili eum usum consilio. Constat enim, Sullam in Samnites, qui in bello civili Marium secuti erant, crudelissime saeviisse, iisque bona omnia erepta fuisse. Cum deinde post mortem Sullae restitutionem bonorum obtinere cuperent, Caesar aliique idem sentientes causam eorum susceperunt, veluti Caesar pro Decio Samnite, ut qui per Sullam bona sua amisisset, orasse videtur.

Tacit. Dial. de Oratoribus 21. *Concedamus sane Gaio Caesari, ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecerit quam divinum eius ingenium postulabat, tam hercle quam Brutum philosophiae suae relinquamus. nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admi-*

ratores eius fatentur. nec fere quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit nisi qui et carmina eorundem miratur.

13. Oratio pro Bithynis.

Argumentum incertum. Pighius ad a. 697 (56) putat, nescio qua auctoritate commotus, Memmium repetundarum ex Bithynia reum, a Caesare absente per litteras accusatum fuisse. Baumgarten - Crusius in Suet. Caes. 49 arbitratur, orationem pro Bithynis eandem esse cum oratione pro Nysa, filia Nicomedis, de qua mox dicemus. Sed duas esse causas opinor: una pro Nysa in senatu acta, altera pro Bithynis iudiciaria, apud Vinicium (si lectio vera) praetorem dicta.

Gellius 5, 13. *Constabat ex moribus populi romani, primum iuxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei tutelaeque nostrae creditos, secundum eos proximum locum clientes habere, qui sese itidem in fidem patrociniumque nostrum dediderunt, tum in tertio loco esse hospites, postea esse cognatos affinesque. — Firmum atque clarum isti rei testimonium perhibet auctoritas C. Caesaris pontificis maximi, qui in oratione, quam pro Bithynis dixit, hoc principio usus est*:

Vel pro hospitio regis Nicomedis vel pro horum necessitate, quorum res agitur, defugere hoc munus, M. Vinici, non potui. Nam neque hominum morte memoria deleri debet, quin a proximis retineatur, neque clientes sine summa infamia deseri possunt, quibus etiam prae propinquis nostris opem ferre instituimus.

vel pro hospitio] Caesar a. 674 (80) in Bithyniam profectus est, hospitio usus Nicomedis tertii regis.

horum necessitate] Bithyni clientes Caesaris erant, eumque patronum habuere, quandocunque de magistratibus romanis quererentur, vel alia causa quae ad Bithyniam provinciam pertinebat, aut in senatu aut in foro agenda esset.

M. Vinici] *m. vince* cod. Reg. *m. unite* vel *m. vincere* alii. *Mumi Vinici* ed. vet. *Memmi* correxit Pighius.

hominum morte] Nicomedes tertius diem obiverat, antequam Caesar hanc ageret causam: decessit enim a. 680 (74).

etiam prae propinquis] coniecturam hanc, quam in edit. pr. proposueram, recipiendam duxi, eamque approbavit et Duebnerus et Baumstark. *etiam a propinquis* vulgo corrupte. *Quibus ante propinquos nostros o. f. inst.* Gronovius. Gellius hoc loco Caesaris probare studet, apud romanos more maiorum institutum fuisse, primum clienti, deinde cognato opem ferendam.

Iulius Rufinianus de Figuris p. 201. *Caesar pro Bithynis: Quid ergo? Syngraphae non sunt, sed res aliena est.*

14. Oratio pro Nysa filia Nicomedis.

Argumentum incertum. Nicomedes tertius diem obierat a. 680 (74). Clinton Fasti t. 3. p. 420. Et Nysam filiam reliquit, (Orellius ad Salusti Orat. et Epist. edit. a. 1831. p. 52.) pro qua causam nescio quam susceperat Caesar.

Suet. Caes. 49. *Cicero non contentus, in quibusdam epistolis scripsisse, a satellitibus eum in cubiculum regium eductum, in aureo lecto veste purpurea decubuisse, floremque aetatis a Venere orti in Bithynia contaminatum, quondam etiam in senatu defendenti Nysae causam, filiae Nicomedis, beneficiaque regis in se commemoranti, Remove, inquit, istaec, oro te, quando notum est, et quid ille tibi, et quid illi tute dederis.*

15. Oratio pro Sextilio.

Haec oratio errore C. Caesari vulgo tribuitur: Caesari Straboni enim vindicandam esse supra diximus pag. 335. Similiter Iulio Caesari oratio in Helvium Manciam tribuitur in Lexico Quintilianeo, quae Caesaris Strabonis est.

LXXXI. *M. Calpurnius Bibulus.*

Aequalis Iulii Caesaris: magistratus enim pene cunctos eodem anno obtinuit. Aedilis curulis a. 689 (65).

Praetor a. 692 (62). Consul a. 695 (59). Proconsul Syriae a. 703 (51). Mortuus est a. 705 (49). Conf. Drumann T. 2. p. 97.

Cicero Brut. c. 77, 267. *Sunt etiam ex iis, qui eodem bello civili occiderunt: M. Bibulus, qui et scriptitavit accurate, cum praesertim non esset orator, et egit multa constanter.*

Orationes in C. Iulium Caesarem.

Eas Bibulus in consulatu a. 695 (59) scripsit. Cum enim Caesar collega eius multas promulgaret novas leges, cum eoque quotidie fere inimicitias exerceret, cum impar esset ingenio Caesaris, non amplius in senatu adesse solebat, sed orationes atque edicta contra eum edidit.

Sueton. Caes. c. 9. *Meminerunt huius coniurationis Tanusius Geminus in historia, M. Bibulus in Edictis, C. Curio pater in orationibus.*

huius coniurationis] a Caesare et M. Crasso a. 689 (65) initae.

ibid. c. 49. *Missa etiam facio edicta Bibuli, quibus proscripsit collegam suum Bithynicam reginam, eique regem antea fuisse cordi, nunc esse regnum.*

Cicero ad Atticum l. 2, 20. *Bibulus hominum admiratione et benevolentia in coelo est. Edicta eius et conciones describunt et legunt. novo quodam genere in summam gloriam venit. populare nunc nihil tam est quam odium popularium.*

ibid. l. 2, 19. *Bibulus in coelo est, nec quare scio, sed ita laudatur quasi unus homo nobis cunctando restituit rem. Edicta Bibuli audio ad te missa. Iis ardet dolore et ira noster Pompeius.*

Plut. Pompei. c. 48. *Πραττομένων δὲ τούτων Βίβλος μὲν εἰς τὴν οἰκίαν κατακλεισάμενος ὀκτὼ μηνῶν οὐ προῆλθεν ὑπατεύων, ἀλλ' ἐξέπεμψε διαγράμματα βλασφημίας ἀμφοῖν ἔχοντα καὶ κατηγορίας.*

ἀμφοῖν] Pompeium et Caesarem significat.

LXXXII. *L. Lucceius.*

Magistratus atque honores huius viri a scriptoribus non referuntur: constat autem, petivisse eum consulatum a. 693 (61), sed repulsam tulisse. Cic. ad Atticum 1, 17, 11. Suet. Caes. 19. Drumann t. 3. p. 190. Igitur anno 650 (104) circiter natus esse videtur. Historiarum scriptor praestantissimus et vir in re publica in primis probatus. Cic. ad Famil. 5, 12. Drumann t. 4. p. 553. Cicero in Bruto non fecit mentionem Lucceii, cum oratores vivos praeter Caesarem nullum memoraret.

Orationes adversus L. Sergium Catilinam.

Eae sunt habitae a. 690 (64). Cum Caesar cuperet, ut Sullae socii, qui proscriptos trucidaverant, poenas darent, effecit, ut, cum iudex quaestionis esset a. 690 (64), plures Sullani apud se accusarentur. Eiusdem criminis affinis fuit Catilina, eumque Lucceius reum fecit, sed absolutus est. Conf. Drumann t. 3. p. 147. t. 5. p. 426.

Asconius in orat. in toga candida p. 84. *Catilinam, cum in Syllanis partibus fuisset, crudeliter fecisse notum est: nominatim et postea Cicero dicit, quos occiderit, Q. Caecilium, M. Volumnium, L. Tanusium, M. Marium Gratidianum.*

ibidem p. 92. *Huius criminis periculum, quod obiicit Cicero, paucos post menses Catilina subiit. Post effecta enim comitia consularia et Catilinae repulsam fecit eum reum inter sicarios L. Lucceius paratus eruditusque, qui postea consulatum quoque petiit.*

Ibidem p. 93. *Dicit Catilinam adulterium commisisse cum ea, quae ei postea socrus fuit, et ex eo stupro duxisse uxorem, cum filia eius esset. Hoc Lucceius quoque Catilinae obiicit in orationibus, quas in eum scripsit.*

Kordes ad librum Eberhardi *Zustand der schönen Wiss. bei den Römern* p. 165 arbitratur, Ciceronem quoque ad has orationes contra Catilinam habitas

respicere, cum in epistola ad Lucceium 5, 12. eum *clarissimum et spectatissimum virum et in republica maximis gravissimisque causis cognitum atque in primis probatum* appellaverit.

LXXXIII. *M. Valerius Messala Niger.*

Praeturam petebat Cicerone consule a. 691 (63). Consul a. 693 (61). Cic. ad Atticum 1, 14, 6. p. Sulla 14, 42.

Cicero in Bruto 70, 246. *M. Messala minor natu quam nos, nullo modo inops, sed non nimis ornatus genere verborum, prudens, acutus, minime incautus patronus, in causis cognoscendis componendisque diligens, magni laboris, multae operae multarumque causarum.*

Scholiasta Gronovianus in orat. p. S. Roscio Amerino c. 2. pag. 126. ed. Orelli testatur, hunc Messallam, qui admodum iuvenis Sexto Roscio in causa aderat, orationes reliquisse. Dicit enim: Messalam maxime (Cicero) significat, cuius extant orationes. Sed Orellius in Onomastico Tulliano s. h. n. arbitratur, Scholiastam confudisse potius hunc Messalam cum Messala Corvino, quem multas edidisse orationes constat. Eam opinionem veram existimo, praesertim cum non aliunde constet, Scholiastam illum nova et recondita litterarum tenuisse. Similiter confudit Gutmann in versione germanica *Dialogi de Oratoribus* p. 196. Messalam Corvinum cum illo antiquiore: ea enim, quae Cicero in Bruto c. 70 de Messala Nigro tradidit, ad Corvinum errore retulit.

LXXXIV. *C. Memmius Gemellus.*

Tribunus plebis a. 688 (66). Aedilis plebis a. 691 (63). Praetor a. 696 (58). Anno 700 (54) consulatum petebat: sed de ambitu damnatus, Athenas exul migravit.

In republica erat Pompeio deditus ideoque contra Lucullos et contra Caesarem stetit. Idem non orationes solum reliquit, sed carmina quoque confecit, eidemque Lucretius opus suum dedicavit.

Cic. Brut. c. 70. *C. Memmius L. f. perfectus litteris, sed graecis, fastidiosus sane latinarum, argutus orator verbisque dulcis, sed fugiens non modo dicendi, verum etiam cogitandi laborem, tantum sibi de facultate detraxit, quantum imminuit industriae.*

1. Oratio contra M. Licinium Lucullum.

Acta est causa a. 688 (66). C. Memmius auctore Cn. Pompeio M. Lucullum, Lucii fratrem, reum fecit earum rerum, quas, cum Sullae quaestor fuisset, a. 666 (88) in provincia gessisset. Absolverunt eum iudices.

Plut. Lucull. 37. *Ὁ δὲ Λούκουλλος ἀναβὰς εἰς Ῥώμην πρῶτον μὲν κατέλαβε τὸν ἀδελφὸν Μάρκον ὑπὸ Γαΐου Μεμμίου κατηγορούμενον ἐφ᾽ οἷς ἔπραξε ταμιεύων, Σύλλα προστάξαντος. Ἐκείνου δ᾽ ἀποφυγόντος ἐπὶ τοῦτον αὐτὸν ὁ Μέμμιος μεταβαλόμενος παρώξυνε τὸν δῆμον.*

2. Oratio de triumpho L. Licinii Luculli.

Acta est oratio a. 688 (66). Cum L. Lucullus bellum contra Mithridatem regem diu gessisset, nec tamen finivisset: Pompeius per tribunos effecit, ut Lucullus revocaretur, ipsique imperium mandaretur. Cum deinde Lucullus Romam reversus triumphum peteret, hunc honorem, detrectantes gloriam eius, denegare cupiebant amici Pompeii. Inter eos erat C. Memmius, qui orationem contra triumphum Luculli egit. Et per triennium fere impediebatur, quo minus eo frueretur. Conf. Plut. Lucull. c. 37. Cato c. 29. Drumann t. 4. p. 161.

Servius in Virgilii Aeneidem 1, 161. *C. Memmius de triumpho Luculli: Inque luxuriosissimis Asiae oppidis consedisse* et mox *Inque Gallograeciam redierunt.*

de triumpho Luculli] Vulgo legitur *de triumpho Lucilliano IIII.* Dueboerus adnotavit, in codice Fuldensi Servii nec *Luciliano*, ut Burmannus, nec *Luciliaco*, ut Danielis dicit, sed *Luciliaca IIII.* legi, unde restituendum putat *de triumpho Luculli Asiatico.* Sed nescio an Servius scripserit: *C. Memmius de triumpho Luculli actione quarta.* Veri enim est simile, Memmium illa in causa, quae multas lites inter Lucullum Catonem atque Pompeium excitaverat, plures orationes dixisse.

inque luxuriosissimis] Memmius obiecit Lucullo, quod bellum segniter gessisset, maluissetque in luxuriosissimis Asiae provinciae urbibus otio atque voluptati indulgere quam hostem persequi.

Servius in Virg. Aeneid. 4, 261. *Gaius Memmius de triumpho Luculli: Syriaci calceoli, gemmarum stellati coloribus.*

Syriaci calceoli] Memmius irridet Lucullum, quod Asiatico uteretur genere vivendi atque vestitu.

3. Orationes in C. Iulium Caesarem.

Eas Memmius in praetura a. 696 (58) habuit, quo anno Caesarem in iudicium vocavit, ut redderet rationem actorum suorum legumque in consulatu anno 695 (59) promulgatarum. Conf. *Orat. Caesaris* p. 416.

Suet. Caes. c. 24. *Functus consulatu C. Memmio Lucioque Domitio praetoribus de superioris anni actis referentibus cognitionem senatui detulit, nec illo suscipiente triduoque per irritas altercationes absumto in provinciam abiit.*

Ibid. c. 49. *C. Memmius etiam ad cyathum et vinum Nicomedi stetisse obiecit cum reliquis exoletis pleno convivio accubantibus nonnullis urbicis negotiatoribus, quorum refert nomina.*

Ibid. c. 73. *Simultates contra nullas tam graves excepit umquam Caesar, ut non occasione oblata libens deponeret. C. Memmii, cuius asperrimis orationibus non minore acerbitate rescripserat, etiam suffragator mox in petitione consulatus fuit.*

Scholia Bobiensia in Orat. p. Sestio p. 297. *De actis loquitur, quae habuit in consulatu C. Caesar inauspicato, ut videbatur: qua de re adversus eum egerant in senatu C. Memmius et L. Domitius praetores, et ipsius Caesaris orationes contra hos extant, quibus et sua acta defendit et illos insectatur.*

Scholia Bobiensia in Orat. in Vatinium p. 317. *Commiserat senatui causam suam C. Caesar, id est, ut de lege agraria patres iudicarent. Ibi enim habitae sunt tres illae orationes contra Domitium et Memmium.*

4. Oratio contra Cn. Domitium Calvinum de ambitu.

Acta est causa a. 700 (54). Memmius et Domitius competitores consulatus: alter alteri litem intendit de ambitu. Cic. Epist. ad Q. fratr. 3, 2.

5. Oratio pro se de ambitu contra Q. Curtium.

Acta est causa a. 700 (54). C. Memmius candidatus consulatus postulatur ambitus. Cic. Ep. ad Q. fratr. 3, 2. ad Attic. 4, 18.

Nescio an huc referenda sint fragmenta duo.

Suetonius vita Terentii c. 3. *Q. Memmius in oratione pro se ait: P. Africanus, qui a Terentio personam mutuatus, quae domi luserat ipse, nomine illius in scenam detulit.*

Q. Memmius] legendum videtur *C. Memmius*. Idem fragmentum iam supra dedimus pag. 279. Sed hunc potius Memmium intelligendum censeo, propterea quod doctissimus erat et litteris valde cultus, ita ut verisimile sit, eum orationibus suis exempla docta, quale id est, quod de Terentio affert, inseruisse, non Memmium illum, de quo supra locuti sumus, quem incultum fuisse accepimus.

Priscian. t. 1. p. 372. *C. Memmius: Quam stulte conficta, quam aperte sunt ementita! ἐψευσμένα.*

C. Memmius] in oratione pro se de ambitu.

Incerta.

Velius Longus de Orthographia p. 2244. *Hoc lutum* atque *macellum* singulariter exire memento, licet Memmius *ista macella* dicat et Caesar *luta.*

Memmius] in poematis Memmium id dixisse arbitror.
Caesar] C. Iul. Caesar Strabo.

LXXXV. *M. Porcius Cato minor Uticensis.*

Natus anno 659 (95) Crasso et Mucio Scaevola coss. Clinton in Fastis ad a. 673 (81): periit enim anno aetatis quadragesimo nono a. 708 (46). Quaestor urbanus a. 689 (65), triginta annos natus, eodem anno, quo Q. Lutatius Catulus censor erat. Plut. Cato 16. Tribunus plebis a. 692 (62). Plut. Cato 22. Cicero 23. A.

696 (58) in provinciam Cyprum invitus decedit. Plut. Cato 34. Praetor a. 700 (54). Plut. Cato 44. Consulatum petebat a. 702 (52), tres et quadraginta annos natus, sed repulsam tulit. Plut. Cat. 49. Liv. Epit. 108. Dio Cass. 40, 58. A. 708 (46) bello Africano contra Caesarem semetipsum occidit. Livii Epit. 114. Conf. Drumann t. 5. p. 153—198.

Cic. Brut. 31. *Tubero fuit mediocris in dicendo, doctissimus in disputando. Quam hoc idem in nostris contingere intelligo, quod in graecis, ut omnes fere Stoici prudentissimi in disserendo sint et id arte faciant sintque architecti pene verborum, iidem traducti a disputando ad dicendum inopes reperiantur. Unum excipio Catonem, in quo perfectissimo Stoico summam eloquentiam non desiderem. — Tuus autem avunculus* (Cato), *quemadmodum scis, habet a Stoicis id, quod ab illis petendum fuit, sed dicere didicit a dicendi magistris eorumque more se exercuit.*

Cic. Prooemium Paradoxorum: *Animadverti, Brute, saepe Catonem, avunculum tuum, cum in senatu sententiam diceret, locos graves ex philosophia tractare, abhorrentes ab hoc usu forensi et publico, sed dicendo consequi tamen, ut illa etiam populo probabilia viderentur. — Cato enim dumtaxat de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude virtutis, de diis immortalibus, de caritate patriae Stoice solet oratoriis ornamentis adhibitis dicere.*

Cic. de legibus 3, 18. *Brevitas non modo senatoris, sed etiam oratoris magna laus est in sententia, nec est umquam longa oratione utendum, nisi aut peccante senatu nullo magistratu adiuvante tolli diem utile est, aut cum tanta causa est, ut opus sit oratoris copia vel ad hortandum vel ad docendum: quorum generum in utroque magnus noster Cato est.*

Salust. Catilina c. 54. *M. Catoni et C. Caesari genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuere, magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii.*

Velleius 2, 36. *Iam pene supervacaneum videri potest, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat, diremtos gradibus aetatis floruisse hoc tempore (in consulatu Ciceronis) Ciceronem, Hortensium, saneque Crassum, Catonem, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Coelium, Calvum et proximum Ciceroni Caesarem eorumque velut alumnos Corvinum ac Pollionem Asinium.*

Catonem] merito dices, Catonem oratoribus celeberrimis aetatis Ciceronianae adnumerandum esse. Vid. supra pag. 383. 400.

Quintil. 12, 7, 4. *Principes in republica viri non detrectaverunt hanc officii partem* (accusatoris), *creditique sunt etiam clari iuvenes obsidem reipublicae dare malorum civium accusationem, quia nec odisse improbos nec simultates provocare nisi ex fiducia bonae mentis videbantur. Idque cum ab Hortensio, Lucullis, Sulpicio, Cicerone, Caesare, plurimis aliis, tum ab utroque Catone factum est, quorum alter appellatus sapiens, alter nisi creditur fuisse, vix scio, cui reliquerit huius nominis locum.*

ab utroque Catone] nemo prodidit, quibus in iudicium vocatis vel Cato Censorius vel Cato Uticensis adolescentes tirocinium eloquentiae posuerint gloriamque meruerint.

Quintil. XI, 1, 35. *Vir civilis vereque sapiens, qui se non otiosis disputationibus, sed administrationi reipublicae dediderit, a qua longissime isti, qui philosophi vocantur, recesserunt, omnia, quae ad efficiendum oratione, quod proposuerit, valent, libenter adhibebit, cum prius, quod honestum sit, efficere in animo suo constituerit. Est quod principes deceat, aliis non concesseris. Imperatorum ac triumphalium separata est aliqua ex parte ratio eloquentiae, sicut Pompeius abunde disertus rerum suarum narrator, et hic, qui bello civili se interfecit, Cato eloquens senator fuit.*

Plut. Cato minor c. 5. Ὁ λόγος νεαρὸν μὲν οὐδὲν οὐδὲ κομψὸν εἶχεν, ἀλλ' ἦν ὄρθιος καὶ περιπαθὴς καὶ

τραχύς. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ χάρις ἀγωγὸς ἀκοῆς ἐπέτρεχε τῇ βραχύτητι τῶν νοημάτων καὶ τὸ ἦθος αὐτοῦ καταμιγνύμενον ἡδονήν τινα καὶ μειδίαμα τῷ σεμνῷ παρεῖχεν οὐκ ἀπάνθρωπον. Ἡ δὲ φωνὴ μεγέθει μὲν ἀποχρῶσα καὶ διαρκὴς εἰς τοσοῦτον ἐξικέσθαι δῆμον, ἰσχὺν δὲ καὶ τόνον ἄρρηκτον εἶχε καὶ ἄτρυτον. ἡμέραν γὰρ ὅλην εἰπὼν πολλάκις οὐκ ἀπηγόρευσε.

Multas habuisse orationes constat Catonem, verum una solummodo memoriae prodita, teste Plutarcho.

Oratio de Catilina.

Ea est habita a. 691 (63). Salustius orationem Catonis celeberrimam operi suo de Catilina (c. 52) inseruit, ita tamen ut argumentum eius atque consilium exprimeret redderetque, verum suam ipsius dictionem Catoni tribueret. Conf. Orat. Caesaris p. 414. Drumann t. 3. p. 174. t. 5. p. 528.

Plut. Cato 23. Ὁ Κάτων ἀναστὰς εὐθὺς ἵετο τῷ λόγῳ μετ᾽ ὀργῆς καὶ πάθους τόν τε Σιλανὸν κακίζων τῆς μεταβολῆς καὶ καθαπτόμενος τοῦ Καίσαρος, ὡς σχήματι δημοτικῷ καὶ λόγῳ φιλανθρώπῳ τὴν πόλιν ἀνατρέποντος καὶ δεδιττομένου τὴν βουλὴν ἐφ᾽ οἷς αὐτὸν ἔδει δεδιέναι καὶ ἀγαπᾶν, εἰ τῶν γεγονότων ἀθῷος ἀπαλλάξαι καὶ ἀνύποπτος οὕτως περιφανῶς καὶ ἰταμῶς τοὺς κοινοὺς ἐξαρπάζων πολεμίους καὶ τὴν παρ᾽ οὐδὲν ἐλθοῦσαν ἀπολέσθαι πατρίδα τοιαύτην καὶ τοσαύτην ὁμολογῶν μὴ ἐλεεῖν, ἀλλ᾽ οὓς ἔδει μὴ γενέσθαι μηδὲ φῦναι δακρύων καὶ ἀνακλαιόμενος, εἰ φόνων καὶ μεγάλων κινδύνων ἀπαλλάξουσι τὴν πόλιν ἀποθανόντες. Τοῦτον μόνον ὧν Κάτων εἶπε διασώζεσθαί φασι τὸν λόγον, Κικέρωνος τοῦ ὑπάτου τοὺς διαφέροντας ὀξύτητι τῶν γραφέων σημεῖα προδιδάξαντος ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν, εἶτ᾽ ἄλλον ἀλλαχόσε τοῦ βουλευτηρίου σποράδην ἐμβαλόντος. — Ἐκράτησε δ᾽ οὖν ὁ Κάτων καὶ μετέστησε τὰς γνώμας, ὥστε θάνατον καταψηφίσασθαι τῶν ἀνδρῶν.

Appian. Bell. Civ. 2, 6. Δικαίου δὲ τῆς γνώμης **(Caesaris)** φανείσης καὶ δεχθείσης, ἀκρατῶς οἱ πολλοὶ

μετετίθεντο, μέχρι Κάτων, ἤδη σαφῶς ἀνακαλύπτων τὴν ἐς τὸν Καίσαρα ὑποψίαν, καὶ ὁ Κικέρων ἔπεισαν ὡς αὐτοφώρων ἄνευ κρίσεως καταγνῶναι.

Sueton. Caesar 14. *Caesar praetor creatus detecta coniuratione Catilinae senatuque universo in socios facinoris ultimam statuente poenam solus municipatim dividendos custodiendosque publicatis bonis censuit, — obtinuissetque, transductis ad se iam pluribus, nisi labantem ordinem confirmasset M. Catonis oratio.*

Schol. Bobiensia in orat. pro Sestio c. 29. p. 302. *Ipse Cato tribunus pl. designatus Lentulum et Cethegum et ceteros censuerat capite puniendos.*

LXXXVI. *L. Calpurnius Piso.*

Natus est a. 653 (101). Praetor a. 693 (61), deinde provinciam obtinuit, unde reversus repetundarum a P. Clodio postulatur. Consul a. 696 (58), deinde in provinciam Macedoniam decessit, unde rediit a. 699 (55). Cic. de prov. cons. 2, 4. seqq. in Pison. 16, 38. Censor a. 704 (50). Conf. Drumann t. 2. p. 63.

Oratio adversus M. Tullium Ciceronem.

Ea est scripta a. 700 (54). Piso et Cicero adversarii erant. Extat Ciceronis in eum oratio, iniuriarum et maledictorum plena, a. 699 (55) habita, cui rescripsit Piso.

Cic. ad Q. fratr. 3, 1, 4. *Rescripsi epistolae maximae. Audi nunc de minuscula. in qua primum est de Clodii ad Caesarem litteris. Alterum est de Calventii Marii oratione. Quod scribis, miror tibi placere me ad eam rescribere, praesertim cum illam nemo lecturus sit; si ego nihil rescripsero, meam in illum pueri omnes tamquam dictata perdiscant.*

Calventii Marii] Cicero Pisonem *Calventium* atque *Marium* appellare solet ludibrio; mater enim eius Calventii filia e Placentia in Gallia erat. Eundem Marium appellat, vel cum imperatoriam dignitatem affectaret, vel eo, quod, cum Ciceronem in exilium eiecisset, Mario se similem esse diceret, qui Q. Metellum Numidicum in exilium miserat. Conf. Drumann t. 2. p. 74.

LXXXVII. *Appius Claudius Pulcher.*

Natus anno circiter a. 657 (97). Praetor a. 697 (57), consul a. 700 (54); proconsul Ciliciae a. 701 (53), censor a. 704 (50). Mortuus est in Graecia a. 705 (49). Conf. Drumann t. 2. p. 186.

Cic. Brut. 77. *Appius Claudius et satis studiosus et valde cum doctus tum etiam exercitatus orator, et cum auguralis tum omnis publici iuris antiquitatisque nostrae bene peritus fuit.*

Cic. ad famil. 3, 11, 3. *Augurales libros ad commune utriusque nostrum otium serva: ego enim, a te cum tua promissa per literas flagitabam, ad urbem te otiosissimum esse arbitrabar. Nunc tamen, ut ipse polliceris, pro auguralibus libris orationes tuas confectas omnes exspectabo.*

augurales libros] eorum librorum mentionem facit Festus p. 298. *Appius Pulcher in auguralis disciplinae libro primo* etc.
orationes tuas] eae aetatem non tulerunt, nec ullus scriptor fragmentum quoddam servavit.

1. Oratio contra Terentium Varronem repetundarum.

Acta est causa a. 679 (75). Conf. *Hortensii Oratt.* p. 368. Appius Claudius adolescens reum fecit Terentium Varronem, postquam ex Asia provincia reversus est, repetundarum. Eum defendit Hortensius. Pseudo-Asconius in Divinat. in Verrem p. 109. *Appius Claudius adolescens nobilis, cum accusaret Terentium Varronem repetundarum ex Asia, victus ab Hortensio est: in quo iudicio discoloribus ceris signa sententiarum notabantur.*

2. Oratio pro se contra P. Cornelium Dolabellam.

Appius a P. Dolabella laesae maiestatis postulatur a. 704 (50): sed absolutus est. Hortensius (v .p. 377.) et M. Brutus eum defenderunt. Coelius ad Ciceronem lib. 8, 6. *Non dubito quin perlatum ad te sit, Appium a Dolabella reum factum.*

Cicero ad Appium 3, 11, 1. *Respondebo superiori prius; in qua scribis ad me de absolutione maiestatis.*

3. Oratio pro se de ambitu contra P. Corn. Dolabellam.

Causa est acta a. 704 (50). Appius, dum censuram petebat a. 704 (50), de ambitu ab eodem Dolabella reus est factus. Absolutus est. Cic. ad Appium 3, 11.

4. Oratio pro se contra M. Coelium Rufum.

Acta est causa a. 704 (50).

Coelius ad Ciceronem lib. 8, 12. *Ego Appium censorem lege Scantinia postulavi. Praeterea coepi sacellum, in domo quod est, ab eo petere.*

In edit. priore duos errores commisi, cum dixissem, ab Appio et *Gabinium* et *Milonem* reum factum esse. Appius enim in senatu in Gabinium invectus est, nec tamen eum reum fecit, nec Milonem postulavit: tum enim, cum causa Milonis agebatur a. 702 (52), in Cilicia proconsul erat; aliusque Appius contra eum stetit.

LXXXVIII. *C. Manilius.*

C. Manilius tribunus plebis a. 688 (66) legem promulgavit, ut bellum Mithridaticum Cneo Pompeio Magno traderetur. Vid. Drumann t. 4. p. 416.

Livius Epit. lib. 100. *C. Manilius tribunus plebis magna indignatione nobilitatis legem tulit, ut Pompeio Mithridaticum bellum mandaretur. Concio eius bona.*

concio eius bona] nescio an his verbis indicetur, orationem C. Manilii extare eamque esse egregiam. Orellius autem in novissima editione Epitomarum Livii putat, vocabulum *bona* ab interpolatore inculcatum esse.

LXXXIX. *P. Sestius.*

Natus anno circiter 660 (94). Quaestor C. Antonii consulis a. 691 (63). Proquaestor deinde in Macedonia

a. 692 (62). Tribunus pl. a. 697 (57). Praetor a. 701 (53). Ciliciam propraetore obtinuit a. 705 (49). Conf. Onomast. Tullianum.

Sestii laudes oratoriae non erant magnae, imo et a Cicerone et a Valerio Catullo irridetur. Pompeius autem usus est eius opera, ad scribendum epistolas orationesve.

Cicero ad Atticum 7, 17, 2. *Scire iam te oportet, L. Caesar quae responsa referat a Pompeio, quas ab eodem ad Caesarem ferat litteras. Scriptae enim et datae ita sunt, ut proponerentur in publico; in quo accusavi mecum ipse Pompeium, qui, cum scriptor luculentus esset, tantas res atque eas, quae in omnium manus venturae essent, Sestio nostro scribendas dederit. Itaque nihil umquam legi scriptum* σηστιωδέστερον.

responsa] litteras intelligit Pompeii ad Caesarem, a. 705 (49) de pacis conditionibus scriptas.

1. Oratio in Antium.

Hanc nonnisi ex Catullo cognitam habemus orationem. Sed quando curve Antius Sestium accusaverit, Sestiusque orationem contra eum habuerit, memoriae traditum non est. Vossius intelligit C. Antium Restionem, qui legem tulit sumtuariam, et a triumviris a. 711 proscriptus vix mortem effugit. In multis codd. legitur *Attius* pro *Antio*, quae si vera esset lectio, T. Attium Pisaurensem intelligendum arbitrarer, cuius in Bruto Ciceronis c. 78 fit mentio, cuiusque accusationi Cicero respondit pro A. Cluentio. Constat, Sestium bis accusatum esse a. 698 (56), tam ambitus quam de vi. Cic. ad Q. fratrem 2, 3, 5. Appian. Bell. Civil, 2, 24. Sed in his causis Antius petitor i. e. accusator non erat.

Catullus 44.

O funde noster seu Sabine seu Tiburs,
(nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum laedere: at quibus cordi est,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt)

Sed seu Sabine sive verius Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
Villa malamque pectore expuli tussim,
Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum sumtuosas appeto, dedit, coenas.
Nam Sestianus dum volo esse conviva,
Orationem in Antium petitorem
Plenam veneni et pestilentiae legit.
Hic me gravedo frigida et frequens tussis
Quassavit usque dum in tuum sinum fugi
Et me recuravi otioque et urtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ulta peccatum.
Nec deprecor iam, si nefaria scripta
Sesti recepso, quin gravedinem et tussim
Non mihi, sed ipsi Sestio ferat frigus,
Qui tunc vocat me, cum malum librum legit.

XC. *M. Calidius.*

Natus anno 657 (97): decem annis minor quam Cicero. Quaestor a. 687 (67), ut scribit Ellendt p. CVII. Deinde usus est magistro dicendi Apollodoro Pergameno teste Hieronymo in Euseb. Chron. Ol. 179. 2 = a. u. 691 (63): *Apollodorus Pergamenus graecus orator, praeceptor Calidii et Augusti clarus habetur.* Quo de rhetore v. *Asinii Pollionis oratio pro Apollodoro Pergameno.* Tribunus plebis a. 693 (61). Praetor a. 697 (57). Huc pertinet, quod Hieronymus refert in Euseb. Chron. Olymp. 180, 4: = a. 697 (57): *M. Calidius orator clarus habetur, qui bello postea civili Caesarianas partes secutus, cum togatam Galliam regeret, Placentiae obiit.* Petebat consulatum a. 703 (51): at repulsam tulit. In bello civili a. 705 (49) Caesarianas partes sequitur. Caesar de bell. Civ. 1. 2. A. 706 (48) Galliam togatam provinciam administravit, eodemque anno Placentiae diem supremum obiit.

Cic. Brut. 79, 274. *Sed de M. Calidio dicamus aliquid, qui non fuit orator unus e multis, potius inter multos prope singularis fuit, ita reconditas exquisitasque sententias mollis et pellucens vestiebat*

oratio. Nihil tam tenerum quam illius comprehensio verborum, nihil tam flexibile, nihil quod magis ipsius arbitrio fingeretur, ut nullius oratoris aeque in potestate fuerit; quae primum ita pura erat, ut nihil liquidius, ita libere fluebat, ut nusquam adhaeresceret, nullum nisi loco positum et tamquam in vermiculato emblemate, ut ait Lucilius, structum verbum videres; nec vero ullum aut durum aut insolens aut humile aut longius ductum ac non propria verba rerum, sed pleraque translata, sic tamen, ut ea non irruisse in alienum locum, sed immigrasse in suum diceres; nec vero haec soluta nec diffluentia, sed astricta numeris, non aperte nec eodem modo semper, sed varie dissimulanterque conclusis. Erant autem et verborum et sententiarum illa lumina, quae vocant graeci σχήματα, quibus tamquam insignibus in ornatu distinguebatur omnis oratio. Qua de re agitur autem illud, quod multis locis in iurisconsultorum includitur formulis, id ubi esset videbat. c. 80. *Accedebat ordo rerum plenus artis, actio liberalis, totumque dicendi placidum et sanum genus. Quod si est optimum suaviter dicere, nihil est, quod melius hoc quaerendum putes. Sed cum a nobis paulo ante dictum sit, tria videri esse, quae orator efficere deberet, ut doceret, ut delectaret, ut moveret, duo summe tenuit, ut et rem illustraret disserendo et animos eorum qui audirent devinciret voluptate. Aberat tertia illa laus, qua permoveret atque incitaret animos, quam plurimum pollere diximus, nec erat ulla vis atque contentio, sive consilio, quod eos, quorum altior oratio actioque esset ardentior, furere et bacchari arbitraretur, sive quod natura non esset ita factus, sive quod non consuesset, sive quod non posset. Hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, afuit; si opus erat, defuit.*

Velleius 2, 36. *Iam pene supervacaneum videri potest, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat, diremtos gradibus aetatis floruisse*

hoc tempore Ciceronem, Hortensium, saneque Crassum, Catonem, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Coelium, Calvum et proximum Ciceroni Caesarem, eorumque velut alumnos Corvinum ac Pollionem Asinium.

Quintil. 12, 10, 10 *subtilitatem* Calidii oratoris laudat.

Quintil. 12, 10, 39. *Annon in privatis et acutus et non asper et non indistinctus et non supra modum elatus M. Tullius? non in M. Calidio insignis haec virtus? non Scipio Laelius Cato in eloquendo velut Attici Romanorum fuerunt?*

1. Oratio in Q. Gallium.

Acta est causa a. 690 (64). M. Calidius Q. Gallium, praeturae candidatum a. 690 (64), ambitus postulavit. Eum defendit Cicero, cuius orationis pauca extant fragmenta. Conf. Spalding ad Quintil. 8, 3, 66. Ellendt p. CVIII.

Asconius in orat. in toga cand. p. 88. *Q. Gallium, quem postea reum ambitus defendit* (Cicero), *significare videtur. Hic enim cum esset praeturae candidatus, quod in aedilitate, quam ante annum gesserat, bestias non habuerat, dedit gladiatorium sub titulo, patri se id dare.*

Cic. in Bruto c. 80. *Quin etiam memini, cum in accusatione sua Calidius Q. Gallio crimini dedisset, sibi eum venenum paravisse, idque ab se esse deprehensum seseque chirographa, testificationes, indicia, quaestiones [manifestam rem] deferre diceret, deque eo crimine accurate et exquisite disputavisset, me in respondendo, cum essem argumentatus, quantum res ferebat, hoc ipsum etiam posuisse pro argumento, quod ille, cum pestem capitis sui, cum indicia mortis se comperisse manifesto et manu tenere diceret, tam solute egisset, tam leniter, tam oscitanter. Tu istuc, M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres? praesertim cum ista eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrime soleas, tuum negligeres? ubi dolor, ubi ardor animi, qui etiam ex infantium ingeniis*

elicere voces et querelas solet? nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur; pedis, quod minimum est, nulla supplosio, itaque tantum abfuit, ut inflammares animos nostros; somnum isto loco vix tenebamus." — Sic nos summi oratoris vel sanitate vel vitio pro argumento ad diluendum crimen usi sumus.

Coelius ad Ciceronem lib. 8, 9. *Calidius in defensione sua fuit disertissimus, in accusatione satis frigidus.*

in defensione sua] orationem intelligit Calidii, quam pro se habuit, cum a Galliis duobus a. 703 (51) ambitus postulabatur, ut infra dicemus.

Festus v. *Sufes* p. 309. *Sufes dic(tus Poenorum ma)gistratus ut Oscor(um Meddix tuticus). Calidius in oration(e in Q. Gal)lium: Nonne vobis, i(udices, scintillam) et fumus prosequi et (fumum flamma) videtur? Senatus cen(suit referentibus) sufetis.*

in Q. Gallium] sic supplendum esse, in ed. pr. monuimus. in *Q. Caecilium* Ursinus.

scintillam] Proverbium, quo Calidius usus est, paulo aliter atque Ursinus constituit supplevitque C. O. Müller.

senatus] Carthaginiensium.

Paulus Diaconus p. 308. Sufes consul lingua Poenorum. *Calidius, senatus, inquit, censuit referentibus sufetis.*

Calidius] *Caecilius* codex Basiliensis.

Nonius p. 208. *Horrea* genere neutro ut saepe, feminino *Claudius oratione in Quintium Gallum: quarum iacem murenae ulla horrea curiaque.*

Claudius] legendum *Calidius oratione in Quintum Gallium.* reliqua verba sunt desperata. Conf. supra p. 355.

2. Oratio de domo Ciceronis.

Ea habita videtur a. 697 (57): quo anno Calidius praeturam gessit. Dio Cassius 39, 11. Postquam Cicero per Clodium in exsilium eiectus esset, domus quoque

eius et villae dirutae et incendio consumtae sunt. (Drumann t. 2. p. 268) Cum autem a. 697 (57) restitueretur, rogatio lata est, ut bona quoque eius redderentur et area domus in privatum usum rediret: sacellum enim Clodius ibi aedificaverat. Res diu agebatur. Calidius praetor (Quintiliano teste) orationem ea de re habuisse videtur, atque Cicero quoque eadem de causa dixit. Conf. Drumann t. 2. p. 311. Markland in praefatione ad Cic. Oratt. IV. p. LXVIII. F. A. Wolf in Orat. de Harusp. Resp. p. 326. cap. 6. In alia opinione est Ellendt p. CVII. (quem in edit. priore secutus sum.) Is enim Calidium de domo Ciceronis publice egisse negat, sed putat Quintiliani locum demonstrare, eum μελετῆς gratia pro domo Ciceronis dixisse. Quod si verum esset, haec dictio non orationibus Calidii, sed declamationum generi adscribenda foret. Sed videamus verba Quintiliani. l. 10, 1, 23. *Illud utilissimum, nosse eas causas, quarum orationes in manus sumserimus, et quoties continget, utrinque habitas legere actiones, ut Demosthenis atque Aeschinis inter se contrarias, et Servii Sulpicii atque Messalae, quorum alter pro Aufidia, contra dixit alter, et Pollionis et Cassii reo Asprenate aliasque plurimas. Quin etiam, si minus pares videbuntur, aliquae tamen ad cognoscendam litium quaestionem recte requirentur, ut contra Ciceronis orationes Tuberonis in Ligarium et Hortensii pro Verre. Quin etiam, easdem causas ut quisque egerit, utile erit scire: nam de domo Ciceronis dixit Calidius, et pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia scripsit, etiamsi egisse eum Cornelius Celsus falso existimat.*

dixit Calidius] An *dixit et Calidius?* i. e. non solum Cicero, sed etiam Calidius. Ceterum ex his verbis apparere videtur, Calidium non minus atque Ciceronem hac de re publice egisse, nec de declamatione quadam ea intellexerim: illud enim *exercitationis gratia* ad Bruti tantum librum referendum existimo.

3. Oratio pro M. Aemilio Scauro.

Causa est acta a. 700 (54). P. Valerius Triarius

M. Aemilium Scaurum a. 700 (54) repetundarum accusavit. Eum defendit Cicero aliique patroni, quos inter Calidius.

Asconius in Scaurianam p. 20. *Defenderunt Scaurum sex patroni. Fuerunt autem hi, P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. C a l i d i u s, M. Cicero, M. Messala Niger, Q. Hortensius.*

4. Oratio pro se adversus Gallios duos.

Acta est causa a. 703 (51). Petebat Calidius consulatum a. 703 (51), sed repulsam tulit, atque ambitus reus est factus a Galliis duobus.

Coelius ad Ciceronem l. 8, 4, 1. *Invideo tibi, tam multa quotidie, quae mirere, istuc perferuntur. Primum illud, absolutum Messalam, deinde eundem condemnatum; C. Marcellum consulem factum, M. Calidium ab repulsa postulatum a Galliis duobus.*

Coelius Ciceroni l. 8, 9. *Calidius in defensione sua fuit disertissimus, in accusatione satis frigidus.*

in accusatione] v. supra *Calidii oratio contra Q. Gallium* p. 436.

XCI. *L. Novius.*

Tribunus plebis a. 696 (58), collega P. Clodii.

Concio tribunicia.

Extat fragmentum concionis a. 696 (58) habitae apud Asconium in Milonianam p. 47. *Pisone et Gabinio coss. pulso Cicerone in exilium, cum III Idus Sextiles Pompeius in senatum venit, dicitur servo P. Clodii sica excidisse, eaque ad Gabinium consulem delata dictum est, servo imperatum a P. Clodio, ut Pompeius occideretur. Pompeius statim domum rediit et se domi tenuit. Obsessus est etiam a liberto Clodii Damione, ut ex Actis eius anni cognovi, in quibus XV Kal. Septembris L. Novius tribunus pl. collega Clodii, cum Damio adversus Flavium praetorem appellaret tribunos, et tribuni de appellatione cognoscerent, ita sententiam dixit: Et hoc apparitore P.*

Clodii vulneratus sum, et hominibus armatis praesidiis dispositis a republica remotus sum; Cn. Pompeius obsessus est. Cum appeller, non utar eius exemplo, quem vitupero, et iudicium tollam.

ex Actis] Acta diurna continebant omnia, quae in foro aut senatu quotidie agebantur, nec non orationes, quae et in iudiciis et in senatu habebantur. Conf. *Leclerc Des Iournaux parmi les Romains.* p. 235. 239. Lieberkühnius autem in Comment. de *diurnis Actis* p. 4., qui *acta diurna* ab *actis iudiciariis* seu *forensibus* distinguenda esse arbitratur, ex actis forensibus hoc fragmentum concionis excerptum scribit

hoc apparitore] Damione.

eius exemplo] Clodii.

XCII. *T. Munatius Plancus Bursa.*

Tribunus plebis a. 702 (52). Conf. Drumann t. 4. p. 213.

Concio tribunicia.

Munatius de nece Clodii a. 702 (52) concionem habuit, cuius extat fragmentum apud Asconium in Milonianam p. 38. *Inter primos et C. Salustius et Q. Pompeius et T. Munatius Plancus tribuni plebis inimicissimas conciones de Milone habebant, invidiosas etiam de Cicerone, quod Milonem tanto studio defenderet.* Idem p. 44. *Sed ego, ut curiosius aetati vestrae satisfaciam, Acta etiam totius illius temporis persecutus sum, in quibus cognovi, pridie Kal. mart. S. C. esse factum, P. Clodii caedem et incendium curiae et oppugnationem aedium M. Lepidi contra rempublicam factam; ultra relatum in Actis illo die nihil; postero die, id est, Kal. mart. Munatium in concione exposuisse populo, quae pridie acta erant in senatu, in qua concione haec dixit ad verbum: Quod Q. Hortensius dixisset, ut extra ordinem quaereretur apud quaestorem, aestimare futurum, ut, cum pusillum edisset dulcedinis, largiter acerbitatis devoraret. Adversus hominem ingeniosum ingenio usi sumus; invenimus Fufium, qui diceret Divide. Reliquae parti sententiae ego et Salustius intercessimus.*

Quod Q.] Rau haec verba sic putat corrigenda, ut ex Analectis Orellii p. 329 video: *Cum Q. Hortensius dixisset: extra ordinem quaereretur: apud quaestorem aestimore futurum, ut — devoraret: adversus hominem ingeniosum non ingenio usi sumus; invenimus Fufium, qui diceret: Divide* etc. Conf. Leclerc Des lournaux parmi les Romains p. 237.

XCIII. *C. Sallustius Crispus.*

Natus est a. 668 (86). Hieronymus in Eusebii Chron. Olymp. 173. 3. = a. u. 668 (86): ***Sallustius Crispus scriptor historicus in Sabinis Amiterni nascitur.*** Tribunus pl. a. 702 (52) Cn. Pompeio Magno III. consule. Expulsus e senatu Appio Claudio Pulchro censore a. 704 (50). Dio Cass. l. 40, 63. A Caesare restitutus, praeturam obtinet a. 708 (46). Post necem Caesaris a. 710 (44) a republica recessit atque historiae operam dedit. Drumann t. 5. p. 443. Mortuus est a. 720 (34). Hieronymus in Euseb. Chron. Olymp. 186. 2. = a. u. 720 (34). ***Salustius diem obiit quadriennio ante Actiacum bellum.*** Conf. Clinton ad h. a. Salustium non ideo huc vocavimus, quod historiis suis ***orationes*** dignissimas inseruit, (eae enim, ut Cassius Severus apud Senecam rhetorem Praef. Exc. Controv. l. 3. p. 425 verissime iudicat, ***in honorem tantum historiarum leguntur***, non pro veris orationibus haberi debent) sed quod oratio quaedam in Ciceronem ei tribui solet.

Declamatio in Ciceronem.

Constat, Salustium et Ciceronem multas inter se exercuisse inimicitias in causa potissimum Miloniana, a. u. 702 (52) acta, in qua Salustium, tribunum plebis, vehementer adversus Ciceronem contionatum esse accepimus. Asconius Arg. Milonianae p. 38. ***Q. Pompeius et C. Salustius et T. Munatius Plancus, tribuni plebis, inimicissimas conciones de Milone habebant, invidiosas etiam de Cicerone, quod Milonem tanto studio defenderet. eratque maxima pars multitudinis infensa non tantum Miloni, sed etiam propter invisum patrocinium Ciceroni.*** Idem Asconius p. 49. 51.

plures locos Ciceronianae orationis pro Milone commemorat, quos contra Salustium dictos existimat.

Ex hac controversia nata est *Salustii quae fertur declamatio in Ciceronem*, quae in multis extat codicibus, nec tamen ex ipsius Salustii ingenio fluxit, verum a rhetore quodam temporibus Augusti vel Tiberii composita est. Constat enim, tunc temporis saepissime rhetores vel pro Cicerone vel contra Ciceronem declamavisse, multosque exercitationis gratia orationibus eius rescripsisse, ut ex *Suasoria sexta* aliisque locis M. Senecae rhetoris manifesto apparet. Sed nescio quomodo Quintilianus tres locos illius declamationis operi suo inseruit, eamque ipsi Salustio tribuere et vindicare videtur.

Quintil. 4, 1, 68. *Quid? nonne Salustius directo ad Ciceronem, in quem ipsum dicebat, usus est principio, et quidem protinus: Graviter et iniquo animo maledicta tua paterer, M. Tulli? sicut Cicero fecerat in Catilinam: quousque tandem abutere?*

Quintil. 9, 3, 89. *Etiam in personae fictione accidere quidam idem putaverunt, ut in verbis esset haec figura: Crudelitatis mater est avaritia. et apud Salustium in Ciceronem O Romule Arpinas, quale est et apud Menandrum Oedipus Thriasius.*

Quintil. XI, 1, 24. *In carminibus utinam pepercisset Cicero, quae non desierunt carpere maligni Cedant arma togae, concedat laurea linguae et o fortunatam natam me consule Romam et Iovem illum, a quo in concilium deorum advocatur et Minervam, quae artes eum docuit: quae sibi ille, secutus quaedam graecorum exempla, permiserat.*

maligni] omnia haec quatuor exempla in *Declamatione Salustii* extant.

Mirandum sane, Quintilianum tantopere esse deceptum. Conf. Markland in Praefat. Oratt. Cic. p. LXXV. Spalding in Quintil. 4, 1, 68. Westermann p. 272. Drumann t. 5. p. 440. Alii vero hanc calumniam a

Quintiliano avertentes, probare conabantur, Quintiliani libros esse interpolatos atque duobus prioribus locis a librario quodam illa verba ex declamatione, quae ferebatur, Salustii inepte inserta esse. Ita olim Cortius, et Zumptius nuper iudicavit in annotatione ad Quint. 4, 1, 68. T. 5. p. 184., qui in eo potissimum argumento nititur, quod in libro 9, 3, 89 verba declamatoris in aliquot codicibus desint.

XCIV. *M. Iunius Brutus.*

Natus est a. 669 (85). Conf. Cic. Brut. 94 et 64. In bello civili Pompeii secutus est partes a. 705 (49), sed bello confecto Caesari se tradidit. Praetor in Gallia cisalpina a. 708 (46). Praetor urbanus a. 710 (44). Post necem Caesaris in provinciam Macedoniam decessit atque subsidia belli paravit. Cecidit in pugna Philippis a. 712 (42): annos XLIII natus. In Epitome autem Livii l. 124 legimus: *M. Brutus ipse vitam finivit, annorum circiter quadraginta.* Atque Velleius 2, 71 scribit, Brutum finivisse septimum et tricesimum annum agentem. Vid. Drumann t. 4. p. 18—44.

Cicero in Bruto c. 6. *Mihi, Brute, in te intuenti crebro in mentem venit vereri, ecquodnam curriculum aliquando sit habitura tua et natura admirabilis et exquisita doctrina et singularis industria. Cum enim in maximis causis versatus esses, et cum tibi aetas nostra cederet fascesque summitteret, subito in civitate tum alia ceciderunt, tum etiam ea ipsa eloquentia obmutuit.*

ibid. c. 97. *Tuum enim, Brute, forum, tuum erat illud curriculum, tu illuc veneras unus, qui non linguam modo acuisses exercitatione dicendi, sed et ipsam eloquentiam locupletavisses graviorum artium instrumento, et iisdem artibus decus omne virtutis cum summa eloquentiae laude iunxisses. Tu tamen, etsi cursum ingenii tui, Brute, premit haec importuna clades civitatis, contine te in tuis perennibus studiis, et effice id, quod iam propemodum vel plane*

potius effeceras, ut te eripias ex hac turba patronorum, nec enim decet te ornatum uberrimis artibus, quas, cum domo haurire non posses, arcessivisti ex urbe ea, quae domus est semper habita doctrinae, numerari in vulgo patronorum. Nam quid te exercuit Pammenes, vir longe eloquentissimus graecorum, quid illa vetus Academia atque eius heres Aristus, siquidem similes maioris partis oratorum futuri sumus?

Velleius 2, 36. *Iam pene supervacaneum videri potest, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat, diremtos gradibus aetatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium saneque Crassum, Catonem, Sulpicium, moxque B r u t u m, Calidium, Coelium, Calvum et proximum Ciceroni Caesarem eorumque velut alumnos Corvinum ac Pollionem Asinium.*

Columella lib. 1. praefat. §. 30. *Nec B r u t u m aut Coelium Pollionemve cum Messala et Calvo deterruere ab eloquentiae studio fulmina illa Ciceronis.*

Quintil. 10, 1, 123. *Supersunt qui de philosophia scripserint, quo in genere paucissimos adhuc eloquentes litterae romanae tulerunt. Egregius vero m u l t o q u e q u a m i n o r a t i o n i b u s p r a e s t a n t i o r B r u t u s sufficit ponderi rerum, scias eum sentire, quae dicit.*

Quintil. 12, 10, 10. *g r a v i t a t e m Bruti oratoris laudat.*

Quintil. 9, 4, 76. *T r i m e t r i v e r s u s fere excidunt, quos B r u t u s ipso componendi ductus studio saepissime facit, non raro Asinius, sed etiam Cicero nonnumquam.*

Quint. 9, 4, 63. *Proximam clausulis diligentiam postulant initia. Sed eorum facilior ratio est; non enim cohaerent, sed ita praecedentibus serviunt, ut exordium sumant cum clausula qualibet. Sit tamen composita ipsa; gratiam perdet, si ad eam rupta via venerimus. Quo fit, ut, cum Demosthenis severa videatur compositio,* πρῶτον μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις, *et illa, quae ab*

uno, quod sciam, Bruto minus probatur, ceteris placet κἂν μήπω βάλλῃ μηδὲ τοξεύῃ, Ciceronem carpant in his etc.

Bruto] Brutum Demosthenis orationes diligentissime cognovisse, testatur Cicero in Oratore c. 29, 105. 38, 136.

Seneca Controvers. lib. 5, 30. p. 359. *M. Bruti sacratissimam eloquentiam lacerat.*

M. Bruti] immerito hunc locum pro testimonio eloquentiae Bruti haberi (quod ab Ellendtio quoque p. CXXIX. factum est), comprobat Schulting p. 297., qui corruptissima auctoris verba sanare conatus est.

Tacitus Dial. de Oratorib. c. 18. *Legistis utique et Calvi et Bruti ad Ciceronem missas epistolas, ex quibus facile est deprehendere, Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et attritum, Brutum autem otiosum atque disiunctum, rursusque Ciceronem a Bruto male audisse, ut ipsius verbis utar, tamquam fractum atque elumbem. si me interrogas, omnes mihi videntur verum dixisse.*

Otiosum] fortasse *odiosum* i. e. adfectatione quadam et asperitate dictionis molestum. *Lipsius.* At Brutus utpote sententiosus et animosa philosophia plenus, potuit otiosus esse circa sententias et philosophicos locos, ita Cicero fuit *otiosus circa excessus*, ut mox ab eodem auctore dicitur c. 22. *Brotier.* Otiosum eum accipio, cuius oratio sit nulla vi praedita et languida, qualis esse in disiunctis et male cohaerentibus solet. *Schulting.* Brutus hat in seinen Reden viel müssiges, überflüssiges, was nicht in eine Rede hineingehört.

Disiunctum] i. e. non cohaerebant omnia in orationibus Bruti, non uno tenore omnia fluebant: oratio eius non erat oratoria.

ibid. c. 21. *Concedamus sane C. Caesari, ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecerit quam divinum eius ingenium postulabat: tam hercule quam Brutum philosophiae suae relinquamus; nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur. nec fere quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis legit nisi qui et carmina eorundem mirantur.*

ibid. c. 25. *Apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Calvus autem et Asinius et Caesar et Coelius et Brutus suo iure et prioribus et sequentibus anteponuntur. nec refert quod inter se specie differant, cum genere consentiant. astrictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Coelius, gravior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero: omnes tamen eandem sanctitatem eloquentiae ferunt, ut si omnium pariter libros in manum sumseris, scias, quamvis in diversis ingeniis, esse quandam iudicii ac voluntatis similitudinem et cognationem.*

Plutarchi Brutus c. 2. *῾Ρωμαιστὶ μὲν οὖν ἤσκητο πρὸς τὰς διεξόδους καὶ τοὺς ἀγῶνας ἱκανῶς ὁ Βροῦτος, ῾Ελληνιστὶ δὲ τὴν ἀποφθεγματικὴν καὶ Λακωνικὴν ἐπιτηδεύων βραχυλογίαν.*

πρὸς τὰς διεξόδους] Brulus paratus eral, vel ad dicendum de republica ample el copiose vel ad causas agendas forenses. Sensum graeci vocabuli illustravil Ernesti in Lexico Technol. graec. rhel. s. v. et Voegelinus noster.

Aurel. Victor de Vir. Illust. 82. *M. Brutus, avunculi Catonis imitator, Athenis philosophiam, Rhodi eloquentiam didicit.*

1. Oratio de dictatura Pompeii.

Eam Brutus a. 701 (53) scripsit vulgavitque, ut dissuaderet, quominus dictatura deferretur Pompeio, qui enixe laborabat, ut consul in annum 702 (52) crearetur solus dictatorque ut fieret.

Quintil. 9, 3, 95. *Apud Brutum de dictatura Cn. Pompeii: Praestat enim nemini imperare quam alicui servire; sine illo enim vivere honeste licet, cum hoc vivendi nulla conditio est.*

sine illo] i. e. sine imperio.
cum hoc] i. e. cum servitute.

Suetonius in Caesare 49. *Missa etiam facio edicta Bibuli, quibus proscripsit collegam suum Bithynicam*

reginam, eique regem antea fuisse cordi, nunc esse regnum. Quo tempore, ut M. Brutus refert, Octavius etiam quidam, valetudine mentis liberius dicax, conventu maximo cum Pompeium regem appellasset, ipsum reginam salutavit.

M. Brutus refert] in declamatione de dictatura Pompeii scriptum arbitratur Drumann t. 4. p. 39.

2. Oratio pro T. Annio Milone.

Ea declamatio a. 703 (51) scripta est. Argumentum ex Ciceronis oratione pro Milone petendum. Conf. Drumann t. 2. p. 358 sq.

Quintil. 3, 6, 93. *Pro Milone aliud Ciceroni agenti placuit, aliud Bruto, cum exercitationis gratia componeret orationem, cum ille iure tamquam insidiatorem occisum et tamen non Milonis consilio dixerit, ille etiam gloriatus sit occiso malo cive.*

Quintil. 10, 1, 23. *Quin etiam, easdem causas ut quisque egerit, utile erit scire. Nam de domo Ciceronis dixit Calidius, et pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia scripsit, etiamsi egisse eum Cornelius Celsus falso existimat.*

Quintil. 10, 5, 20. *Causas vel easdem quas agi audierit, stilo et ipse componat, vel etiam alias, veras modo, et utrinque tractet, et quod in gladiatoribus fieri videmus, decretoriis exerceatur, ut fecisse Brutum diximus pro Milone.*

Asconius in Milonianam p. 42. *Respondit his unus M. Cicero; et cum quibusdam placuisset ita defendi crimen, interfici Clodium, pro republica fuisse (quam formam M. Brutus secutus est in ea oratione, quam pro Milone composuit et edidit, quasi egisset): Ciceroni id non placuit, quod non, qui bono publico damnari, idem etiam indemnatus occidi posset.*

Scholia Bobiensia in orat. p. Milone p. 276. *Cicero orationem pro Milone postea legitimo opere et maiore*

cura, utpote iam confirmatus animo et in securitate conscripsit. Sed enim cum ratio defensionis huius ordinaretur, quonam modo et secundum quem potissimum statum agi pro Milone oporteret, M. Brutus existimavit κατὰ ἀντίστασιν pro eo esse dicendum, quae a nobis nominatur qualitas compensativa. Hoc enimvero Ciceroni visum est parum salubre.

3. Oratio pro Appio Claudio Pulchro.

Acta est causa a. 704 (50). Appius Claudius Pulcher, Bruti socer, postquam e provincia Cilicia decesserat, maiestatis postulatus a P. Corn. Dolabella, absolvitur. Eum defenderunt Q. Hortensius (vid. supra p. 377.) et M. Brutus gener.

Cicero Bruto 94. *Hortensius quarto et sexagesimo anno perpaucis ante mortem diebus una tecum socerum tuum defendit Appium.* Conf. Cic. ad Famil. 3, 11, 3.

4. Laudatio Appii Claudii Pulchri.

Appius Claudius Pulcher, Bruti socer, in bello civili Pompeii partes secutus, Italia relicta in Graeciam decessit a. 705 (49), ibique a. 706 (48) mortuus est. M. Brutus laudationem eius funebrem scripsit. Ellendt autem p. CXXIX. scribit, Ap. Claudium socerum defunctum pro rostris a Bruto laudatum. Id factum nego, cum Appius non Romae efferretur pompa funebri, sed in insula Euboea diem supremum obiisset sepultusque esset. Val. Max. 1, 8, 10. Orosius 6, 15. Lucanus 5, 196. 230. Conf. Drumann t. 2. p. 197.

Diomedes p. 364. Amicio amicui. *ut Brutus laudatione Appii Claudii: Qui te toga praetexta amicuit.*

5. Oratio pro rege Deiotaro.

Ea habita est a. 707 (47) Nicaeae in Bithynia. Deiotarus rex Galatarum, in bello civili Pompeii partes secutus est, eumque iu pugna Pharsalica adiuvit. Quamvis

autem Caesar deinde ei ignovisset cum eoque in gratiam rediisset, tamen, cum alii reges Asiatici quererentur, quod per Pompeium fines regni sui armis illatis auxisset, Armeniam minorem aliasque regiones ei eripuit. Cum deinde Brutus ad Caesarem proficisceretur et in Bithyniam venisset, a Deiotaro res ei delata, atque, cum a Caesare causa regis Nicaeae, urbe Bithyniae, iterum ageretur, pro eo oravit, nec tamen Caesaris commutavit voluntatem. In alia opinione sunt Tunstall Epist. ad Middletonium p. 23, Mongault in Cic. Ep. ad Attic. 14, 1, Corradus et Ernesti, qui hanc orationem Nicaeae Ligurum oppido post reditum Caesaris ex Hispania a. 709 (45) a Bruto dictam arbitrantur. Verum haec opinio iam eo refellitur, quod huius orationis in Bruto Ciceronis, qui dialogus iam a. 708 (46) scriptus est, mentio est facta. Conf. Clinton Fasti ad a. 708 p. 203. Drumann T. 4. p. 25. et Ellendt p. CXXIX.

Cic. in Bruto c. 5. *Erat a me mentio facta, causam Deiotari fidelissimi atque optimi regis ornatissime et copiosissime a Bruto me audisse defensam. Scio ab isto initio tractum esse sermonem, teque Bruti dolentem vicem quasi deflevisse iudiciorum vastitatem atque fori.*

Cic. ad Atticum 14, 1. *De Bruto Caesarem solitum dicere: magni refert, hic quid velit, sed quidquid vult, valde vult: idque eum animadvertisse, cum pro Deiotaro Nicaeae diceret: valde vehementer eum visum et libere dicere.*

Plutarchi Brutus c. 6. *Καὶ δὴ καὶ τῷ τῶν Λιβύων βασιλεῖ προηγορῶν μὲν ἡττᾶτο τοῦ μεγέθους τῶν κατηγοριῶν, δεόμενος δὲ καὶ παραιτούμενος περὶ τούτου πολλὴν αὐτῷ διέσωσε τῆς ἀρχῆς. Λέγεται δὲ Καῖσαρ, ὅτε πρῶτον ἤκουσεν αὐτοῦ λέγοντος, εἰπεῖν πρὸς τοὺς φίλους· οὗτος ὁ νεανίας οὐκ οἶδα μὲν ὃ βούλεται, πᾶν δ' ὃ βούλεται, σφόδρα βούλεται.*

τῷ τῶν Λιβύων βασιλεῖ] vides ex praecedenti loco, regem Deiotarum intelligendum, unde verisimile, librarios veram scripturam *τῷ τῶν Γαλατῶν βασιλεῖ* corrupisse.

Tac. de Oratorib. c. 21. *Nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores Bruti fatentur, nisi forte quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui et carmina eorundem mirantur.*

6. Laudatio M. Porcii Catonis Uticensis.

Ea scripta est a. 709 (45). M. Porcius Cato, Bruti avunculus, Uticae se interemit a. 708 (46), quo minus sub Caesare dictatore viveret vel serviret. Laudationem Catonis non solum Brutus, sed Cicero quoque et Fadius Gallus scripsere. Caesar Anticatonem libris duobus rescripsit. Etiam Octavianus Augustus *Rescripta Bruto de Catone* composuit. Drumann t. 4. p. 27. t. 3. p. 758.

Cicero ad Atticum 13, 46. *Legi epistolam* (Caesaris): *multa de meo Catone, quo saepissime legendo se dicit copiosiorem factum, Bruti Catone lecto se sibi visum disertum.*

Bruti Catone] Caesar reprehendebat Bruti laudationem Catonis tamquam languidam et oratoriis luminibus carentem, librumque Ciceronis praeferebat.

Cic. ad Attic. 12, 21. *Legi Bruti epistolam eamque tibi remisi, sane non prudenter rescriptam ad ea quae requisieras. Sed ipse viderit, quamquam illud turpiter ignorat. Catonem primum sententiam putat de animadversione dixisse, quam omnes ante dixerant praeter Caesarem, et cum ipsius Caesaris tam severa fuerit, qui tum praetorio loco dixerit, consularium putat leniores fuisse, Catuli, Servilii, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellii, Volcatii, Figuli, Cottae, L. Caesaris, C. Pisonis, etiam Man. Glabrionis, Silani, Murenae designatorum consulum. Cur ergo in sententiam Catonis? quia verbis luculentioribus et pluribus rem eandem comprehenderat. Me autem hic laudat, quod retulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique ante quam consulerem, ipse iudicaverim.*

Quae omnia, quia Cato laudibus extulerat in caelum perscribendaque censuerat, idcirco in eius sententiam est facta discessio. Hic autem se etiam tribuere multum mihi putat, quod scripserit optimum consulem. Quis enim ieiunius dixit inimicus? Ad cetera vero tibi quemadmodum rescripsit? Tantum rogat, de senatusconsulto ut corrigas.

Catonem primum] Brutum io ea libri parte, ubi coniurationem Catilinae retulit, a veritate discedere, Cicero testatur.

7. Oratio Capitolina.

Ea est dicta post necem Caesaris aut ipsis Idibus Martiis aut postridie a. 710 (44). Conf. Drumann t. 1. p. 96.

Cic. ad Atticum 15, 1. *Brutus noster misit ad me orationem suam habitam in concione Capitolina, petivitque a me, ut eam nec ambitiose corrigerem ante quam ederet. Est autem oratio scripta elegantissime sententiis, verbis, ut nihil possit ultra. Ego tamen, si illam causam habuissem, scripsissem ardentius. Ὑπόθεσις vides quae sit, et persona dicentis; itaque eam corrigere non potui. Quo enim in genere Brutus noster esse vult et quod iudicium habet de optimo genere dicendi, id ita assecutus est in ea oratione, ut elegantius esse nihil possit. Sed ego solus alius sum, sive hoc recte sive non recte. Tu tamen velim orationem legas, nisi forte iam legisti, certioremque me facias, quid iudices ipse, quamquam vereor, ne cognomine tuo lapsus ὑπεραττικὸς sis in iudicando. Sed si recordabere Δημοσθένους fulmina, tum intelliges posse et ἀττικώτατα gravissime dici.*

Cic. ad Att. 15, 3. *Brutum omni re, qua possum, cupio iuvare, cuius de oratiuncula idem te, quod me, sentire video. Sed parum intelligo, quid me velis scribere, quasi a Bruto habita oratione, cum ille ediderit. Qui tandem convenit?*

Fronto Epist. p. 78. *Epistola Ciceronis mirifice affecit animum meum. Miserat Brutus Ciceroni librum suum corrigendum.*

librum suum] orationem Capitolinam intelligit Maius.

Plutarchus in vita Bruti c. 18. *Ἀθροισθέντος δὲ τοῦ πλήθους διελέχθη Βροῦτος ἐπαγωγὰ τοῦ δήμου καὶ πρέποντα τοῖς πεπραγμένοις.* Appianus Bell. Civ. 2. 137—141. orationem quandam Bruto tribuit.

8. Conciones.

Extat vestigium concionum, quas Brutus in bello adversus Antonium et Octavianum gesto coram militibus in Graecia habuit a. 711 (43) et 712 (42). Conf. Drumann t. 4. p. 40.

Tacitus Annal. 4, 134. Cremutius Cordus in defensione sua dicit: *Antonii epistolae, Bruti conciones falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent, carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur, sed ipse divus Iulius, ipse divus Augustus et tulere ista et reliquere, haud facile dixerim, moderatione magis an sapientia.*

Easdem Bruti allocutiones Ovidius quoque intelligit, cum in epistolis ex Ponto lib. 1. ep. 1, 23. dicit:

Nec vos hoc vultis, sed nec prohibere potestis:
Musaque ad invitos officiosa venit.
Quidquid id est, adiunge meis nihil impedit ortos
Exule servatis legibus urbe frui.
Quod metuas, non est: Antoni scripta leguntur,
Doctus et in promtu scrinia Brutus habet.

Antonii scripta] Antonii triumviri epistolae v. pag. 457.
Brutus] Brutus quoque lectores habet, qui eius scripta, quamvis auctor Augusto sit invisus, in scriniis servant. Quae vero scripta Bruti ea sunt, quae Augusto sunt odio? non alia opinor quam conciones, quas Brutus in bello contra Octavianum gesto habuit, quaeque contumeliis ininriisque erant refertae.

Incerta.

Marius Victorinus Ars grammat. p. 2456. ed. Putsch. vel p. 8 ed. Gaisford. *Messala, Brutus, Agrippa scripserunt pro* ***sumus simus.***

XCV. *M. Antonius triumvir.*

Natus anno 671 (83). vel a. 668 (86): decessit enim annos natus 53, vel, si alios sequeris auctores, 56. Plut. Anton. c. 87. Quaestor a. 702 (52). Sed iam ante quaesturam exercitui Caesaris in Gallia interfuit et mox inter legatos eius maxime excellebat. Augur factus est a. 704 (50). Tribunus pl. a. 705 (49), consilia Caesaris acerrime adiuvit, eiusque in bello civili partes est secutus. Consul a. 710 (44) cum Caesare, quo anno hic trucidatus est. Inde bella civilia inter M. Brutum, Antonium et Octavianum, mox inter Antonium et Octavianum. Caeditur Alexandriae a. 724 (30). Plutarch. Antonius c. 86. Conf. Drumann t. 1. p. 64 sqq. Weichert De Cassio Parmensi p. 334 sqq.

De eloquentia Antonii extant testimonia plerumque ea, quae ab adversariis eius, Ciccrone et Octaviano, dicta sunt, ita ut ne minima quidem ei tribuatur laus, sed potius vituperetur atque irrideatur. Conf. Drumann t. 1. p. 505. Habuit autem magistros dicendi Epidium et Sextum Clodium. Suet. de Rhetorib. 4. 5.

Plut. Antonius 2. *Ἀπῆρεν ἐκ τῆς Ἰταλίας εἰς τὴν Ἑλλάδα καὶ διέτριβε τό τε σῶμα γυμνάζων πρὸς τοὺς στρατιωτικοὺς ἀγῶνας καὶ λέγειν μελετῶν. ἐχρῆτο δὲ τῷ καλουμένῳ μὲν Ἀσιανῷ ζήλῳ τῶν λόγων ἀνθοῦντι μάλιστα κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον, ἔχοντι δὲ πολλὴν ὁμοιότητα πρὸς τὸν βίον αὐτοῦ κομπώδη καὶ φρυαγματίαν ὄντα καὶ κενοῦ γαυριάματος καὶ φιλοτιμίας ἀνωμάλου μεστον᾽.*

Sueton. Octavius c. 86. *Marcum Antonium ut insanum increpat Octavianus, quasi ea scribentem, quae mirentur potius homines quam intelligant. Deinde ludens malum et inconstans in eligendo genere dicendi ingenium eius, addit haec: Tuque dubitas, Cimberne Annius an Veranius Flaccus imitandi sint tibi, ita ut verbis, quae C. Salustius excerpsit ex Originibus Catonis, utaris, an potius Asiaticorum*

oratorum inanis sententiis verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda?

Suet. de Rhetor. 1. *Paulatim et ipsa* (rhetorica) *utilis honestaque apparuit, multique eam et praesidii causa et gloriae appetiverunt. Cicero ad praeturam usque graece declamitavit, latine vero senior quoque et quidem cum Hirtio et Pansa. Cn. Pompeium quidam historici tradiderunt sub ipsum civile bellum repetisse declamandi consuetudinem, M. Antonium, item Augustum, ne Mutinensi quidem bello omisisse.*

Extitisse orationes Antonii, diserta testimonia veterum auctorum comprobant. Idem sentiunt Falster (Memoriae p. 15), et Westermann p. 207.

1. Oratio contra T. Annium Milonem.

Ea est habita a. 702 (52). Antonius accusavit Milonem. Asconius in Milonianam p. 42. *Intra horam secundam accusatores coeperunt dicere, Appius maior et M. Antonius et P. Valerius Nepos. Usi sunt ex lege horis duabus.*

2. Concio tribunicia.

Ea est dicta a. 704 (50): eo die quo Antonius tribunatum iniit.

Cic. ad Atticum 7, 8, 5. *Habebamus in manibus Antonii concionem habitam X Kal. Ianuar., in qua erat accusatio Pompeii usque a toga pura, querela de damnatis, terror armorum, in quibus ille, quid censes, aiebat, facturum esse ipsum, si in possessionem reipublicae venerit, cum haec quaestor eius infirmus et inops audeat dicere?*

ille] Pompeius. Conf. Wieland Epist. Cicer. T. 4. p. 75.
ipsum] Caesarem.

3. Laudatio funebris C. Iulii Caesaris.

Eam Antonius consul dixit a. 710 (44) paucis diebus post necem Caesaris. Conf. Drumann t. 1. p. 502.

Cic. ad Atticum XIV. 10. *Caesar etiam in foro*

combustus ***laudatusque miserabiliter****, servique et egentes in tecta nostra cum facibus immissi.*

laudatus] orationem funebrem s. laudationem habuit Antonius.

Cic. ad Att. XIV. 11. *Cum equidem concionem lego, de tanto viro, de clarissimo cive, ferre non queo, etsi iam ista ad risum. Sed memento: sic alitur consuetudo perditarum concionum, ut nostri illi, non heroes, sed dii, futuri quidem in gloria sempiterna sint, sed non sine invidia, ne sine periculo quidem.*

Cic. ad Att. XV, 20. *Quod ais, extrema quaedam iam homines de re publica loqui et eos quidem viros bonos: ego, quo die audivi illum tirannum in concione clarissimum virum appellari, subdiffidere cepi.*

Plut. Antonius 14. *ἔτυχε μὲν οὖν ἐκκομιζομένου Καίσαρος, ὥσπερ ἔθος ἦν, ἐν ἀγορᾷ διεξιὼν ἐγκώμιον, ὁρῶν δὲ τὸν δῆμον ὑπερφυῶς ἀγόμενον καὶ κηλούμενον ἐπέμιξε τοῖς ἐπαίνοις οἶκτον ἅμα καὶ δείνωσιν ἐπὶ τῷ πάθει καὶ τῶν λόγων τελευτῶν τούς τε χιτωνίσκους τοῦ τεθνηκότος ᾑμαγμένους καὶ διακεκομμένους τοῖς ξίφεσιν ἀνασείων καὶ τοὺς εἰργασμένους ταῦτα καλῶν παλαμναίους καὶ ἀνδροφόνους τοσοῦτον ὀργῆς ἐνέβαλε τοῖς ἀνθρώποις, ὥς τε τὸ μὲν σῶμα τοῦ Καίσαρος ἐν ἀγορᾷ καθαγίσαι συνενεγκαμένους τὰ βάθρα καὶ τὰς τραπέζας, ἁρπάζοντας δὲ τοὺς ἀπὸ τῆς πυρᾶς δαλοὺς ἐπὶ τὰς οἰκίας θεῖν τῶν ἀπεκτονότων καὶ προσμάχεσθαι.* Idem refert Plutarchus in Bruto c. 20.

Suetonius Caesare c. 84. *Laudationis loco consul Antonius per praeconem pronuntiavit senatus consultum, quo omnia ei divina simul atque humana decreverat, item iusiurandum, quo se cuncti pro salute unius adstrinxerant: quibus perpauca a se verba addidit.*

Dio Cassius finxit orationem Antonii lib. 44, 36—49., quae nihil nisi mera vanaque declamatio est. Appianus autem orationem Antonii ingenio satis convenientem refert. Bell. Civil. 2, 144—146.

4. Orationes adversus M. Tullium Ciceronem.

Eae sunt habitae a. 710 (44), iisque Ciceroni respondit. eaedem a Plutarcho *αἱ πρὸς τοὺς Φιλιππικοὺς ἀντιγραφαί* vocantur sive Antiphilippicae, cum contra Ciceronis Philippicas sint scriptae. Conf. Heeren De Fontibus Vit. Plutarchi p. 177.

Cic. Philipp. 2, 12, 30. *Sed stuporem hominis vel dicam pecudis adtendite. Sic enim dixit: M. Brutus, quem ego honoris causa nomino, cruentum pugionem tenens Ciceronem exclamavit: ex quo intelligi debet, eum conscium fuisse.*

ib. c. 28. At quam crebro usurpat *et consul et Antonius!*

Cic. Philipp. 3. c. 8. *Sed quid fecit ipse? Cum tot edicta proposuisset, edixit, ut adesset senatus frequens a. d. VIII. Kal. Decembris: eo die ipse non adfuit. At quo modo edixit? Haec sunt, ut opinor, verba in extremo: Si quis non adfuerit, hunc omnes existimare poterunt et interitus mei et perditissimorum consiliorum auctorem fuisse.*

ibid. c. 9. *Sententiolas edicti cuiusdam memoriae mandavi, quas videtur ille peracutas putare: ego autem, qui intelligeret, quid dicere vellet, adhuc neminem inveni. Nulla contumelia est, quam facit, dignus. Primum quid est dignus? Quid est porro facere contumeliam? Quis sic loquitur? Deinde nec timor, quem denuntiat inimicus. Quid ergo? Nonne satius est mutum esse, quam quod nemo intelligat dicere? En cur magister eius, ex aratore orator factus, possideat in agro publico populi romani campi Leontini duo milia iugerum immunia, ut hominem stupidum magis etiam infatuet mercede publica.*

magister eius] Sextus Clodius.

facere contumeliam] Quintil. 9, 3, 13. *Nunc evaluit contumeliam fecit, quod a Cicerone reprehendi notum est: affici enim contumelia dicebant.*

Plut. Cicero c. 41. *Ἀντώνιος δὲ τοῦ γάμου μνησθεὶς ἐν ταῖς πρὸς τοὺς Φιλιππικοὺς ἀντιγραφαῖς ἐκβαλεῖν αὐτόν φησι γυναῖκα, παρ' ᾗ ἐγήρασε, χαριέντως ἅμα τὴν οἰκουρίαν ὡς ἀπράκτου καὶ ἀστρατεύτου παρασκώπτων τοῦ Κικέρωνος.*

ἀντιγραφαῖς] quaeri potest, utrum Plutarchus duas illas orationes intelligat, quas Antonius in senatu contra Ciceronem dixerat, an Antonius alium librum contra Philippicas Ciceronis scripserit, an denique rhetor quidam Antonii nomine librum ediderit.

Plut. Antonius 2. *ὑπὸ ταύτης ὁ υἱὸς Ἀντώνιος ἐτράφη μετὰ τὴν τοῦ πατρὸς τελευτὴν Κορνηλίῳ Λέντλῳ γαμηθείσης, ὃν Κικέρων ἀπέκτεινε τῶν Κατιλίνα συνωμοτῶν γενόμενον. Αὕτη δοκεῖ τῆς σφοδρᾶς ἔχθρας Ἀντωνίῳ πρὸς Κικέρωνα πρόφασις καὶ ἀρχὴ γενέσθαι. Φησὶ γοῦν Ἀντώνιος οὐδὲ τὸν νεκρὸν αὐτοῖς ἀποδοθῆναι τοῦ Λέντλου πρότερον ἢ τῆς γυναικὸς τοῦ Κικέρωνος τὴν μητέρα δεηθῆναι.*

Ἀντώνιος φησὶ] *ἐν ταῖς πρὸς τοὺς Φιλιππικοὺς ἀντιγραφαῖς.*

Extabant praeterea *Antonii Epistolae* adversus Octavianum a. 722 (32) Dione teste l. 50, 2. scriptae, (Sueton. Aug. 70. Tacit. Ann. 4, 34. Ovid Ep. ex Ponto 1, 1, 27. Krause de Fontib. Suet. p. 36.) quibus rescripsit Asinius Pollio et Messala Corvinus, ut infra dicemus; et liber *de ebrietate sua*, non ab ipso Antonio, sed a rhetore quodam, ut Drumannus iudicat t. 1. p. 516, compositus.

XCVI. *P. Cominius.*

Utrum minor an maior natu Cicerone fuerit, parum constat.

Cic. Brut. 78, 271. *Ne hos quidem equites romanos, amicos nostros* (praetereo), *qui nuper mortui sunt, P. Cominium Spoletinum, quo accusante defendi C. Cornelium, in quo et compositum dicendi genus et acre et expeditum fuit.*

1. Oratio contra C. Cornelium de maiestate.

Acta est causa a. 689 (65).

Asconius in Cornelianam p. 59. *Manio Lepido L. Volcatio consulibus, quo anno praetor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de maiestate fecerunt. Detulit nomen Publius, subscripsit Caius.* Ibid. p. 62. *Extat oratio Cominii accusatoris, quam sumere in manus est aliquod operae pretium, non solum propter Ciceronis orationes, quas pro Cornelio habemus, sed etiam propter semetipsam.*

XCVII. *M. Coelius Rufus.*

Natus est a. 672 (82). Plinius Hist. Nat. 7, 49. *C. Mario Cn. Carbone III. cos. a. d. quintum Kalend. Iunias M. Coelius Rufus et C. Licinius Calvus eadem die geniti sunt, oratores quidem ambo, sed tamen dispari eventu.* Deinde M. Crasso et Cicerone adolescens usus est dicendi magistris. Cic. p. Coelio c. 4. Quaesturam obtinuit ante annum 698 (56), quo anno Cicero eum defendit. Tribunus plebis a. 702 (52). Aedilis curulis a. 704 (50). Praetor a. 706 (48): quo anno, cum res novas moliretur, interfectus est, annos 34 natus. Livius Epit. CXI. Conf. Drumann t. 2. p. 411. Ellendt p. CX.

Cicero Bruto c. 79. *Nec M. Coelium praetereundum arbitror, quaecunque eius in exitu vel fortuna vel mens fuit, qui, quamdiu auctoritati meae paruit, talis tribunus plebis fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam a senatu et a bonorum causa steterit constantius: quam eius actionem multum tamen et splendida et grandis et eadem inprimis faceta et perurbana commendabat oratio. Graves eius conciones aliquot fuerunt, acres accusationes tres eaeque omnes ex reipublicae contentione susceptae; defensiones, etsi illa erant in eo meliora quae dixi, non contemnendae tamen saneque tolerabiles. Hic cum summa voluntate bonorum*

aedilis curulis factus esset, nescio quomodo discessu meo discessit a sese, ceciditque, posteaquam eos imitari coepit, quos ipse perverterat.

accusationes tres] accusavit primum C. Antonium, deinde L. Atratinum. earumque causarum pro republica susceptarum facit mentionem Cicero in or. p. Coelio a. 698 habita, c. 32. *Habet a M. Coelio res publica duas accusationes vel obsides periculi vel pignora voluntatis.* Tertia accusatio in annum 703 (51) cadit.

Velleius 2, 68. *M. Caelius, vir eloquio animoque Curioni simillimus, sed in utroque perfectior, nec minus ingeniose nequam.*

Velleius 2, 36. *Iam pene supervacaneum videri potest, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat, diremptos gradibus aetatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium, saneque Crassum, Catonem, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Coelium, Calvum et proximum Ciceroni Caesarem, eorumque velut alumnos Corvinum ac Pollionem Asinium.*

Quintilianus 10, 1, 115. *Multum ingenii in Coelio et praecipue in accusando multa urbanitas, dignusque vir, cui et mens melior et vita longior contigisset.*

ibid. 10, 2, 25. *Quid ergo? non est satis omnia sic dicere, quomodo M. Tullius dixit? Mihi quidem satis esset, si omnia consequi possem. Quid tamen noceret, vim Caesaris, asperitatem Caelii, diligentiam Pollionis, iudicium Calvi quibusdam in locis assumere?*

ibid. 12, 10, 11. *indoles Coelii oratoris laudatur.*

ibid. 6, 3, 69. *Cicero per allegoriam M. Coelium, melius obiicientem crimina quam defendentem, bonam dextram, malam sinistram habere dicebat.*

Tacitus Dial. de Oratt. 18. *Antiqui oratores sunt horridi et impoliti et rudes et informes, et quos utinam nulla parte imitatus esset Calvus vester aut Coelius aut ipse Cicero.*

ibid. c. 21. *Quid ex Coelianis orationibus? nempe eae placent, sive universae, sive partes earum,*

in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus. Sordes autem illae verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem, nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Coelium ex ea parte laudet, qua antiquus est.

ibid. c. 25. *Apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Calvus autem et Asinius et Caesar et* C o e l i u s *et Brutus suo iure et prioribus et sequentibus anteponuntur; nec refert, quod inter se specie differant, cum genere consentiant. Astrictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar,* a m a r i o r C o e l i u s, *gravior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero; omnes tamen eandem sanctitatem eloquentiae ferunt, ut si omnium libros in manum sumseris, scias, quamvis in diversis ingeniis, esse quandam iudicii ac voluntatis similitudinem et cognationem.*

Plinius Epist. 1, 20. *Gracchorum Catonisque orationes sane plurimae sunt circumcisae et breves, longae autem et magnae Pollionis, Caesaris,* C a e l i i, *in primis M. Tullii, cuius oratio optima fertur esse, quae maxima.*

Columella lib. 1. praefat. 30. *Nec Brutum aut* C o e l i u m *Pollionemve cum Messala et Calvo deterruere ab eloquentiae studio fulmina illa Ciceronis.*

1. Oratio in C. Antonium.

Causa est acta a. 695 (59). C. Antonius, Ciceronis in consulatu collega, proconsul reversus ex Macedonia provincia, et maiestatis et coniurationis Catilinariae reus a M. Coelio adolescente est factus, et condemnatur Cicerone frustra defendente. Conf. Drumann t. 1. p. 538, t. 5. p. 606, Ellendt p. CXV.

Cic. pro Coelio c. 7. *Itaque a maledictis pudicitiae ad coniurationis invidiam oratio est vestra delapsa. — — Nimium multa de re minime dubia loquor. Hoc tamen dico: non modo si Coelius socius coniurationis, sed nisi inimicissimus istius sceleris*

fuisset, numquam coniurationis accusatione adolescentiam suam potissimum commendare voluisset.

ibid. c. 31. *Accusavit C. Antonium collegam meum, cui misero praeclari in rempublicam beneficii memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficii cogitati. Postea nemini unquam concessit aequalium, plus ut in foro, plus ut in negotiis versaretur causisque amicorum, plus ut valeret inter suos gratia.*

ibid. c. 32. *Neque enim potest, qui hominem consularem, quod ab eo rempublicam violatam esse duceret, in iudicium vocarit, ipse esse in republica civis turbulentus; non potest, qui ambitu ne absolutum quidem patitur esse absolutum, ipse inpune umquam esse largitor. Habet a M. Coelio res publica duas accusationes vel obsides periculi vel pignora voluntatis.*

hominem consularem] C. Antonium.
ambitu absolutum] L. Atratinum.

Scholia Bobiensia in orat. p. Flacco p. 229. *C. Antonius collega Ciceronis M. Caelio Rufo accusante non tantum pecuniarum repetundarum crimine, verum etiam ob hanc coniurationem non ita pridem condemnatus fuerat.*

Schol. Bobiensia in Vatin. p. 321. *C. Antonius, qui collega M. Tullii fuerat in consulatu, reus factus est accusantibus Q. Fabio Maximo et M. Coelio Rufo.*

Quintil. 4, 2, 123. *Multum confert adiecta veris credibilis rerum imago, quae velut in praesentem rem audientes perducere videtur, qualis est illa M. Coelii in Antonium descriptio: Namque ipsum offendunt temulento sopore profligatum, totis praecordiis stertentem, ructuosos spiritus geminare, praeclarasque contubernales ab omnibus spondis transversas incubare et reliquas circumiacere passim; quae tamen exanimatae terrore hostium adventu percepto, excitare Antonium conabantur, nomen inclamabant, frustra*

a cervicibus tollebant, blandius alia ad aurem invocabat, vehementius etiam nonnulla feriebat. Quarum cum omnium vocem tactumque noscitaret, proximae cuiusque collum amplexu petebat, neque dormire excitatus neque vigilare ebrius poterat, sed semisomno sopore inter manus centurionum concubinarumque iactabatur." — *Nihil his neque credibilius fingi nec vehementius exprobrari nec manifestius ostendi potest.*

M. Coelii] Ioaooes Saresberiensis in Policratico p. 607 eundem locum affert. „*Nunc sivis audi, quomodo M. Coelius describit Antonium.*" etc.

offendunt] *offendunt Antonium centuriones, hostium ei adventum indicaturi.* Spaldiog. Antonius procoosul pluribus sociorum gentibus bellum intulerat, sed a Dardanis repulsus est. Dio 38, 10. Livius Epit. 103. Eius proelii meminit Coelius.

hostium] *ab hostium adventu percepto* Saresberieosis.

a cervicibus] *cervicibus* Saresb.

alia] *blandius aliae ad aurem, aliae vehementius invocabant, nonnullae etiam feriebant.* Saresb.

noscitaret] *nosceret* Saresb.

Quintil. 9, 3, 58. *Coelius in Antonium: Stupere gaudio graecus.*

2. Orationes in L. Sempronium Atratinum patrem de ambitu.

Coelius bis accusavit Atratinum ambitus, primum a. 697 (57): sed a Cicerone defensus absolvitur; deinde a. 698 (56). Cic. p. Coel. 1. 3. 7. 23. 31. 32. Drumann t. 2. p. 412. Ellendt scribit p. CXVI.: „Altera accusatio est C. Sempronii Atratini de ambitu, eodem fere tempore acta vel anno ante quam ab illius filio postularetur. Sic saltem a Pighio creditum est. Sed cum filii Atratini aetatem considero, magis magisque in id inclino, ut cursum vitae civilis et publicae ab hac actione orsum Coelium credam, nondum quaestorium." — Ea opinio refellitur loco orationis Ciceronianae pro Coelio c. 31. quo diserte dicit, Antonium primum, deinde Atratinum a Coelio accusatum.

Cic. p. Coelio 1. *Coelius adolescens illustri ingenio,*

industria, gratia accusatur ab eius filio, quem ipse in iudicium et vocat et vocavit.

vocat et vocavit] ex hoc loco elucet, eodem tempore Atratinum patrem a Coelio, ipsumque Coelium ab Atratino filio accusatum.

ibid. 7. *Quod haud scio an de ambitu et de criminibus istis sodalium ac sequestrium similiter respondendum putem. Nunquam enim tam Coelius amens fuisset, ut, si se isto infinito ambitu commaculasset, ambitus alterum accusaret, neque eius facti in altero suspicionem quaereret, cuius ipse sibi perpetuam licentiam optaret, nec si sibi semel periculum ambitus subeundum putaret, ipse alterum iterum ambitus crimine arcesseret.*

ibid. c. 31. *Vellem alio potius eum cupiditas gloriae detulisset! sed abiit huius tempus querelae. Accusavit C. Antonium collegam meum. — — Postea nemini umquam concessit aequalium, plus ut in foro, plus ut in negotiis versaretur causisque amicorum, plus ut valeret inter suos gratia. — Atque nomen amici mei de ambitu detulit, quem absolutum insequitur, revocat, nemini nostrum obtemperat, est violentior quam vellem.*

3. Oratio pro se de vi contra Atratinum filium.

Acta est causa a. 698 (56). Vid. Drumann t. 2, p. 377. 413. Ellendt aliique hanc causam anno 700 (54) assignant. L. Sempronius Atratinus filius, qui infra inter oratores nominabitur, M. Coelium de vi reum fecit, quod a Clodia aurum sumsisset, eo fine ut Dio, legatus Alexandrinorum, Romae necaretur, et quod eidem Clodiae venenum paravisset. Eum defenderunt M. Crassus (v. p. 384.) et Cicero, cuius oratio extat.

Cicero p. Coelio c. 19. *Audistis cum pro se diceret, audistis antea, cum accusaret: genus orationis, facultatem, copiam sententiarum atque verborum perspexistis. Atque in eo non solum ingenium elucere eius videbatis, sed inerat ratio et bonis artibus instituta et cura et vigiliis elaborata.*

cum pro se diceret] in hac causa Coelius primum dixit, deinde Crassus, peroravit Cicero.

Sueton. De Clar. Rhett. 2. *Hunc Plotium M. Caelius in oratione, quam pro se de vi habuit, significat dictasse Atratino, accusatori suo, actionem, subtractoque nomine hordearium eum rhetorem appellat, deridens ut inflatum ac levem et sordidum.*

Plotium] De L. Plotio Gallo rhetore v. supra pag. 380. Clodius irrisit Atratinum accusatorem, quod non ipse accusationem scripsisset, sed opera L. Plotii rhetoris usus esset.

hordearium] Cramer ad Schol. Iuvenalis Sat. XI, 193. p. 454 scribit: „Gladiatoribus victoribus in ludis circensibus hordeum praemium dabatur, unde ipsi hordearii vocantur. Callide ergo M. Coelius rhetorem hordearium appellat, comparatione facta cum gladiatoribus, qui in missu hordeario hordeum pro praemio victoriae tulerunt, quos et ideo inflatos fuisse, cetera, si genus spectas vitae et conditionem, leves ac sordidos nemo infitiabitur. Conf. Ianus Dousa ad Horatium p. 679." — Westermann Gesch. d. Griech. Beredsamk. p. 159 comparat Δείναρχος ὁ κρίθινος Δημοσθένης.

Quintil. XI, 1, 51. *Quod mire M. Coelius in defensione causae, qua reus de vi fuit, comprehendisse videtur mihi: Ne cui vestrum atque etiam omnium, qui ad rem agendam adsunt, meus aut vultus molestior, aut vox immoderatior aliqua aut denique, quod minimum est, iactantior gestus fuisse videatur.*

Quintil. 8, 6, 53. *Haec allegoria, quae est obscurior, aenigma dicitur, vitium meo quidem iudicio, quo tamen et poetae utuntur et oratores nonnumquam, ut Coelius quadrantariam Clytemnestram et in triclinio coam, in cubiculo nolam.*

quadrantariam] Coelius Clodiam, P. Clodii sororem, corruptissimam mulierem quadrantariam appellat tamquam meretricem nequissimam, quae quadrante corpora quaestui faciat. Conf. Drumann t. 2. p. 381, qui ceteras quoque explicationes huius vocabuli affert.

Clytemnestram] Coelius Clodiam Clytaemnestram vocat, ut quae Metellum maritum suum velut altera Clytemnestra trucidaverit. Cic. p. Coelio 24. 29.

coam-nolam] Eichstädt in programmate a. 1824 putat, Clodiam dictam esse et Coam et Nolam quasi ex Co insula et Nola urbe Cam-

panae oriundam. Sed verum esse ait, quod Spaldiug monuit, miram esse et infrequentem *quadrantariae* iniuriam ut eadem sit *nolu*. Adiicere poterat, feminam procacem lascivamque in tricliuio et ad πρᾶγμα tantum allicientem ne dici quidem posse *Coam*. itaque trausponenda censet verba *et in triclinio Nolam* (quae nolle se simulat) *in cubiculo Coam* (quae lubenter coit.) Aliter illustrat hoc aenigma Fr. C. Forbergius, peritissimus harum rerum arbiter atque existimator, iu Autouii Pauormitae Hermaphrodito p. 283. „Clodia coa dicitur, quod voluit in triclinio coire, nola, quod noluit iu cubiculo. Nam quod miratur Spaldingius infrequentem quadrautariae iniuriam, ut eadem sit nola, vereor, ne nodus quaeratur in scirpo. Quidni dicamus, Clodiam Messalinae instar facilitate adulterorum in fastidium versam ad incognitas libidines profluxisse, ita ut nollet in tenebris sumi, vellet autem non modo admissa luce, sed admissis etiam testibus viventibus, spectatum nisi iacentem, certe euntem aut redeuntem?" —

Huc vulgo trahitur locus Festi.

Festus p. 182. Oreae freni. *Cato Originum l. III. equos respondit*: *oreas mihi inde*, *tibi capeflagellum. Coelius pro se apud populum*: *equusque mihi sub feminibus occisus erat*, *oreas detraho inspectante L. Stertinio.*

Coelius pro se] Spaldiug ad Quintil. XI, 1, 51. orationi Coelii tribuit *pro se de vi*, de qua nunc loquimur. Ellendt vero p. CXIV. M. Catonis et Coelii nomen a librariis permutatum arbitratur, item Westermannus p. 209 Catoni tribuit. Sed, si ita res se haberet, Festus potius scripsisset: *Cato Originum l. III etc. Idem pro se apud populum.* Ideo assentiar Lioui in edit. Fest. C. O. Mülleri p. 441; qui pro Coelio *Laelium* corrigendum putat. Vid. supra pag. 174. Paulo post p. 469. alterum exemplum *Coelii* et *Laelii* commutati afferemus.

4. Oratio pro M. Saufeio.

Acta est causa a. 702 (52).

Asconius in Milonianam p. 54. *Post Milonem eadem lege Pompeia primus est accusatus M. Saufeius M. f., qui dux fuerat in expugnanda taberna Bovillis et Clodio occidendo. Accusaverunt eum L. Cassius, L. Fulcinius, C. Valerius. Defenderunt M. Cicero, M. Coelius obtinueruntque, ut una sententia absolveretur.*

5. Oratio adversus Q. Pompeium Rufum.

Acta est causa a. 703 (51). Cum Q. Pompeius Rufus tribunus pl. esset a. 702 (52) una cum M. Coelio, atque causa ageretur Milonis: Coelius adiuvit Milonem, Q. Pompeius autem ei adversatus est, et turbas excitavit. Quare Coelius postea eum de vi reum fecit, et condemnavit. Valerius Max. 4, 2, 7. Drumann t. 2. p. 414. Ellendt p. CXVII. Haec est tertia Coelii accusatio, cuius in Bruto c. 79. mentionem facit Cicero. Manutius autem putabat, tertiam accusationem esse in *Decimum Laelium*, contra quem eum in causa quadam dixisse, ex Quintiliano 6, 3, 39 constat. Sed incertum est, utrum Coelius Laelium accusaverit, an potius (quod magis probabile videtur) in causa quadam contra eum dixerit, cum adversarii esset patronus. Pompeium Rufum autem ab eo accusatum constat: testis est Valerius Maximus l. 4, 2, 7. *Coelii Rufi ut vita inquinata, ita misericordia, quam Q. Pompeio praestitit, probanda. cui a se publica quaestione prostrato, cum mater Cornelia fidei commissa praedia non redderet, atque iste auxilium suum litteris implorasset, pertinacissime absenti adfuit. Recitavit et eius epistolam iudicio ultimae necessitatis indicem, qua impiam Corneliae avaritiam subvertit. factum propter eximiam humanitatem, ne sub Coelio quidem auctore repudiandum.*

publica quaestione] i. e. Pompeius Rufus a Coelio iudicio publico accusatus et condemnatus est.

6. Concio de aquis.

Eam Coelius aedilis curulis a. 704 (50) habuit.

Frontinus De Aquaeductibus c. 76. p. 127 ed. Adler. *Cuius rei causa est fraus aquariorum, quos aquas ex ductibus publicis in privatorum usum derivare deprehendimus. Sed et plerique possessorum, e quorum agris aqua circumducitur, inde formas rivorum perforant, unde fit, ut ductus publici hominibus*

privatis vel ad hortorum usum itinera suspendant. Ac de vitiis eius modi nec plura nec meliora dici possunt, quam a Coelio Rufo dicta sunt in ea concione, cui titulus est De aquis.

Coelius ad Ciceronem l. 8, 6, 4. *Sed dici non potest, quomodo hic omnia iaceant. Nisi ego cum tabernariis et aquariis pugnarem, veternus civitatem occupasset.*

7. Oratio adversus Calpurnium Bestiam veneficii.

Coelius Calpurnium Bestiam veneficii (nescio quo anno) accusavit, ut qui uxores suas aconito necasset. Haec causa diversa ab altera, qua L. Calpurnius Bestia a. 698 (56) ambitus postulatus est. Tacit. Dial. de Orat. 39. Drumann T. 2. p. 97.

Plinius Hist. 27, 2. *Constat omnium venenorum ocissimum esse aconitum, et tactis quoque genitalibus feminini sexus animalium eodem die inferre mortem. Hoc fuit venenum, quo interemtas dormientes a Calpurnio Bestia uxores M. Caecilius accusator obiecit. Hinc illa atrox peroratio eius in digitum.*

M. Caecilius] *M. Coelius* correxit Ruhnkenius ad Velleium 2, 68. Garatonius ad Milonianam p. 207 ed Orell. Coelio enim cognomen accusatoris maxime convenit.

Incerta.

Quintil. 1, 6, 29. *M. Coelius se esse hominem frugi vult probare, non quia abstinens sit (nam id ne mentiri quidem poterat), sed quia utilis multis, id est, fructuosus, unde sit ducta frugalitas.*

M. Coelius] *in defensione causae, qua reus de vi fuit.* Spalding ad Quintil. XI, 1, 51.

utilis multis] multorum enim patronus esse solebat.

Quintil. 1, 6, 42. *Neque tuburchinabundum et lurchinabundum iam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit auctor, nec hos lodices, quamquam id Pollioni placet, nec gladiola, atqui Messala dixit, nec parricidatum, quod in Coelio vix*

tolerabile videtur, nec collos mihi Calvus persuaserit, quae nec ipsi iam dicerent.

Coelio] M. Coelium Rufum oratorem, non Coelium Antipatrum historicum intelligendum, ex eo probabile fit, quod coniungitur cum aequalibus suis oratoribus, Pollione, Messala, Calvo, ut contra Spaldingium recte animadvertit Ellendt p. CXIII.

Quintil. 1, 5, 61. *Ne in a quidem atque s litteras exire temere masculina graeca nomina recto casu patiebantur, ideoque et apud Coelium legimus Pelia cincinnatus et apud Messalam Bene fecit Euthia et apud Ciceronem Hermagora, ne miremur, quod ab antiquorum plerisque Aenea et Anchisa sit dictus.*

Coelium] Coelius orator intelligitur, ut ex ceteris, quorum fit mentio, probabile fit. M. Coelius Rufus in oratione, opinor. *pro se de vi* nescio quem *Peliam cincinnatum* salse vocavit, cum ipse ab Atratino *Iason pulchellus* nominatus esset: qua de re infra in *Atratino oratore* dicemus.

Quintil. 6, 3, 39 et 41. *Narrare quae salsa sint, inprimis est subtile et oratorium, ut Cicero pro Cluentio narrat de Cepasio atque Fabricio, aut M. Caelius de illa D. Laelii collegaeque eius in provinciam festinantium contentione. Sed in his omnibus cum elegans et venusta exigitur tota expositio, tum id festivissimum est, quod orator adiicit. Coelius cum omnia venustissime finxit, tum illud ultimum: Hic subsecutus quomodo transierit, utrum rate an piscatorio navigio, nemo sciebat. Siculi quidem, ut sunt lascivi et dicaces, aiebant in delphino sedisse et sic tamquam Ariona transvectum.*

Coelius] in causa alioqui ignota. Manutius, ut supra diximus p. 466. Laelium a Coelio accusatum arbitratus est.

D. Laelii] Pighius coniicit, Laelium quaestorem fuisse in Sicilia a. 700 (54). Res prorsus incerta.

Plinius Hist. Nat. 35, 12, 46. *Samia testa matris deum sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputare, nec aliter citra perniciem, M. Coelio cre-*

damus, qui linguam sic amputandam obiecit gravi probro.

Rufinianus De figuris p. 211. *Apophonema, sententia responsiva ut apud Caelium Fac velis: perficies. Apud Tullium: Litterarum radices amaras, fructus dulces.*

apud Caelium] *Caecilium* corrigit Ruhnkenius poetamque comicum intelligit.

Priscianus t. 1. p. 221. *Coelius: Nullae nationi tot, tantas, tam continuas victorias, tam brevi spatio datas arbitror quam vobis.*

Coelius] Krehl Coelio Antipatro historico id fragmentum tribuit, nec aliter Ulrici (Antike Historiographie p. 115), qui eum orationes suas forenses historiis immiscuisse existimat. Sed Ruhnkenius ad Velleium 2, 68. Coelio oratori vindicat, eique assentitur Krause *Vitae et Fragmenta Historicorum* p. 194. atque Ellendt p. CXVII. *concioni* eius *de aquis ad populum* inserendum scribit. Sed cum nesciam, quomodo Coelius in oratione de fraude aquariorum illam sententiam proferre posset, nec omnino excogitare possim, quando in orationibus suis eam dixerit, *Laelio* potius ea verba tribuenda puto, qui multas de republica ad populum orationes habuit, et laudationem Africani minoris scripsit (v. p. 174.), in cuius potissimum aetate ea sententia, quae a Prisciano servata est, quam maxime in animo atque ore hominum versata est. *Coelium* et *Laelium* non raro in codicibus commutari, supra diximus p. 465.

vobis] *nobis* coniicit Krehl.

Priscian. t. 1. p. 370. *Coelius: Ex scriptis eorum qui veri arbitrantur,* passive ὑπολαμβάνονται.

Coelius] Dubito, utri potius, oratori an historico, sit tribuendum. Editores Fragmentorum Historicorum cuncti Coelio Antipatro vindicant: quibus assentiendum puto.

Priscian. t. 1. p. 566. *M. Coelius de vestitu et vehiculis: Nam periniurium siet, cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur; ubi datus sit, tum uti eos mutem atque alii modi sim.*

M. Coelius] idem locus bis a Prisciano p. 243 et 276 affertur, sed utroque loco recte Catoni tribuitur. Catonis enim est at ex oratione censoria desumtus, ut supra monui pag. 76.

Diomedes p. 41. ed. 1526. *Hietare et hiatare veteres dixerunt . . . . Coelius: Sequere tu me, qui mihi oscitans hietansque astas.*

Coelius] totus hic locus in edit. Putschii melius legitur, nec Coelio oratori, sed Caecilio comico tribuitur. Apud Putschium enim p. 336 sic legimus: *Hietare et hiatare veteres dixerunt . . . Caecilius Sequere me. praei hercle tu, qui mihi oscitans hietansque restas.* Haec verba Spengelius, vir amicissimus, fragmentis Caecilii p. 58 convenienter apteque sic inseruit:

A . . . sequere me. B. Praei hercle tu qui mi oscitans hietansque restas.

Barthii adversaria 38, 14. p. 1748. Ex lexico vetere Terentiano: *Adiuvant sermonem ex abundanti addita. Coelius: haec caterva plena gladiatorum cum suum sibi alium socium socius.*

Caelius] Barthius p. 1750 adnotat: „Coelii verba ita legenda videntur: *Haec paterna poena gladiatorum, consumit suum sibi alium socium socius.* In membranis scriptum fuit primo *Caecilius*, sed duae litterae erasae et expunctae sunt. Ego nihilominus *Caecilio* magis convenire quam *Coelio* arbitror." — Assentior, sed verba Caecilii corruptissima sunt, et doleo, Spengelium hunc locum praetermisisse.

Hauptii Inedita latina p. 99. *Salientes aquarum generis masculini, ut Caelius perpetuum salientem.*

Caelius] in concione de aquis *ea* vocabulo usus esse videtur.

XCVIII. *M. Caecilius.*

Intelligendus potius *M. Coelius*, ut in *Coelii oratione adversus Calpurnium Bestiam* p. 467. diximus.

XCIX. *M. Favonius.*

In edit. priore orationem pro lege Licinia, quae a Gellio *Favorino* tribuitur, M. Favonio vindicandam arbitrabamur, sed postea huius me opinionis poenituit, ut in *Favorino oratore* diximus pag. 207.

C. *C. Licinius Macer Calvus.*

Filius C. Licinii Macri historici, de quo supra dictum est p. 385. Natus est a. 672 (82). Plinius Hist. 7, 49.

C. Mario Cn. Carbone III. coss. a. d. V. Kal. Iunias M. Caelius Rufus et C. Licinius Calvus eadem die geniti sunt, oratores quidem ambo, sed tamen dispari eventu. De magistratibus eius nihil constat: nam mature mortuus est, id est, anno 707 (47), ut Ellendt p. CXIX. et Clinton in Fastis ad annum 708 [46] scribunt, vel a. 706 (48), ut Weichert existimat Poet. lat. Rel. pag. 108.

Cicero scribit ad Trebonium a. 707 (47) l. 15, 21. *Illas Calvo literas misi, non plus quam has, quas nunc legis, existimans exituras. Aliter enim scribimus, quod eos solos, quibus mittimus, aliter, quod multos lecturos putamus. Deinde ingenium eius melioribus extuli laudibus, quam tu id vere potuisse fieri putas. Primum (quod ita iudicabam) acute movebatur, genus quoddam sequebatur, in quo iudicio lapsus, quo valebat, tamen assequebatur, quod probaret. Multae erant et reconditae litterae, vis non erat. Ad eam igitur adhortabar. In excitando autem et acuendo plurimum valet, si laudes eum quem cohortere. Habes de Calvo iudicium et consilium meum; consilium, quod hortandi causa laudavi; iudicium, quod de ingenio eius valde existimavi bene.*

Cicero Bruto c. 81. *Facienda mentio est duorum adolescentium, qui si diutius vixissent, magnam essent eloquentiae laudem consecuti. — C. Curionem te et C. Licinium Calvum arbitror dicere. — Calvus orator fuit tum litteris eruditior quam Curio, tum etiam accuratius quoddam dicendi et exquisitius afferebat genus: quod quamquam scienter eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in se atque ipse sese observans, metuensque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat. Itaque eius oratio, nimia religione attenuata, doctis et attente audientibus erat illustris, a multitudine autem et a foro, cui nata eloquentia est, devorabatur. Atticum se Calvus dici oratorem volebat; inde erat ista exilitas, quam ille de industria consequebatur.*

Velleius 2, 36. *Quis enim ignorat, diremtos gradibus aetatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium, saneque Crassum, Catonem, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Coelium, Calvum et proximum Ciceroni Caesarem, eorumque veluti alumnos Corvinum ac Pollionem Asinium.*

Columella de re rustica lib. 1. Praefat. §. 30. *Nec Brutum aut Coelium Pollionemve cum Messala et Calvo deterruere ab eloquentiae studio fulmina illa Ciceronis.*

Plinius Epistol. 1, 2. *Tentavi imitari Demosthenem semper tuum, Calvum, nuper meum figuris dumtaxat orationis. Nam vim tantorum virorum pauci, quos aequus amavit, assequi possunt. Nec materia ipsa huic aemulationi repugnavit: non tamen omnino Marci nostri ληκύθους fugimus.*

Calvum] vide de hoc loco Spalding in Quintil. 10, 1, 115. Osann ed Apuleium p. 18.

Seneca Controversiarum lib. 3, 19. p. 256. *Calvus diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiae habuit, violentus accusator et concitatus fuit. Solebat praeterea excedere subsellia sua, et impetu elatus usque in adversariorum partes transcurrere. Et carmina quoque eius, quamvis iocosa sint, plena sunt ingentis animi. Compositio quoque eius in actionibus ad exemplum Demosthenis riget, nihil in illa placidum, nihil lene est, omnia et citata et fluctuantia.*

diu cum Cicerone] Calvus Ciceronis aemulus, inde ab anno fere 696 usque ad a. 706. multi enim Calvum Ciceroni praeferre solebant, ut ex Quintiliano elucet.

Quintilian. 10, 1, 115. *Inveni qui Calvum praeferrent omnibus, inveni qui Ciceroni crederent, eum nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse, sed est et sancta et gravis oratio et custodita et frequenter vehemens quoque. Imitator autem est Atticorum, fecitque illi properata mors iniuriam, si quid adiecturus sibi, non si quid detracturus fuit.*

ibid. 10, 2, 25. *Quid ergo? non est satis omnia sic dicere, quomodo M. Tullius dixit? Mihi quidem satis esset, si omnia consequi possem. Quid tamen noceret, vim Caesaris, asperitatem Caelii, diligentiam Pollionis, iudicium Calvi quibusdam in locis assumere.*

ibid. 12, 10, 11. *sanctitas Calvi oratoris laudatur.*

Tacitus De Oratoribus c. 18. *Servius Galba, C. Carbo, quosque alios merito antiquos vocaverimus, sunt horridi et impoliti et rudes et informes, et quos utinam nulla parte imitatus esset Calvus vester aut Coelius aut ipse Cicero.*

ibid. c. 18. *Legistis utique et Calvi et Bruti ad Ciceronem missas epistolas, ex quibus facile est deprehendere, Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et attritum, rursus Ciceronem a Calvo male audisse tanquam solutum et enervem.*

ibid. c. 25. *Cicero ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Calvus autem et Asinius et Caesar et Coelius et Brutus suo iure et prioribus et sequentibus anteponuntur, nec refert quod inter se specie differant, cum genere consentiant. adstrictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Coelius, gravior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero: omnes tamen eandem sanctitatem eloquentiae ferunt, ut si omnium pariter libros in manum sumseris, scias, quamvis in diversis ingeniis, esse quandam iudicii ac voluntatis similitudinem et cognationem.*

Appuleius in Apologia t. 2. p. 589 ed. Bosscha. *Quamcumque orationem struxerit Avitus, ita illa erit undique sui perfecte absoluta, ut in illa nec Cato gravitatem requirat nec Laelius lenitatem nec Gracchus impetum nec Caesar calorem nec Hortensius distributionem nec Calvus argutias nec parsimoniam Salustius nec opulentiam Cicero.*

Fronto p. 171. *Contionatur Cato infeste, Grac-*

chus turbulente, Tullius copiose: iam in iudiciis saevit idem Cato, triumphat Cicero; tumultuatur Gracchus, Calvus rixatur.

Calvum unam et viginti orationes reliquisse, certum est, quarum vix decem fere habemus notitiam.

1. Orationes in Vatinium.

Causa celeberrima Calvi, quam adolescens egerat, ut ex Quintiliano et Tacito patet. Quintil. 12, 6, 1. *Agendi initium sine dubio secundum vires cuiusque sumendum est. Neque ego annos definiam, cum Demosthenem puerum admodum actiones pupillares habuisse manifestum sit, Calvus, Caesar, Pollio multum ante quaestoriam omnes aetatem gravissima iudicia susceperint, praetextatos egisse quosdam sit traditum, Caesar Augustus XII natus annos aviam pro rostris laudaverit.* Tacit. De oratoribus c. 34. *Nonodecimo aetatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno et vicesimo Caesar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multum aetate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus:* unde apparet, Calvum non multo maiorem natu fuisse quam viginti duos annos, cum Vatinium in ius vocaverat. Sed non semel tantum Vatinium accusavit sed ter: primum a. 696 (58), deinde a. 698 (56), postremo a. 700 (54). Atque diligentius sane sunt eae causae distinguendae, quam adhuc factum est. Ellendt putat, Vatinium a Calvo bis accusatum: prioremque causam in annum 696 (58), cum Calvus XXIV annos erat natus, alteram in annum 700 (54) cadere. Weichert autem p. 109 una tantum actione a Calvo Vatinium reum factum dicit anno 699 (55). Orellius item in Onomastico s. n. *Licinius Calvus* scribit: a. 699 pluribus actionibus P. Vatinium ambitus reum fecit. Ego autem existimo, Ellendtium vere iudicasse, cum diceret, a Calvo a. 696 (58) primum Vatinium de vi accusatum. Id confirmant Scholia Bo-

biensia in Orat. in Vatinium p. 323: „*Haec facta sunt, cum reus esset de vi P. Vatinius accusante C. Licinio. Nam cum praetor C. Memmius* (a. 696) *quaesitorem sortito facere vellet, et Vatinius postularet, ut ipse accusator suus mutuas reiectiones de quaesitoribus faceret, conspirati quidam pro ipso Vatinio immissi tribunal conscenderunt, et sortes, quae intra urnam continebantur, dispergere adgressi sunt, atque ita effectum est gratiose per P. Clodium, ut omnia secundum voluntatem suam Vatinius obtineret.*" — Conf. Cic. Or. in Vatinium c. 14. atque Pighius t. 3. p. 360.

Nunc ad alteram accedamus causam, quae in a. 698 (56) cadit: tum enim ab eodem Calvo Vatinius iterum in iudicium vocatus est, eodem tempore, quo Cicero in Vatinium dixit. Cicero in Vatinium 4, 14. *De te autem homines quid sentiant, in honore experti sumus, in salute exspectamus.* Schol. Bobiensia ad hunc locum pag. 316. (Cicero dicit) *huic Vatinio et honorem quaesturae post omnes novissimo loco datum et adhuc damnationis eius nutare fortunam: nam reus postulatus erat accusatore C. Licinio Calvo.* Cic. ad Q. fratrem I. 2, 4. in epistola a. 698 scripta: *Vatinium arbitratu nostro concidimus, diis hominibusque plaudentibus. Quin etiam Paullus noster cum testis productus esset in Sestium, confirmavit se nomen Vatinii delaturum, si Macer Licinius cunctaretur, et Macer a Sestii subselliis surrexit ac se illi non defuturum affirmavit.*

Macer Licinius] non alius est nisi C. Licinius Macer Calvus, Macri filius. — Pater enim (quem alii h. l. intelligunt) iam a. 688 (66) extinctus est, ut supra retulimus p. 385. Errat igitur Klotz, qui in T. III. Orationum Ciceronis p. 1023 scribit, Vatinium accusatum esse a C. Licinio Macro patre et a Calvo filio. In *Onomastico* quoque *Tulliano* p. 354. error videtur commissus, cum ille Licinius Macer, qui in hac epistola Cic. memoratur, alius esse dicatur atque Licinius Macer Calvus. Veritatem perspexit Drumann t. 4. p. 195.

Tertia autem causa in Vatinium Calvi et celeberrima quidem erat ea, quam egit a. 700 (54) L. Domitio Ahenobarbo Appio Claudio coss. (Ascon. in Scaurianam

p. 18.). Vatinius enim malis artibus Caesaris adiutus praeturam a. 699 (55) obtinuit, M. Cato autem repulsam tulit: qua re Calvus ira commotus, Vatinium anno 700 (54) praetura iam gesta ambitus accusavit, Cicerone defendente.

Conf. Val. Max. 4, 2, 4. Plut. Cato 42. Pomp. c. 52, Garatonius in Plancianam p. 251 ed. Orelli. In hac accusatione Calvus nec Pompeio nec Caesari, opinor, pepercit, quos etiam in carminibus suis lacessere solebat. Sueton. Caes. 49 et 73.

Extant fragmenta orationum, quas in tertia causa, opinor, in Vatinium habuit.

Tac. Dial. de Orator. c. 21. *Ipse mihi Calvus, cum unum et viginti, ut puto, libros reliquerit, vix in una et altera oratiuncula satisfacit nec dissentire ceteros ab hoc meo iudicio video: quotus enim quisque Calvi in Asitium aut in Drusum legit? at hercule in hominum studiosorum manibus versantur accusationes, quae in Vatinium inscribuntur, ac praecipue secunda ex iis oratio. est enim verbis ornata et sententiis, auribus iudicum accommodata, ut scias ipsum quoque Calvum intellexisse, quid melius esset, nec voluntatem ei, quo sublimius et cultius diceret, sed ingenium ac vires defuisse.*

Seneca controvers. 3, 19. p. 256. *Calvus usque eo violentus accusator et concitatus fuit, ut in media actione eius surgeret Vatinius reus, et exclamaret: Rogo vos, iudices, num, si iste disertus est, ideo me damnari oportet?*

Catullus Carm. 54.

Risi nescio quem modo e corona,
qui, cum mirifice Vatiniana
meus crimina Calvus explicasset,
admirans ait haec manusque tollens,
Di magni, salaputium disertum!

salaputium] Seneca Controv. 3, 19. *Erat Calvus parvulus statura, propter quod etiam Catullus in hendecasyllabis vocat* illum *salaputium disertum.*

Seneca Epistol. 94. *Illa in Vatinium Calvi repetenda sententia est: Factum ambitum scitis, et hoc vos scire omnes sciunt.*

Quintil. 6, 1, 13. *Egregie in Vatinium Calvus, Factum, inquit, ambitum scitis omnes, et hoc vos scire omnes sciunt.*

ambitum] ex tertia oratione petitum videtur.

Quintil. 9, 2, 25. *Calvus Vatinio: Perfrica frontem et dic te digniorem, qui praetor fieres, quam Catonem.*

quam Catonem] ex tertia oratione sumtum. Idem fragmentum apud Isidorum extat Origin. l. 2, 21, 30.

Quintil. 6, 3, 60. *Sunt quaedam verisimilia, unde Vatinius dixit hoc dictum, cum reus agente in eum Calvo frontem candido sudario tergeret, idque ipsum accusator in invidiam vocaret, quamvis reus sum, inquit, et panem candidum edo.*

inquit, et] delendum *et.*

Aquila Romanus p. 183. ed. Ruhnk. *Egregie et, ut mihi videtur, feliciter Licinius Calvus in Vatinium: Non ergo pecuniarum magis repetundarum quam maiestatis, neque maiestatis magis quam Plautiae legis, neque Plautiae legis magis quam ambitus, neque ambitus magis quam omnium legum omnia iudicia perierunt.*

Calvus] idem fragmentum extat apud Quintilianum l. 9, 3, 56 Gradationis exemplum est *et Calvi: non ergo magis pecuniarum repetundarum quam maiestatis, neque maiestatis magis quam Plautiae legis, neque Plautiae legis magis quam ambitus, neque ambitus magis quam omnium legum iudicia perierunt.* atque apud Diomedem l. 2. p. 443: Item *Gallus* (leg. *Calvus*): *non ergo magis pecuniarum repetundarum quam maiestatis, neque maiestatis magis quam Plautiae legis, neque Plautiae legis quam ambitus, neque ambitus magis quam omnium legum.*

Iulius Severianus Syntom. Rhetor. p. 342. *Livorem simul movemus cum odio, ut Calvus in Vatinium cum dicit: Hominem nostrae civitatis audacissimum, de factione divitem, sordidum, maledicum accusabo.*

accusabo] sic Ruhuken ad Rutilium p. 184. pro vulgato *accusato*.

Charisius p. 133. vehementissime pro fortissime et vere. *Calvus in Vatinium: vehementissime probare.* Conf. infra *oratio in Fuscinium ambitus.*

2. Oratio pro P. Sestio.

Causa acta est a. 698 (56). Argumentum causae notum, cum Ciceronis pro eodem Sestio extet oratio.

Scholia Bobiensia in orat. pro Sestio p. 292. *Hanc eandem causam plurimi defenderunt, in quis fuit Q. Hortensius, M. Crassus, C. Licinius Calvus partibus inter se distributis, quas in agendo tuerentur. Tullius peroravit.*

C. Licinius] praenomen correxi. vulgo legitur *L.* Conf. Drumann t. 5. p. 665.

3. Oratio pro C. Porcio Catone contra Asinium Pollionem.

Acta est causa a. 700 (54). C. Cato, homo turbulentus et audax, postquam in tribunatu a. 698 (56) multas turbas excitasset, in iudicium vocatur ab Asinio Pollione adolescente a. 700 (54). Eum defendit Calvus et M. Scaurus (Asconius in Scaurianam p. 19), et absolvitur auctore Pompeio. Cic. ad Atticum IV. 15, 16, 17. Conf. Thorbecke De Asinio Pollione p. 65. Weichert p. 109. 112. Drumann t. 2. p. 3. t. 4. p. 516. 527. Ellendt autem opinatur, M. Catonem Uticensem, non C. Catonem ab Asinio Pollione accusatum, a Calvo defensum. Scribit enim p. CXXIII: „De causa Catonis non constat, nisi intelligere velis de repetundarum actione, quam Caesar Clodio subornato post Cypriacam navigationem minatus est. Verum nec Pollio tam turpibus sese rebus immiscuit, neque ea tum aetate fuisse crediderim, nec denique eam causam in iudicium venisse.“ — Errare virum doctissimum, ex supra dictis intelligi potest.

Seneca Controv. l. 3, 19. p. 256. *Calvus cum videret, a clientibus Catonis rei sui Pollionem Asinium circumventum in foro Caesaris, imponi se su-*

pra cippum iussit: erat enim parvulus statura, et iuravit, si quam iniuriam Cato Pollioni Asinio accusatori suo fecisset, se in eum iuraturum calumniam, nec umquam postea Pollio a Catone advocatisque eius aut re aut verbo violatus est.

in foro Caesaris] sic correxit Schulting p. 238. *in forece* vulgo. Aliarum coniecturarum facit mentionem Weichert p. 119. sq.

4. Oratio pro Messio.

Ellendt p. CXXIII. scribit: „Messii causa non est notior. Sed credibile est, esse eandem, quam etiam Cicero defendit ad praetorem P. Isauricum a. 700 (Att. IV. 15). Sed quoniam praetoris nomini nihil additum est a Cicerone, nescimus, utrum ambitus an peculatus an repetundarum reus fuerit." Weichert p. 112 scribit, C. Messium tribunum pl. fuisse a. 697 (57), eoque anno de restituendo Cicerone cum collegis septem rogationem promulgasse, postea in Gallia apud Caesarem legati locum obtinuisse. Cic. ad Att. 4, 15, 7. Utrum autem in ius vocatus fuerit, quod legati munere functus nefarie egisset, an quod antea in tribunatu vi aperta Pompeium adiuvisset, incertum est. Conf. Drumann t. 2. p. 307. t. 3. p. 324.

Seneca Controv. 3, 19. p. 258. *Calvus in epilogo, quem pro Messio tunc tertio causam dicente habuit, non tantum leniter componit, sed etiam dicit: Credite mihi, non est turpe misereri, et omnia in illo epilogo fere non tantum emollitae compositionis sunt sed infractae.*

tunc tertio] Ellendt p. CXXIII. explicat, Messium tribus orationibus a Calvo defensum, alii melius, Messium ter accusatum et in tertia accusatione ab Calvo defensum.
sed etiam dicit] sic Schulting p. 239. *sed cum dicit vulgo.*

5. Oratio in Asitium.

Causa incerta.

Tacit. Dial. de orator. 21. *Ipse mihi Calvus vix in una et altera oratiuncula satisfacit. nec dissentire*

ceteros ab hoc meo iudicio video: quotus enim quisque Calvi in Asitium aut in Drusum legit?

in Asitium] in *Asinium* Lipsius, nec aliter Schulting *Calvi ista in Asinium* i. e. in Asinium Pollionem, quod si verum esset, eadem intelligenda foret oratio, quam supra habuimus p. 478., *pro C. Catone contra Asinium Pollionem.* Thorbecke de Asinio Pollione p. 79. *in Asidium*, i. e. Sabinum Asidium rhetorem (Seneca Suasor. 2. p. 18.) Weichert quoque p. 112. nomen corruptum putat et *in Messium* legendum opinatur. (id fieri nequit, cum Seneca tradiderit, Calvum *pro Messio*, non *in Messium* dixisse.) Muretus recepit ex Cic. or. p. Coelio c. 10. *in Ascitium* eique assensus est Orellius in Addendis ad Dialog. de Oratoribus p. LXVII. sed idem vir doctus postea testatus est, in oratione pro Coelio non solum *Ascitium* sed etiam *Asitium* vel *Asicium* in mss. legi; itaque satius esse, in vulgata acquiescere lectione. Schurzfleisch et Henmann coniiciebant in *Fuscinium*, de quo mox dicemus.

6. Oratio in Drusum.

Q. Lucretius Drusum reum fecit a. 700 (54), ut Cicero scribit in Epist. ad Attic. l. 4, 16. eique subscripsisse videtur Calvus, nisi aliam mavis intelligere causam: res enim incerta. Weichert p. 112. Drusum Pisaurensem Pompeii familiarem intelligit, Orellius in *Onomast.* amplius deliberandum censet.

Tacit. De Orator. 21. *Ipse mihi Calvus vix in una et altera oratiuncula satisfacit. nec dissentire ceteros ab hoc meo iudicio video: quotus enim quisque Calvi in Asitium aut in Drusum legit?*

7. Oratio pro Sulla.

Sullam, libertum L. Cornelii Sullae, grammaticum, in causa forensi a Calvo defensum scribit Vulpius ad Catulli carmen 14, 11.

Ni te plus oculis meis amarem,
iucundissime Calve, munere isto
odissem te odio Vatiniano:
nam quid feci ego quid ve sum locutus,
cur me tot male perderes poetis?
isti dii mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit impiorum.
Quod si, ut suspicor, hoc novum ac repertum
munus dat tibi Sulla litterator,

10. *non est mi male, sed bene ac beate,*
quod non dispereunt tui labores.

odio Vatiniano] alludit Catullus ad vehementiam, qua Calvus Vatinium tribus, opinor, causis insecutus est.

8. Oratio in Fuscinium ambitus.

Charisius p. 136. At pro autem. *Licinius Calvus in Fuscinium ambitus: at ita mihi Iovem deosque immortales velim bene fecisse, iudices, ut ego pro certo habeo, si parvuli.*

in Fuscinium] *in Vatinium* correxit I. Nicolaius Loensis Epiphyll. III, 16., Weichert p. 114, Ellendt p. CXXIII. Ruhnkenius autem in Addendis ad Rutilium p. 276 in dubio relinquere videtur, *Fuscinii* nomen corruptum sit annon.

si parvuli] Pulschius de suo ingenio addidit *si parvuli ambitum iudicarent.*

Incerta.

Quintil. 1, 6, 42. *Neque enim tuburchinabundum et lurchinabundum iam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit auctor, nec hos lodices, quanquam id Pollioni placeat, nec gladiola: atqui Messala dixit, nec parricidatum, quod in Coelio vix tolerabile videtur, nec collos mihi Calvus persuaserit, quae nec ipsi iam dicerent.*

Plinius hist. Nat., 33, 11, 49. *Vasa coquinaria ex argento Calvus orator fieri quiritat, at nos carrucas ex argento caelare invenimus.*

CI. *C. Scribonius Curio.*

Aequalis M. Antonii et M. Coelii Rufi, anno circiter 670 (84) natus est. Adolescens mala fama usus est, nec minus quam M. Antonius et Coelius turpitudine morum insignis. Plut. Antonius 2. Cicero scribit a. 693 (61) ad Atticum 1, 14. *Concursabant barbatuli iuvenes, totus ille grex Catilinae, duce filiola Curionis.* Quaestor fuisse dicitur a. 699 (55), referente Pighio. Tribunus plebis a. 704 (50) primum pro Pompeio contra Caesarem, deinde pro Caesare contra Pompeium concionatur. Drumann t. 3. p. 377. Livii Epit. l. 109.

A. 705 (49) in Africa contra Pompeianos bellum gerens caeditur. Caesar Bell. Civ. 2, 37—43. Livius Epit. 110.

Cicero in Bruto c. 81. *Facienda mentio est duorum adolescentium, qui si diutius vixissent, magnam essent eloquentiae laudem consecuti. C. Curionem te et C. Licinium Calvum arbitror dicere. quorum alter ita facile soluteque verbis volvebat satis interdum acutas, crebras quidem certe sententias, ut nihil posset ornatius esse, nihil expeditius; atque hic parum a magistris institutus naturam habuit admirabilem ad dicendum: industriam non sum expertus, studium certe fuit. qui si me audire voluisset, ut coeperat, honores quam opes consequi maluisset. — — Quae si ille audire voluisset, maxima cum gratia et gloria ad summam amplitudinem pervenisset, ascendens gradibus magistratuum, ut pater eius fecerat, ut reliqui clariores viri.*

Velleius 2, 48. *Bello civili et tot, quae deinde per continuos XX annos consecuta sunt, malis non alius maiorem flagrantioremque quam C. Curio tribunus pl. subiecit facem, vir nobilis, eloquens, audax, suae alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus, homo ingeniosissime nequam et facundus malo publico. Huius animo, voluptatibus vel libidinibus, neque spes ullae nec cupiditates sufficere possent. Hic primo pro Pompeii partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica, mox simulatione contra Pompeium et Caesarem, sed animo pro Caesare stetit. Id gratis an accepto centies H S. fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus.*

centies H S.] eundem notat Virgil. Aen. VI, 621.

Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit, fixit leges pretio atque refixit.

Tacit. Annal. XI, 7. *Prompta sibi exempla, quantis mercedibus P. Clodius aut C. Curio concionari soliti sint.* Conf. Weichert de L. Vario pag. 104.

Suetonius de Rhetor. 2. *Cn. Pompeium quidam*

historici tradiderunt sub ipsum civile bellum, quo facilius C. Curioni promtissimo iuveni, causam Caesaris defendenti contradiceret, repetisse declamandi consuetudinem.

C. Curioni] in tribonatu eius a. 704 (50).

Hieronimus in Eusebii Chron. ad Olymp. 181, 4.= 701 (53) u. c. *Curio promptus et popularis orator Romae habetur insignis, qui deinceps in Africa pudore amissi exercitus mori maluit quam evadere.*

Tacit. de Oratorib. c. 37. *Nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae et in antiquariorum bibliothecis adhuc manent et cum maxime a Muciano contrahuntur, ac iam undecim, ut opinor, Actorum libris et tribus Epistolarum composita et edita sunt. Ex iis intelligi potest, Cn. Pompeium et M. Crassum non viribus modo et armis sed ingenio quoque et oratione valuisse, Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et ceteram procerum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine aliqua eloquentia consecutum.*

Curiones] patrem et filium.

Dio Cassius 40, 60. *ὁ Κουρίων τὴν γνώμην ὀξὺς εἰπεῖν τε δεινὸς, τῷ τε πλήθει πιθανώτατος καὶ χρημάτων ἐς τὰ πάντα ἀπλῶς, ἐξ ὧν ἢ αὐτός τι πλεονεκτήσειν ἢ καὶ ἑτέρῳ διαπράξειν ἤλπιζεν, ἀφειδέστατος.*

Appianus Bell. Civil. 2, 26. *Δήμαρχος Κουρίων ἐς τὸν δῆμον εὐχαριτώτατος καὶ εἰπεῖν ἱκανώτατος.*

Plinius hist. 7, 41. *Una familia Curionum, in qua tres continua serie oratores extiterunt.*

tres] C. Scribonius Curio avus, (v. pag. 252.) C. Scribonius Curio pater (v. pag. 347.), et C. Scribonius Curio filius. Conf. Scholia Bobiensia in orat. in Clodium et Curionem p. 330. *Tres illis temporibus Curiones illustri nomine extiterunt atque ita in libris adhuc feruntur. Curio avus, qui Servium Fulvium incesti reum defendit, et hic C. Curio pater, qui P. Clodio adfuit, et tertius ille Curio tribunicius, qui bello civili Pompeiano in Africa periit: cum enim esset partium Caesaris, oppressus est ab equitibus Iubae regis.*

Quintil. 6, 3, 76. *Cicero* ***Curionem*** *semper ab excusatione aetatis incipientem facilius quotidie prooemium habere dixit, quia ista natura sequi et cohaerere videantur.*

Curionem] Curio filius in prooemio orationum suarum incepit semper ab excusatione iuventae: quod, cum affectatum videretur, Cicero irrisit. Alii Curionem patrem intelligunt, ut qui excusaverit senectutem suam.

Sidonius Epistol. IV, 3. *rex Theodoricus sentit ut Pythagoras, dividit ut Socrates, explicat ut Plato, implicat ut Aristoteles, ut Aeschines blanditur, ut Demosthenes irascitur, vernat ut Hortensius, aestuat ut Cethegus,* ***incitat ut Curio****, moratur ut Fabius, simulat ut Crassus, dissimulat ut Caesar, suadet ut Cato, dissuadet ut Appius, persuadet ut Tullius.*

I. *Conciones tribuniciae.*

Eae sunt habitae a. 704 (50), iisque causam Caesaris acriter defendit, atque auctoritati Pompeii nocuit. Dictum est supra, Pompeium declamandi consuetudinem ea potissimum causa repetivisse, ut Curioni tribuno plebis facilius contradiceret.

Plutarch. Quaest. romanae c. 81. T. 8. ed. Hutten. p. 358. *ὁ γὰρ ὄγκος ὑπάτῳ προςήκει καὶ στρατηγῷ, τὸν δὲ δήμαρχον, ὡς Γ'αίος Κουρίων ἔλεγε, καταπατεῖσθαι δεῖ, καὶ μὴ σεμνὸν εἶναι τῇ ὄψει, μηδὲ δυςπρόςοδον, μηδὲ τοῖς ἄλλοις χαλεπὸν, ἀλλ' ὑπὲρ τῶν ἄλλων, τοῖς δὲ πολλοῖς εὐμεταχείριστον.*

Γάϊος Κουρίων] quaeritur quis sit intelligendus.

Sueton. Caesar. 50. *Pompeio et a* ***Curionibus*** *patre et* ***filio*** *et a multis exprobratum est, quod, cuius causa post tres liberos exegisset uxorem, et quem gemens Aegisthum appellare consuesset, eius postea filiam potentiae cupiditate in matrimonium recepisset.*

filio] in oratione quadam contra Pompeium habita. v. pag. 352.

CII. *L. Sempronius Atratinus.*

Natus est a. 681 (73): erat enim septendecim annos natus, cum M. Coelium accusaret a. 698 (56). Eius magister fuit L. Plotius Gallus rhetor. (v. supra p. 380). Mortuus est a. 733 (21). Hieronimus in Euseb. Chron. Olymp. 189. 4. = a. u. 733 (21): *Atratinus, qui septemdecim annos natus Coelium accusaverat, clarus inter oratores habetur, et ad extremum morborum taedio in balneo voluntate exanimatus heredem dereliquit Augustum.* An idem L. Sempronius Atratinus sit, qui proconsul ex Africa triumphaverat eodem illo anno 733 (21.), nescio, nec Scaliger ad Eusebium p. 170 certi aliquid statuit. Si idem est cum hoc, inquit, is quidem triumphaverit et decesserit eodem anno.

Cicero p. Coelio c. 1. *Atratinus humanissimus atque optimus adolescens.* ibid. c. 7. *Atratinus disertus adolescens.*

Quintil. XI, 1, 68. *Aliquando etiam inferioribus praecipueque adolescentulis parcere aut mederi decet. Utitur hac moderatione Cicero pro Coelio contra Atratinum, ut eum non inimice corripere sed paene patrie monere videatur. Nam et nobilis et iuvenis et non iniusto dolore venerat ad accusandum.*

non iniusto dolore] patrem ultus est, qui a Coelio duabus causis accusatus erat. Vid. Coelii orat. p. 462.

1. Oratio adversus M. Coelium Rufum.

Acta est causa a. 698 (56), ut supra diximus. Conf. *orat. Coelii* p. 463. Coelius in oratione sua dixerat, Atratini orationem non ipsius esse, sed a Plotio Gallo praeceptore conscriptam: et facile intelligi potest, cur Coelius id dixerit: Atratinus enim non amplius XVII annos habebat.

Curius Fortunatianus in Arte rhetorica p. 92. ed. Capperon. *Etiam illa inter translationes ponimus, quae non verbis sed nominibus translatis immutantur, ut cum* A t r a t i n u s C o e l i u m p u l c h e l l u m I a s o n e m a p p e l l a t *et Cicero Clodium Palatinam Medeam.*

pulchellum Iasonem] ut Iason Medeam, sic Clodiam Coelius deseruerat: quae cum se a Coelio derelictam videret, commovit Atratinum filium, ut eum in indicium vocaret. Drumann t. 2. p. 377. Ut autem Atratinus Coelium appellat Iasonem pulchellum, ita Coelius in oratione, opinor, contra Atratinum, *Peliam cincinnatum* nescio quem ludibrio appellavit.

CIII. *P. Cornelius Dolabella.*

Natus a. 685 (69), uxorem duxit Tulliam Ciceronis filiam a. 704 (50). Tribunus plebis a. 707 (47). eidemque Caesar consulatum tradidit a. 710 (44), etsi nec praetor fuerat nec legitimam aetatem obtinebat: nam viginti quinque annos erat natus. Appian. 2, 509. Occiditur a. 711 (43) Laodiceae in Syria. Conf. Drumann t. 2. p. 566.

Cicero scribit a. u. 708 (46) ad Paetum l. 9, 16, 7. *Hirtium ego et Dolabellam dicendi discipulos habeo, coenandi magistros.* ad Volumnium l. 7, 33. *Quod declamationibus nostris cares, damni nihil facis. — Cassius tuus et* ***Dolabella*** *noster vel potius uterque noster studiis iisdem tenentur et meis aequissimis utuntur auribus.* ad Varronem l. 9, 7. *Adventat Dolabella. Eum puto magistrum fore. Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων.*

magistrum] v. Wieland Cicero's Briefe, T. 5, p. 109.

Quintil. 12, 11, 6. *Cicero Pansam, Hirtium, Dolabellam, in morem praeceptoris exercuit quotidie dicens audiensque.*

I. Oratio.

Quintil. 8, 2, 4. *In hac proprietatis specie, quae nominibus ipsis cuiusque rei utitur, nulla virtus est, at, quod ei contrarium est, vitium. id apud nos improprium, ἄκυρον apud graecos vocatur. quale est* ***tantum sperare dolorem****, aut quod* ***in oratione Dolabellae*** *emendatum a Cicerone annotavi* ***mortem ferre.***

in oratione] quaeri potest, vera oratio intelligatur an declamatio quaedam a Dolabella edita.

mortem ferre] pro mortem reportare Spalding, malins Bonnel in Lexico pro mortem perferre, tolerare.

CIIII. *C. Asinius Pollio.*

Natus a. u. 679 (75), ut Thorbecke p. 3. et Drumannus t. 2. p. 2 scribunt. Melius, opinor, Clinton iudicavit, qui Asinium a. 678 (76) natum scribit, auctoritate fretus Hieronymi, qui in Eusebii Chronico eum obiisse tradit anno aetatis LXXX, Mundi MMXX., imperii Augusti XLVII. =, id est, anno 757 (4 p. Chr.) Atque consentit Tacitus in Dialogo de oratoribus c. 34., cum altero et vicesimo anno aetatis ab Asinio Catonem esse postulatum scribit: illa enim ratione, quam Thorbecke est secutus, uno et vicesimo anno id fecisset. nam haec causa in a. 700 (54) cadit. — In bello civili Caesarem est secutus a. 705 (49). Tribunus plebis a. 707 (47). A. 709 (45) honorem praeturae cum multis aliis a Caesare obtinuit. Dio Cass. 43, 47. A. 710 (44) in Hispaniam ulteriorem decessit. A. 711 (43) ad Antonium et Octavianum transiit. Consul a. 714 (40)., sex et triginta annos natus. Triumphavit de Parthinis gente Illyriorum proconsul a. 715 (39). Deinde otio et studiis vixit procul a republica, et octogesimo anno diem obiit a. 757 (4 post Chr.) Hieronymus in Euseb. Chron. Olymp. 4. Augusti 47.=757 (4 p. C.): *Asinius Pollio orator et consularis, qui de Dalmatiis triumpharat, LXXX aetatis suae anno in villa Tusculana moritur.* Drumann t. 2., p. 11. scribit, Asinium mortuum esse a. 758 (5 p. Ch.) item Zumpt in Annalibus. — Conf. Thorbecke de C. Asinio Pollione Lugduni Bat. 1820, Drumann t. 2. p. 2, Orellius in Onomastico Tulliano et in Horatio lib. 2. Od. 1. *ad C. Asinium Pollionem.* Manso vermischte Abhandlungen p. 53.

Catullus 12, 7. . . . *crede Pollioni*
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit: est enim leporum
Disertus puer ac facetiarum.

Horatius Carm. lib. 2. Ode 1. 13.

Insigne maestis praesidium reis
Et consulenti, Pollio, curiae.

Constat deinde, Virgilium in omnibus suis Eclogis Asinium Pollionem maximis celebrasse laudibus.

Plinius Hist. 7, 30. Asinium Pollionem *principem oratorem et civem* appellat.

Velleius 2, 36. *Iam pene supervacaneum videri potest, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat, diremtos gradibus aetatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium saneque Crassum, Catonem, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Coelium, Calvum et proximum Ciceroni Caesarem, eorumque velut alumnos Corvinum ac Pollionem Asinium.*

Seneca Excerpta Controv. lib. IV. praef. p. 441. *Pollio Asinius numquam admissa multitudine declamavit, nec illi ambitio in studio defuit. Primus enim omnium romanorum advocatis hominibus scripta sua recitavit. Et inde est, quod Labienus homo mentis quam linguae amarioris dicit: Ille triumphalis senex acroases suas numquam populo commisit, sive quia parum in illis habuerit fiduciae, sive, quod magis crediderim, tantus orator inferius id opus ingenio suo duxerit: exerceri quidem illo volebat, gloriari fastidiebat. — Floridior erat aliquanto in declamando quam in agendo; illud strictum eius et asperum et nimis ratum in dicendo iudicium adeo cessabat, ut in multis illi venia opus esset, quae ab ipso vix impetrabatur.*

Seneca Epist. 100. *Lege Ciceronem, compositio eius una est, pedem servat, curata, tenta et sine infamia mollis; at contra Pollionis Asinii salebrosa et exiliens et ubi minime exspectes, relictura. Denique apud Ciceronem omnia desunt, apud Pollionem cadunt exceptis paucissimis, quae ad certum modum et ad unum exemplar adstricta sunt.*

Seneca de tranquillitate animi c. 16. *meminimus Pollionem Asinium oratorem magnum.*

Seneca Suasoriarum lib. Suas. VI. p. 50. *Sextilius*

Hena de morte Ciceronis recitaturus in domo Messalae Corvini Pollionem Asinium advocarat, et in principio hunc versum non sine assensu recitavit: Deflendus Cicero est Latiaeque silentia linguae. Pollio Asinius non aequo animo tulit, et ait: Messala, tu quid tibi liberum sit in domo tua, videris, ego istum auditurus non sum, cui mutus videor. Atque ita consurrexit, ne interesset recitationi eorum.

Columella de re rust. Praef. lib. 1, 30. *Nec Brutum aut Caelium Pollionemve cum Messala et Calvo deterruere ab eloquentiae studio fulmina illa Ciceronis.*

Tacit. Dial. de Orator. 17. Aper dicit: *Transeo ad latinos oratores, in quibus non Menenium ut puto Agrippam, qui potest videri antiquus, nostrorum temporum disertis anteponere soletis, sed Ciceronem et Caesarem et Coelium et Calvum et Brutum et Asinium et Messalam. quos quidem cur antiquis temporibus potius adscribatis quam nostris, non video. — nam Corvinus in medium usque Augusti principatum, Asinius pene ad extremum duravit.*

ad extremum] Asinius a. 757 (4 p. Chr.), Augustus vero a. 767 (14) mortuus est.

ibid. c. 12. *nec ullus Asinii aut Messallae liber tam illustris est quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes.*

ibid. c. 21. Aper dicit: *Asinius, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Attium non solum tragoediis sed etiam orationibus suis expressit: adeo durus et siccus est.*

Menenios] Menenius Agrippa plebem romanam a patribus dissidentem facundia sua in concordiam reduxerat a. 260 (494). Livius 2, 32.
Appios] Appius Claudius Caecus, cuius oratio a. 474 (280) de foedere Pyrrhi regis habita extitit, ut supra diximus pag. 1.

ibid. c. 25. Messala dicit: *Apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Calvus autem et Asinius et Caesar et Coelius et Brutus*

suo iure et prioribus et sequentibus anteponuntur. nec refert quod inter se specie differant, cum genere consentiant. astrictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Coelius, gravior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero: omnes tamen eandem sanctitatem eloquentiae ferunt, ut si omnium pariter libros in manum sumseris, scias, quamvis in diversis ingeniis esse quandam iudicii ac voluntatis similitudinem et cognationem.

Tacitus Annal. XI, 6. *meminissent Gai Asinii et Messalae ac recentiorum Arrunti et Aesernini, ad summa provectos incorrupta vita et facundia.*

Plinius Epist. 6, 29, 5. *Sed et illud, quod vel Pollionis vel tamquam Pollionis accepi, verissimum experior: Commode agendo factum est, ut saepe agerem, saepe agendo, ut minus commode.*

Quintilianus 10, 1, 113. *Multa in Asinio Pollione inventio, summa diligentia, adeo ut quibusdam etiam nimia videatur, et consilii et animi satis; a nitore et iucunditate ita longe abest, ut videri possit seculo prior.*

ibid. 10, 2, 25. *Quid ergo? non est satis omnia sic dicere, quomodo M. Tullius dixit? mihi quidem satis esset, si omnia consequi possem. Quid tamen noceret, vim Caesaris, asperitatem Coelii, diligentiam Pollionis, iudicium Calvi quibusdam in locis assumere?*

diligentiam Pollionis] Quintilianus iterum l. 12, 10, 11. *diligentiam* eius laudat.

ibid. 12, 11, 28. *Verum ut transeundi spes non sit, magna tamen est dignitas subsequendi. An Pollio et Messala, qui iam, Cicerone arcem tenente eloquentiae, agere coeperunt, parum in vita dignitatis habuerunt, parum ad posteros gloriae tradiderunt?*

ibid. 1, 8, 11. *Credamus summis oratoribus, qui veterum poemata vel ad fidem causarum vel ad eloquentiae ornamentum assumunt. Nam praecipue*

quidem apud Ciceronem, frequenter tamen a p u d A s i n i u m *etiam et ceteros, qui sunt proximi, vidimus Ennii, Accii, Pacuvii, Lucilii, Terentii, Caecilii et aliorum inseri versus summa non eruditionis modo gratia, sed etiam iucunditatis.* ibid. 9, 4, 76. *Trimetri versus minus sunt notabiles, quia hoc genus sermoni proximum est, itaque et versus hi fere excidunt, quos Brutus ipso componendi ductus studio saepissime facit,* n o n r a r o A s i n i u s, *sed etiam Cicero nonnumquam.*

1. Oratio adversus C. Porcium Catonem.

Acta est causa a. 700 (54) ante diem tertium Nonas Quintiles. Argumentum pete ex oratione Calvi pro C. Catone p. 478.

Dial. de Oratoribus 34. *Nono decimo aetatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno et vicesimo Caesar Dolabellam,* a l t e r o e t v i c e s i m o A s i n i u s P o l l i o C. C a t o n e m, *non multo aetate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus.*

Quintil. 12, 6, 1. *Calvus, Caesar,* P o l l i o *multum ante quaestoriam omnes aetatem gravissima iudicia susceperunt.*

2. Oratio pro L. Aelio Lamia.

Haec oratio dicta apud triumviros anno circiter 712 (42), non multum post mortem Ciceronis, ut ex eo apparet, quod Seneca tradidit. L. Aelius Lamia, Ciceronis familiaris, a. 711 (43), quo Cicero proscribebatur, praeturam gessit. Cic. ad famil. XI, 16, 17. Orellius in Onomastico.

Seneca Suasoria VI. *D e l i b e r a t C i c e r o, a n A n t o n i u m d e p r e c e t u r.* p. 41. *Quando in hanc suasoriam incidimus, non alienum puto indicare, quomodo quisque se ex historicis adversus memoriam Ciceronis gesserit. Nam quin Cicero nec tam timidus fuerit, ut rogaret Antonium, nec tam stultus, ut exorari posse*

speraret, nemo dubitat excepto Asinio Pollione, qui infestissimus famae Ciceronis permansit, et is etiam occasionem scholasticis alterius suasoriae dedit. Solent enim scholastici declamatores ponere: deliberat Cicero, an promittente salutem Antonio orationes suas comburat. Haec inepte ficta cuilibet videri potest. Pollio vult illam veram videri: ita enim dixit illa oratione, quam pro Lamia edidit: itaque, ne usquam persisteret, nec mora fuit, quin eiuraret suas istas, quas cupidissime effuderat, orationes in Antonium, multiplicesque numero et accuratius scriptas, illis contrarias edere ac vel ipse palam pro concione recitare pollicebatur. ceteraque his alia sordidiora multo, ut tibi facile liqueret, hoc totum adeo falsum esse, ut ne ipse quidem Pollio in historiis suis ponere ausus sit. Huic certe actioni eius pro Lamia qui interfuerunt, negant eum haec dixisse (nec enim mentiri sub triumvirorum conscientia sustinebat) sed postea composuisse.

postea] Ex verbis M. Senecae apparet, Asinium orationi suae, quam apud triumviros habuerat, postea, cum eam editurus erat, quaedam addidisse, quibus invidia et malevolentia ductus famam Ciceronis inique laederet.

3. Oratio pro Nonio Asprenate veneficii reo contra Cassium Severum.

Acta est causa a. 745 (9 ante Chr.), teste Dione Cassio lib. 55, 4., ut iam Freinshemius in Supplementis ad Livii lib. 104, 14. tradidit. Thorbecke p. 69. Nonium Asprenatem proconsulem a. 708 (46) (Hirtius de bell. Africano c. 80) intelligit, Weichert autem *De Cassio Parmensi* p. 197 filium eius C. Asprenatem Nonium Torquatum, idque melius convenire sentio. Reus veneno CXXX (?) convivas necasse arguebatur. Conf. *oratio Cassii Severi.* Plinius Hist. Nat. 35, 12, 46. *Vitellius in principatu suo X H S condidit patinam, cui faciendae fornax in campis exaedificata erat, quoniam*

eo pervenit luxuria, ut etiam fictilia pluris constent quam murrhina. Propter hanc Mucianus in altero consulatu suo in conquestione exprobravit patinarum paludes Vitellii memoriae, non illa foediore, cuius veneno Asprenati reo Cassius Severus accusator obiiciebat interisse CXXX convivas.

in altero consulatu] a. u. 822 (70 p. Ch.)

CXXX] in numero vitium latet. *C* praecedente littera *e* orta videtur. triginta enim veneno consumtos magis probabile quam centum et triginta.

Suetonius Augusto 56. *Cum Asprenas Nonius, artius ei iunctus, causam veneficii accusante Cassio Severo diceret, consuluit senatum, quid officii sui putaret, cunctari enim se, ne, si superesset, eriperet legibus reum; sin deesset, destituere ac praedamnare amicum existimaretur. Et consentientibus universis sedit in subselliis per aliquot horas, verum tacitus ac ne laudatione quidem iudiciali data.*

Quintilianus 10, 1, 23. *Illud utilissimum nosse eas causas, quarum orationes in manum sumserimus, et quoties continget, utriusque habitas legere actiones ut Servii Sulpicii atque Messalae, quorum alter pro Aufidia, contra dixit alter, et* ***Pollionis et Cassii reo Asprenate*** *aliasque plurimas.*

Dio Cassius lib. 55, 4. *Φίλῳ τέ τινι δίκην φεύγοντι συνεξετάσθη, προεπικοινώσας αὐτὸ τοῦτο τῇ γερουσίᾳ, καὶ ἐκεῖνόν τε ἔσωσε καὶ τὸν κατήγορον αὐτοῦ οὐχ ὅπως δι᾽ ὀργῆς εἶχε, καίπερ πάνυ πολλῇ παρρησίᾳ χρησάμενον, ἀλλὰ καὶ εὐθυνόμενον ἐπὶ τοῖς τρόποις ἀφῆκεν, εἰπὼν ὅτι ἀναγκαία σφίσιν ἡ παρρησία αὐτοῦ, διὰ τὴν ἄντικρυς τῶν ἄλλων πονηρίαν εἴη.*

φίλῳ] Nonio Asprenati, ut ex Suetonio intelligitur. Ex Suetonio igitur nomen rei, ex Dione annum, quo causa acta est, cognoscimus: inter ea enim, quae a. 745 (9) acciderunt, retulit Dio.

4. Oratio pro Moscho Pergameno rhetore veneficii reo contra Torquatum.

Haec causa acta videtur a. 733 (21). Cum enim epistola Horatii lib. 1, 5, in qua huius causae facta est

mentio, a. 733 (21) scripta sit teste Orellio, illo ipso anno eam actam esse probabile est. Atque Weichert quoque de Cassio Parmensi p. 312. scribit, eam propter Asinium Pollionem, pacata demum civitate frequentibus laboribus forensibus vacantem, mediis Augusti imperantis temporibus assignandam esse. Conf. *Oratio Torquati.*

Horatii Epist. 1, 5, 8. *ad Torquatum.*

> *Mitte leves spes et certamina divitiarum*
> *et Moschi causam: cras nato Caesare festus*
> *dat veniam somnumque dies, impune licebit*
> *Aestivam sermone benigno tendere noctem.*

Acron Scholiasta *Moschus*, inquit, *Pergamenus fuit rhetor notissimus, qui reus veneficii fuit, cuius causam tunc oratores egere. Nam Torquatus patronus fuit causarum.* Porphyrion: *Hic Pergamenus rhetor notissimus, reus veneficii fuit, cuius causam ex primis tunc oratores egerunt; Torquatus hic, de quo nunc poeta dicit, et Asinius Pollio.* Auctarium Schol. Cruqu. p. 692. *Moschus hic Pergamenus rhetor fuit notissimus, reus veneficii fuit, cuius causam exprimit. Hanc oratores egerunt Torquatus hic, de quo nunc dicit, cuius extat oratio, et Asinius Pollio.*

5. Oratio pro Apollodoro Pergameno rhetore, veneficii reo.

De Apollodoro rhetore, Augusti, Calidii, Valgii Rufi aliorumque magistro dixit Thorbecke p. 71. Weichert Poetarum lat. Reliquiae p. 233. Spalding in Quintil. 3, 1, 17. Clinton in Fastis t. 3. ad a. 691 (63). 710 (44). 724 (30). et p. 547. De tempore causae idem Weichert Imp. Augusti Reliquiae F. 1. p. 41. haec scribit: „Apollodori senectus suadet, ut hanc veneficii causam a Pollione actam praeponamus Nonio Asprenati et Moscho eiusdem criminis reis, quorum patronus idem Pollio fuit. Utramque enim actionem mediis Augusti temporibus assignandam esse, mihi videor probasse, Apollodorus autem quum plurimum vixisse videtur usque ad a.u. 732 (22).“

Seneca Controvers. l. 2, 13. p. 202. *Novi declamatores et Potamon cum Apollodoro, qui reus*

veneficii fuit, et a Pollione Asinio defensus, damnatus Massiliae docuit, et hanc quaestionem fecerunt in hanc controversiam, an inter viros et uxores data beneficia ingrati lege teneantur.

6. Orationes pro heredibus Urbiniae contra Labienum.

Acta est causa mediis Augusti temporibus, id est, circa annum 740 (11). Argumentum tale est. Iis qui vel ex testamento vel cognationis iure cernere vellent hereditatem Urbiniae cuiusdam, opposuit se Asinius Figulus, qui se mortuae filium dicebat, cum heredes eum servum esse contenderent, nomine Sosipatrum. (Spalding ad Quintil. 4, 1, 11). Asinius patronus heredum, Labienus patronus Clusinii Figuli.

Dialogus de Oratoribus c. 38. *Causae centumvirales, quae nunc primum obtinent locum, adeo splendore aliorum iudiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis neque Caesaris neque Bruti neque Coelii neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur, exceptis Asinii orationibus, quae pro heredibus Urbiniae inscribuntur, ab ipso tamen Pollione mediis divi Augusti temporibus habitae, postquam longa temporum quies et continuum populi otium et assidua senatus tranquillitas et maximi principis disciplina ipsam quoque eloquentiam sicut omnia alia pacaverat.*

Quintil. 4, 1, 11. *Etiam partis adversae patronus dabit exordio materiam, interim per contumeliam, sed hoc perquam raro, ut Asinius pro Urbiniae heredibus Labienum, adversarii patronum, inter argumenta malae causae posuit.*

Labienum] qui pessima usus est fama, ut infra dicemus. Asinius Figuli causam iam ex eo suspectam et malam esse dicebat, quod Labienus defensor et patronus esset.

Quintil. 7, 2, 5. *Est quaesitum contra Urbiniae heredes, si is, qui tamquam filius petebat bona, Fi-*

gulus esset an Sosipater? An hic sit ex Urbinia natus Clusinius Figulus?

Quintil. 7, 2, 26, *In lite Urbiniana petitor dicit, Clusinium Figulum, filium Urbiniae, acie victa, in qua steterat, fugisse, iactatumque casibus variis, retentum etiam a rege, tandem in Italiam ac patriam suam Marginos venisse atque ibi agnosci. Pollio contra: servisse eum Pisauri dominis duobus, medicinam factitasse, manu missum alienae se familiae venali immiscuisse, a se rogantem, ut ei serviret, emptum.* Nonne tota lis constat duarum causarum comparatione et coniectura duplici atque diversa?

petitor] Labienus.

Marginos] Locus ignotus. *Marrucinos* ant *Marrubios* coniicit Gisbert Cuper in nova Sylloge Epistolarum. *Marcinae*, urbis Campaniae, Strabo et Mannert Italia 1. p. 753. faciunt mentionem. Eadem fortasse est, cuius Quintilianus meminit.

Quintil. 8, 3, 32. *Nec a verbis modo sed a nominibus quoque derivata sunt quaedam, ut a Cicerone* Sullaturit *et ab Asinio* Fimbriatum *et* Figulatum.

Figulatum] Spalding adnotat: „hoc plane censeo usurpatum ab Asinio Pollione in causa Urbiniana, ubi dixerit, Sosipatrum illum servum repente nobis esse *Figulatum* i. e. Clusinium Figulum factum." — *Fimbriatum* Asinius fortasse in oratione *contra maledicta Antonii* de ipso Antonio, ut qui furore Fimbriae similis esset, dixit.

Quintil. 9, 3, 13. *Nunc evaluit* rebus agentibus, *quod Pollio in Labieno damnat, et* contumeliam fecit, *quod a Cicerone reprehendi notum est.*

Pollio] vituperabat Labienum propter vitium sermonis, pariter atque Cicero in Philippicis propter similem causam irrisit Antonium. Sed incertum, utrum in oratione contra heredes Urbiniae hoc genus dicendi usurpaverit Labienus, an in alia: bis enim contra Pollionem dixisse et stetisse, infra in Labieno dicemus.

Charisius p. 42. *Clipeus* masculino genere in significatione scuti ponitur, ut *Labienus* ait; neutro autem genere imaginem significat. Sed *Asinius pro Viniae*

heredibus imaginis clipeum masculine dixit: *clipeus praetextae imaginis positus.*

pro Viniae heredibus] legendum esse *pro Urbiniae heredibus* manifestum est.

praetextae imaginis] i. e. imago hominis praetexta induti.

7. Oratio pro Liburnia.

Eandem mulierem defendisse videtur Messala Corvinus: eius enim extabat *oratio pro Liburnia,* (v. p. 510.) et ex Quintiliano 10, 1, 24. novimus, Pollionem et Messalam eosdem aliquando defendisse reos. Causa est centumviralis et lis in querela inofficiosi consistit. (De ea re v. Rein Röm. Privatrecht p. 390). Liburnia mater a filio exheredata, P. Novanius Gallio pro ea heres institutus est. Mater querelam inofficiosi defert, eiusque causam suscepere Asinius et Messala.

Quintil. 9, 2, 33. *Falsa et incredibilia natura necesse est aut magis moveant, quia supra vera sunt, aut pro vanis accipiantur, quia vera non sunt. Ut dicta autem quaedam, ita scripta quoque fingi solent, quod facit Asinius pro Liburnia: Mater mea, quae mihi tum carissima tum dulcissima fuit, quaeque mihi vixit, bisque eodem die vitam dedit et reliqua, deinde exheres esto! Haec cum per se figura est, tum duplicatur, quoties sicut in hac causa ad imitationem alterius scripturae componitur. Nam contra recitabatur testamentum P. Novanius Gallio, cui ego omnia meritissimo volo et debeo, pro eius animi in me summa voluntate et adiectis deinceps aliis heres esto.*

mater mea] testamentum filii his verbis conceptum fingit Asinius.

Quintil. 9, 2, 9. *Quid enim tam commune quam interrogare vel percontari? Aut instandi gratia et auferendae dissimulationis ut Asinius: Audisne? furiosum, inquam, non inofficiosum testamentum reprehendimus!*

Asinius] in oratione pro Liburnia, ut ex argumento causae apparet.

8. Oratio pro M. Aemilio Scauro.

Acta est causa a. 724 (30). M. Aemilius Scaurus M. Antonio deditus, in proelio Actiaco contra Octavianum pugnavit, dein captus, ab Octaviano vix impetrat, quo minus cum multis aliis condemnaretur et morte puniretur. Conf. Drumann t. 1. p. 33. et 485. Eius causam defendit Asinius.

Spalding vero ad Quintil. 6, 1, 21. Mamercum Scaurum, de quo infra dicemus, intelligendum putabat.

Dio Cassius lib. 51, 2. *τῶν βουλευτῶν καὶ τῶν ἱππέων, τῶν τε ἄλλων τῶν κορυφαίων, τῶν συμπραξάντων τι τῷ Ἀντωνίῳ, πολλοὺς μὲν χρήμασιν ἐζημίωσε, πολλοὺς δὲ καὶ ἐφόνευσε, καί τινων καὶ ἐφείσατο, καὶ ἐν μὲν τούτοις Μάρκος τις Σκαῦρος ἀδελφός τε τοῦ Σέξτου ὁμομήτριος ὤν, καὶ θανατωθῆναι κελευσθείς, εἶτα διὰ τὴν μητέρα τὴν Μουκίαν ἀφείθη.*

Dio Cassius l. 56, 38. *ὁ τοίνυν Αὔγουστος, ἐπειδὴ τάχιστα τῶν ἐμφυλίων πολέμων ἀπηλλάγη, πρῶτον μὲν τοὺς πλείους τῶν ἀντιστάντων οἱ καὶ περιγενομένων ἐκ τῆς παρατάξεως, ἔσωσεν, ἐν μηδενὶ τὸν Σύλλαν μιμησάμενος, καὶ ἵνα μὴ πάντας αὐτοὺς καταλέγω, τίς οὐκ οἶδε τὸν ἀδελφὸν τοῦ Σέξτου;*

Quintilianus 6, 1, 21. *Periclitantem commendat dignitas et studia fortia et susceptae bello cicatrices et nobilitas et merita maiorum. Hoc, quod proxime dixi, Cicero atque Asinius certatim sunt usi, pro Scauro patre hic, ille pro filio.*

Quintil. 9, 2, 24. Pollio: *Numquam fore credidi, iudices, ut reo Scauro, ne quid in eius iudicio gratia valeret, precarer.*

9. Orationes adversus L. Munatium Plancum.

L. Munatius Plancus in bello civili alias alio tempore partes secutus, dominum plus semel commutavit. Velleius 2, 63. ibique Ruhnkenius. Drumann t. 4. p. 207. Pollio, adversarius eius, orationes contra eum scripsit, nec tamen summam huius viri eloquentiam metuens ante mortem eius editurus erat.

Plinius Hist. Nat. Praefat. lib. 1, 31. *Nec Plancus illepide, cum diceretur Asinius Pollio orationes in eum parare, quae ab ipso aut liberis post mortem Planci ederentur, ne respondere posset: Cum mortuis nonnisi larvas luctari. Quo dicto sic repercussit illas, ut apud eruditos nihil impudentius iudicetur.*

10. Orationes contra maledicta Antonii.

Oratio dicta videtur a. 722 (32). Dio Cass. 50, 2. Constat inter auctores, Asinium Pollionem inde ab anno 715 (39), quo anno triumphi honorem meruit, a republica procul vixisse, et Antonium, quem adhuc adiuverat, non amplius secutum esse. (Drumann t. 1. p. 10). Qua de re questum Antonium opinor, et quidem iisdem epistolis, in quibus in Octavianum quoque et Messalam acerbe invectus est. (v. p. 457.) Contra has epistolas non Asinius solum, sed Messala quoque (v. p. 510.) librum scripsit.

Charisius p. 44. *Catinus* masculino genere dicitur, et hinc deminutive *catillus* fit, ut *Asinius contra maledicta Antonii: Volitantque urbe tota catilli.*

c. maledicta Antonii] Cum in ms. quodam Dousae legeretur *contra maledicta Laberii*, Bondam in variis lectionibus p. 20 sic corrigendum putabat, postea vero in addendis p. 373. *Contra maledicta Labieni* verum esse credidit. Sed nihil mutandum arbitror. Alterum huius orationis fragmentum supra tetigimus p. 496.

11. Orationes in Valerium.

Incertum, utrum Asinius Pollio orator, an Asinius quidam grammaticus sit intelligendus: nec constat, quis fuerit Valerius.

Charisius p. 54. Hos pugillares et masculino genere et semper pluraliter dicas, *sicut Asinius in Valerium lib. 1:* quia pugillus est, qui plures tabellas continet in seriem sutas. attamen haec pugillaria saepius neutraliter dicit, item Catullus in hendecasyllabis.

Asinius in Valerium lib. 1.] in editione priore non Asinium oratorem, sed eum grammaticum, quem Charisius p. 47. ed. Lindem. et Priscianus T. 1, p. 488 nominant, hoc loco intelligendum diximus. Sunt autem duo grammatici, eodem nomine utentes, quorum alter Pom-

peii Magni temporibus vixit, isque a Suida s. v. *Πωλίων ὁ Ἀσίνιος, Τραλλιανὸς* affertur (Clinton Fasti t. 3. p. 550): alter magister fuit M. Antonini philosophi, eumque apud Charisium accipiendum arbitror. (v. p. 501.) Valerium itidem grammaticum esse diximus, quo nomine cum plures alii fuerunt tum Valerius Cato et M. Valerius Probus. Bondamus in Variis Lectionibus p. 373. *Asinius in Labienum lib.* 1, emendandum putat.

Quia pugillus est] haec sunt Charisii verba, non Asinii, ut recte adnotavit Lindemannus.

Incerta.

Quintilianus 1, 6, 42. Nec enim *tuburchinabundum* et *lurchinabundum* iam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit auctor, nec hos *lodices*, quamquam id *Pollioni* placeat, nec *gladiola*, atqui Messala dixit, nec *parricidatum*, quod in Coelio vix tolerabile videtur, nec *collos* mihi Calvus persuaserit.

Quintil. 9, 4, 132. Neque accesserim Celso, qui unam quandam huic parti formam dedit, et optimam compositionem esse prooemii, ut *apud Asinium*, dixit: *Si, Caesar, ex omnibus mortalibus, qui sunt ac fuerunt, posset huic causae disceptator legi, non quisquam te potius optandus nobis fuit.*

apud Asinium] in oratione nescio qua apud Octavianum habita.

Charisius p. 77. *Insequenti. Asinius Pollio ad Caesarem: primo insequenti die.*

ad Caesarem] in epistola, opinor, ad Octavianum.

Charisius p. 34. Genitivus pluralis cum ratione *vectigalium* facit, auctores tamen *vectigaliorum* (sic leg. non *vectigalium*) dixerunt, ut *Asinius: vectigaliorum reipublicae curam esse habendam.*

Charisius p. 85. *Vectigaliorum. Asinius Pollio: vectigaliorum reip. curam esse habendam.*

Macrobius Saturnal. 1, 4. tanta apud veteres fuit licentia huius genitivi, ut *Asinius Pollio vectigaliorum* frequenter usurpet.

Priscianus t. 1. p. 370. *Asinius Pollio:* Sed cum ob *ea, quae speraveram, dolebam, consolabar ob ea, quae timui. Consolabar* passive protulit.

Priscian. t. 1. p. 372. *Asinius: cuius experta virtus bello Germaniae traducta ad custodiam Illyrici est. Experta* passive.

Asinius] in historiis suis.
Cuius] „virtutem intellige Tiberii, qui totum Illyricum perdomuit et in ditionem redegit, Suelon. Tib., c. 16. — " Falster Memoriae p. 23.

Priscian. t. 1. p. 488. Nanciscor etiam nactum facit absque *n*, ut Probo et Capro et *Pollioni* et Plinio placet.

Pollioni] non de Asinio Pollione oratore id intellexerim, sed de Asinio Pollione grammatico, quo usus est M. Antoninus philosophus. (v. p. 500.) Julius Capitolinus M. Anton. Philos. c. 2. Porro libri grammatici Probi, Capri et Plinii saepe a Prisciano aliisque afferuntur. Thorbecke autem p. 80 hoc quoque loco Asinium Pollionem oratorem intelligit.

Sueton. Augustus 43. *Mox finem fecit talia* (Troiae lusum) *edendi, Asinio Pollione oratore graviter invidioseque in curia questo Aesernini nepotis sui casum, qui et ipse crus fregerat.*

Asinio Pollione] quem in oratione senatoria anno circiter 741 (13) de ea re questum scribit Weichert De Cassio Parmensi p. 302.

CV. *Q. Aelius Tubero.*

Q. Aelius Tubero Lucii filius, natus anno circiter 680 (74). Lucius Tubero pater, qui annales confecit (v. Clinton in Fastis ad a. 695), aequalis fuit Ciceronis. Cic. p. Ligario c. 7. *ego et L. Tubero domi una eruditi, militiae contubernales, post affines* (sororem enim Ciceronis duxit uxorem. Schol. Gronovianus in orat. pro Lig. p. 415 et 417. Drumann t. 5. p. 214.) *in omni denique vita familiares.* Q. filius primum causis agendis, deinde iuri civili operam dedit. Atque de eo dictum

putant nonnulli, quod ex libro Ciceronis a Gellio l. 1. 22. relatum legimus: *M. Cicero in libro qui inscriptus est: De iure civili in artem redigendo verba haec posuit: nec vero scientia iuris maioribus suis Q. Aelius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit.* Sed, ut dicam quod sentio, alium Q. Tuberonem, natu maiorem, hoc loco intelligendum arbitror; constat enim, Q. Tuberonem, qui Ligarium accusavit, anno 708 (46), quo causa acta est, iuvenem adhuc fuisse, atque ab eo demum tempore desiisse causas agere, et iuri operam dedisse, multosque libros ad ius pertinentes postea reliquisse teste Pomponio. Eos vero post mortem Ciceronis (qui a. 711 (42) occisus est) confectos veri simile est. Atque Ciceronis verba, quae apud Gellium supersunt, demonstrant, Tuberonem tum, cum Cicero librum de iure scribebat, non amplius vixisse, unde colligimus, alium esse intelligendum Tuberonem. Porro Tubero noster res gestas Caesaris scripsisse videtur. Sueton. Caes. 83. Utrum autem etiam maius historiae opus aggressus fuerit, incertum. Conf. Lachmann De font. Livii P. 1. p. 40. Krause Vit. Hist.p. 321. De font. Suetonii p. 19. Ceterum de bonoribus eius nihil compertum est praeter consulatum, quem a. 743 (11) obtinuit.

1. Oratio adversus Q. Ligarium.

Acta est causa a. 708 (46). Tubero adolescens Q. Ligarium accusavit. Cic. p. Ligario c. 3, 9. Argumentum ex Ciceronis oratione pro Ligario petendum. Conf. Scholiasta Gronovianus in orat. pro Ligario p. 414. Drumann t. 3. p. 706.

Quintil. 10, 1, 23. *Illud utilissimum nosse eas causas, quarum orationes in manus sumserimus, et quoties continget, utrinque habitas legere actiones, ut Demosthenis atque Aeschinis inter se contrarias et Servii Sulpicii atque Messalae, quorum alter pro Aufidia, contra dixit alter, et Pollionis et Cassii reo Asprenate aliasque plurimas. Quin etiam si minus pares videbuntur, aliquae tamen ad cognoscendam*

litium quaestionem recte requirentur, ut contra Ciceronis orationes Tuberonis in Ligarium et Hortensii pro Verre.

Quintil. XI, 1, 78. Potest evenire, ut in aliis reprehendenda sint, quae ipsi fecerimus, ut obiicit Tubero Ligario, quod in Africa fuerit. Id quomodo decenter fieri possit, equidem non invenio, nisi aliquid reperitur, quod intersit, persona aetas tempus causa locus animus. *Tubero iuvenem se patri haesisse, illum a senatu missum non ad bellum, sed ad frumentum coemendum ait, ut primum licuerit, a partibus recessisse, Ligarium et perseverasse, et non pro Cn. Pompeio, inter quem et Caesarem dignitatis fuerit contentio, cum salvam uterque rem publicam vellet, sed pro Iuba atque Afris inimicissimis populo romano stetisse.*

Tubero-ait] in oratione sua contra Ligarium.

Quintil. 5, 13, 20. *Inhumana* (erat accusatio) *Tuberonis Ligarium exulem accusantis atque id agentis, ne ei Caesar ignoscat.*

Pomponius de origine Iuris c. 3, 46. *Post Trebatium Tubero fuit, qui Ofilio operam dedit, fuit autem patricius, et transiit a causis agendis ad ius civile, maxime postquam Q. Ligarium accusavit nec obtinuit apud C. Caesarem. Is est Q. Ligarius, qui, cum Africae oram teneret, infirmum Tuberonem applicare non permisit nec aquam haurire: quo nomine eum accusavit et Cicero defendit. E x t a t e i u s o r a t i o s a t i s p u l c h e r r i m a quae inscribitur p r o Q. L i g a r i o. Tubero doctissimus quidem habitus est iuris publici et privati, et complures utriusque operis libros reliquit, sermone etiam antiquo usus affectavit scribere, et ideo parum libri eius grati habentur.*

CVI. *M. Valerius Messala Corvinus.*

Natus est (si Hieronymo credere licet) a. u. 695 (59) C. Iulio Caesare et Bibulo consulibus. Hieronymus enim

in Eusebii Chron. Olymp. 180, 2 = a. u. 695 (59) scribit: *Messala Corvinus orator nascitur et T. Livius Patavinus scriptor historicus.* atque Clintonus in Fastis hoc testimonium verum esse affirmat; item Vossius in Virgilii Eclogas 6, 74., Bentleius in Horatii Carm. 3, 6, 20. Scaliger autem in Eusebii Chronicis p. 167 et 180 natalem Messalae annum esse 685 (69) constituit, eumque secuti sunt Ellendt p. CXXXI et Weichert Poet. lat. Rel. p. 361. Westermann p. 218. item Masson De Vita Ovidii p. 127 sqq. Schneider de Ser. Sulpicio Rufo 1. p. 62. Aliter etiam Lud. Wiese *de M. Val. Messalae Corvini vita et studiis doctrinae Berol.* 1829. 8., qui Messalam circa a. 680 (74) scribit natum p. 44. Quid ipse de ea re sentiam quaeque potior videatur opinio, postea dicemus. Diem Messalae natalem in eundem incidere diem, quo die postea apud Philippos Brutus et Cassius in proelio victi fuerint, arbitrantur nonnulli, auctoritate nitentes Plutarchi in Bruto c. 40., verum Drumannus t. 2, p. 144. demonstrat, non Messalae ibi, sed Cassii diei natalis fieri mentionem. — Fuit Athenis iuvenis, studiis deditus, a. 709 et 710 (45 et 44) (Cicero ad Attic. 12, 32. 15, 17.) XV annos natus, si Hieronymi auctoritatem sequimur. A. 711 (43) partes Bruti et Cassii secutus, a triumviris proscriptus est, sed feliciter evasit. Plut. Brutus 40. Dio Cassius 47, 11, 49, 16. Appianus Bell. Civ. 4, 38. ubi legimus *Μεσσάλας ἐπιφανὴς καὶ νέος ἐς Βροῦτον ἔφυγε.* Velleius 2, 71. *Messala fulgentissimus iuvenis, proximus in illis castris Bruti Cassiique auctoritati.* A. 712 (42) ad M. Antonium transiit, postquam Brutus et Cassius apud Philippos victi essent. Appianus Bell. Civ. 4, 38. (Velleius autem 2, 70. iam a. 712 (42) Corvinum se Octaviano tradidisse scribit.)

Anno circiter 717 (37) partes Antonii deserit, et ad Octavianum transiit. Appian B. Civ. 4, 38. Westermann p. 219. Vossius contra ad Virg. Eclog. 6, 74. et Ellendt p. CXXXIII. suspicatur, Corvinum post foedus Brundisinum a. 714 (40) ab Antonio defecisse et Augu-

stum secutum esse. A. 718 (36) ab Octaviano augur factus est. Dio 49, 16. A. 720 (34) Salassos, gentem Gallicam, domuit. Appian. Illyrica c. 17. Dio 49, 38. Drumann t. 4. p. 272. A. 723 (31) ab Octaviano Antonii loco consul factus est. Drumann t. 4. p. 281. Dio 50, 10. 47, 11. Post pugnam Actiacam, in qua acriter pro Octaviano pugnavit, (Plut. Brut. 53.) adversus Aquitanos in Galliam profectus est, eosque devicit a. 724 (30). Appian. B. Civ. 4, 38. Tibullus Eleg. 1, 7. Lelewel Etudes Numismatiques. Type Gaulois. p. 383. Deinde eodem anno 724 (30) in Asiam profectus, Ciliciam, Syriam, Aegyptum pacavit, unde reversus a. 727 (27) triumphum egit Aquitanicum. Dio. Cass. 51, 7. Appian. B. Civ. 4, 38. Dissen. ad Tibullum 1, 7. 2, 1.

A. 728 (26) ab Augusto praefectus urbi factus, abdicavit paucis post diebus, et inde otio et studiis vacabat. Tacit. Annal. 6, 11. Hieronymus in Eusebii Chron. Olymp. 188. 3. = a. 728 (26). *Messala Corvinus primus praefectus urbis factus, sexto die magistratu se abdicavit, incivilem potestatem esse contestans.*

Messala] Scaliger p. 67 adnotat: „Hoc contigit C. Furnio C. Silano coss. numero MM. Prochronismus annorum novem.“ — Scaliger igitur praefecturam Messalae anno 737 (17 a. Ch,) assignat: quod verum esse negat Wiese p. 32.

A. 766 (13 p. Chr.) mortuus est, anno aetatis septuagesimo secundo, teste Hieronymo in Eusebii Chronicis Olymp. 197. 3. Augusti 54. = a. 764. (11): *Messala Corvinus orator ante biennium quam moreretur, ita memoriam ac sensum amisit, ut vix pauca verba coniungeret* (Conf. Plin. Hist. 7, 24.) *et ad extremum ulcere sibi circa spinam sacram nato inedia se confecit anno aetatis LXXII.* Scaliger autem, qui a. 685 (69) Messalam natum putat, mortem eius in annum 757 (4 p. Ch.) retulit, quo anno LXXII annos fuerit natus. Eum secutus est Masson atque Ellendt. Zumpt in annalibus tradidit, Messalam, 70 annos natum, a. 751 (3) mortuum esse, unde constaret, eum esse natum a. 681

(73). Non multum discedit Wiese p. 44, qui anno circiter 752 diem obiisse scribit.

Probabile est, Hieronymum de anno natali errare, ut non una res ostendit. 1. Constat, Messalam adversus Ser. Sulpicium Rufum, qui a. 711 (43) diem obiit, causam egisse: illo autem anno Messala secundum Hieronymum vix sextum et decimum annum attigerat. Est autem multo magis vero simile, Messalam maiorem natu fuisse, cum eam causam agebat. 2. Velleius scribit l. 2, 70, postquam apud urbem Philippos Cassius et Brutus victi et caesi essent, milites Messalam ducem poposcisse. An est probabile, milites Messalam, qui tum secundum Hieronymum septimum et decimum annum agebat, desiderasse ut exercitui praeesset? 3. Tacitus in Dialogo c. 17. scribit, Corvinum ad medium usque Augusti principatum durasse. Quomodo id cum ratione Hieronymi convenit, qui cum a. 766, uno tantum anno ante Augustum, mortuum esse testatur? Ac ne Clintonus quidem hanc solvere potuit difficultatem: explicatio enim eius p. 273. contorta est. 4. Quintilianus 12, 11, 28. scribit, Messalam atque Asinium Pollionem iam, Cicerone tenente arcem eloquentiae, causas agere coepisse. Cicero autem a. 711 (43) diem obiit, quo anno Messala secundum Hieronymum XVI annos natus erat. Id veritati repugnare certum est. Imo Messala Asinii Pollionis prope aequalis videtur fuisse, cum a cunctis fere scriptoribus plerumque coniungantur unaque nominentur. 5. Suetonius in Tiberio c. 70. scribit, Tiberium adolescentem Messalam senem audivisse. Quomodo id convenit, cum Tiberius a. 712 esset natus, ideoque XVII tantum annis minor natu, si Messala a. 695 natus est?

Auctor Epistolarum ad Brutum (qui cliens et necessarius fuisse videtur Messalae Corvini, ut Orellius in Onomastico p. 632. tradit) lib. 1, 15. *Messalam habes. cave putes, probitate, constantia, cura, studio reipublicae quidquam illi esse simile, ut* *e l o q u e n t i a, q u a m i r a b i l i t e r e x-*

e e l l i t, vix in eo locum ad laudandum habere videatur. quamquam in hac ipsa sapientia plus apparet. ita gravi iudicio multaque arte se exercuit in verissimo genere dicendi. Tanta autem industria est tantumque evigilat in studio, ut non maxima ingenio, quod in eo summum est, gratia habenda videatur.

Horatius Sat. 1, 10, 29 et De Arte Poetica 371. Messalae Corvini mentionem facit tamquam summi illorum temporum oratoris.

Velleius 2, 36. *Iam pene supervacaneum videri potest, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat, diremtos gradibus aetatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium saneque Crassum, Catonem, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Coelium, Calvum et proximum Ciceroni Caesarem, eorumque velut alumnos C o r v i n u m ac Pollionem Asinium.*

Columella De re rustica Praefat. lib. 1. §. 30. *Nec Brutum aut Coelium Pollionemve cum M e s s a l a et Calvo deterruere ab eloquentiae studio fulmina illa Ciceronis.*

Seneca Controv. lib. 2. 12. p. 191. *Fuit Messala exactissimi ingenii in omnes quidem studiorum partes, latini utique sermonis observator diligentissimus.* Idem in Excerptis Controv. l. 3. p. 427. *Diligentissime tibi me excusarem, tamquam huic rei non essem natus, nisi scirem, et Pollionem Asinium et M e s s a l a m C o r v i n u m et Passienum, qui nunc primo loco stat, minus bene videri quam Cestium aut Latronem. Utrum ergo putas, hoc dicentium vitium esse an audientium? Non illi peius dicunt, sed hi corruptius iudicant. Pueri fere aut iuvenes scholas frequentant. hi non tantum disertissimis viris, quos paulo ante retuli, sed etiam Ciceroni Cestium suum praeferrent, nisi lapides timerent.*

Tacit. Dial. de Oratt. 12. *Nec ullus Asinii aut Messalae liber* (i. e. oratio) *tam illustris est quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes.*

Ibidem c. 17. Aper dicit: *Transeo ad latinos oratores, in quibus non Menenium, ut puto, Agrippam, qui potest videri antiquus, nostrorum temporum disertis anteponere soletis, sed Ciceronem et Caesarem et Coelium et Calvum et Brutum et Asinium et Messallam. quos quidem cur antiquis temporibus potius adscribatis quam nostris, non video. — Nam Corvinus in medium usque Augusti principatum, Asinius pene ad extremum duravit.*

Ibid. c. 18. *Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior, sic Graccho politior et ornatior Crassus, sic utroque distinctior et urbanior et altior Cicero, Cicerone mitior* ***Corvinus*** *et dulcior et in verbis magis elaboratus.*

ib. c. 20. Aper dicit: *quis nunc feret oratorem de infirmitate valetudinis suae praefantem, qualia sunt fere* ***principia Corvini?***

de infirmitate] idem dicit Quintilianus, ut infra videbimus.

ibid. c. 21. Aper dicit: *Nolo Corvinum insequi, quia nec per ipsum stetit, quo minus laetitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret. viderimus, quam iudicio eius vis aut animi aut ingenii suffecerit.*

Tacitus Annal. XI, 6. *meminissent C. Asinii et* ***Messalae*** *ac recentiorum Arruntii et Aesernini, ad summa provectos incorrupta vita et facundia.*

Quintilianus 10, 1, 113. *Messala nitidus et candidus, et quodammodo prae se ferens in dicendo nobilitatem suam: viribus minor.*

ib. 12, 10, 11. *dignitas* Messalae oratoris laudatur.

ibid. 12, 11, 28. *An Pollio et Messala, qui iam Cicerone arcem tenente eloquentiae agere coeperunt, parum in vita dignitatis habuerunt, parum ad posteros gloriae tradiderunt?*

ibid. 1, 7, 34. *An ideo minus* ***Messala nitidus****, quia quosdam totos libellos non verbis modo singulis, sed etiam literis dedit?*

ibid. 4, 1, 8. *Est quaedam in his quoque commendatio tacita, si nos infirmos et impares agentium contra ingeniis dixerimus, qualia sunt pleraque Messalae prooemia.*

Plinius in Historia Messalae non raro meminit, et, ut a ceteris Messalis distinguatur, hunc *oratorem* appellare solet veluti l. 33, 3,14. l. 35, 4, 7.

1. Oratio contra Aufidiam.

Causa hereditaria, quae anno circiter 710 (44) acta est. Pro Aufidia dixit Servius Sulpicius Rufus. Conf. *orat. Servii Sulpicii* pag. 401. Haec quoque oratio comprobat, ut supra diximus, Hieronymum in definiendo anno Messalae natali peccare.

Ellendt p. CXXXII. scribit, eam causam non modo ante necem Caesaris sed etiam ante bellum civile, id est, ante a. 705 (49) actam esse. Quod si verum est, Messala orare causas coeperat, antequam Athenas profectus erat, ut studio dicendi vacaret: Athenis enim commoratus est a. 709 et 710 (45 et 44). Westermann autem p. 210. eam a Messala a. 710 (44) dictam putat, non diu postquam ex Athenis erat reversus. Utraque opinio probabilis est: prior enim testimonio quoque Quintiliani adiuvatur, qui l. 12, 11, 28 testatur, Messalam iam, Cicerone arcem eloquentiae tenente, causas agere coepisse. Id enim vix dixisset, si Messala a. 711 demum in foro extitisset, eodem ipso anno, quo Cicero extinctus est. Wiese p. 56. nescio quo errore pro Aufidio Messallam dixisse scribit. *Aufidius*, inquit, *quis fuerit, quae eius causa, frustra quaesivi.*"

Quintil. 10, 1, 22. *Illud utilissimum, nosse eas causas, quarum orationes in manus sumserimus, et quoties continget, utrinque habitas legere actiones, ut Demosthenis atque Aeschinis inter se contrarias, et Servii Sulpicii atque Messalae, quorum alter pro Aufidia, contra dixit alter.*

2. Oratio pro Liburnia.

Eandem causam tuebatur Asinius Pollio. Huc enim referendum, quod in Quintiliano 10, 1, 23 legimus : *Quin etiam, easdem causas ut quisque egerit, utile erit scire. Nam de domo Ciceronis dixit Calidius, et pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia scripsit, et Pollio et Messala defenderunt eosdem.* De argumento causae supra diximus p. 497.

Festus p. 359. Tabem eam quae faceret tabescere, apud antiquos usurpatum. — *Corvinius pro Liburnia: propter hanc tabem atque perniciem domus totius.*

Corvinius] *Corvinum* intelligendum esse, etiam C. O. Müller approbavit, nec aliter Falster in Memoriis Obscuris p. 44. indicavit.

3. Oratio pro Pythodoro.

Argumentum incertum. An idem Pythodorus sit Trallianus, amicus Cn. Pompeii Magni, qui in bello civili a Caesare offensam expertus est, cuiusque meminit Strabo lib. 14. p. 649. atque Clinton t. 3. p. 554, quaeritur.

Seneca Controv. lib. 2. 12. p. 192. *Messala cum audisset Latronem declamantem, dixit: sua lingua disertus est. Ingenium illi concessit, sermonem obiecit. Non tulit hanc contumeliam Latro*, et *pro Pythodoro Messalae orationem disertissimam recitavit, quacum compositam suam suasoriam de Theodoto declamavit post triduum.*

Latro] de quo infra dicemus.

4. Oratio contra Antonii litteras.

Oratio dicta videtur a. 722 (32). Dio 50, 2. Cum Antonius triumvir epistolis ad senatum missis et divulgatis (v. pag. 457.) Octavianum laceraret, amicosque eius, qui ab se ad illum transierant, inter quos Messala aliique, conviciis onerasset, Messala orationem contra eum dixit vel alio quodam genere scriptorum rescripsit (commentarios historicos intelligit Wiese p. 73.) Idem fecit Asinius Pollio, ut ex eius *oratione contra maledicta Antonii* (v p. 499.) apparet.

Charisius p. 74. fretus, huius fretus. *Messala contra Antonii litteras: Angustiae fretus.*

Plinius Hist. 33, 3, 14. *Messala orator prodidit, Antonium triumvirum aureis vasis usum in omnibus obscenis desideriis, pudendo crimine etiam Cleopatrae.*

5. Oratio de Antonii statuis.

Ea a. 722. (32) dicta videtur. Cum enim Octavianus rerum potiretur, Antonius autem magis magisque famam amitteret et hostis reipublicae iudicaretur, veri simile est, aliquando in senatu deliberatum, an statuae Antonii publice collocatae deiiciendae essent. Conf. Dio Cassius l. 51, 19. Ellendt p. CXXXVII. eam post Actiacam pugnam dictam arbitratur.

Charisius p. 59. *M. Messala de Antonii statuis: Armenii regis spolia gausapae.*

6. Oratio de vectigalium Asiae constitutione.

Postquam Octavianus pugna Actiaca Antonium devicisset, Messala primum in Galliam profectus est, ut Aquitanos subigeret, deinde eodem anno 724 (30) ad Orientem componendum evocatus, continuo e Gallia in Asiam cessit (Tibullus 1, 3. 1. 7. ibiq. Dissen. Dio Cass. 51, 7. Ellendt p. CXXXIII. Westermann p. 219.) nec Romam rediit nisi a. 727 (27). Atque cum Octavianus Augustus in omnibus imperii romani provinciis novam vectigalium rationem et constitutionem inire coepisset, (Conf. Savigny über die römische Steuerverfassung p. 78. ed. Stuttgart. 1835.) Messala de vectigalibus Asiae provinciae retulisse orationemque de ea re habuisse videtur, anno opinor 727 vel 728, atque auctor fortasse constitutionis vectigalium Asiae dici potest.

Charisius p. 85. Vectigalium. *Messala De vectigalium Asiae constitutione.*

7. Oratio ad Augustum.

Sueton. Aug. 58. *Patris patriae cognomen universi repentino maximoque consensu detulerunt ei;*

prima plebs legatione Antium missa, dein, quia non recipiebat, ineunti Romae spectacula frequens et laureata, mox in curia senatus neque decreto neque acclamatione, sed per Valerium Messalam. Is mandantibus cunctis Quod bonum, inquit, faustumque sit tibi, domuique tuae, Caesar Auguste; sic enim nos perpetuam felicitatem reipublicae et laeta huic urbi precari existimamus: senatus te consentiens cum populo romano consalutat patriae patrem.

laeta huic urbi] *urbi* adiecit Oudendorp.

Ea oratio Messalae Corvino tribuitur ab Ellendtio p. CXXXIV. et Krausio De Fontibus Suetonii p. 40, sed alii potius Messalae vindicandam arbitror, cum veri simile sit, Augustum tum demum patrem patriae appellatum, postquam e vita iam decessisset Messala Corvinus vel certe propter valetudinem non amplius in senatum prodiret. Quamquam de anno, quo Augustus primum pater patriae salutatus est, dissentiunt viri docti.

Sed Eckhel De doctrina numorum t. 6. p. 112. ex lapidibus atque numis demonstravit, id accidisse a. 752 (2) Nonis Februarii Augusto XIII. et M. Plautio Silano coss. Idem testantur Clinton in Fastis ad a. 752. et Orellii Inscriptiones t. 1. n. 602. t. 2. p. 384. Fasti Consulares Baiteri ad a. 751. Kreuzer Römische Antiquitäten p. 295. Atque M. Valerium Messalam, consulem a. 751 (3), Augustum allocutum esse, satis probabiliter coniicit Perizonius in Animadv. Hist. p. 314. Wiese autem p. 34 scribit, hoc nomen Augustum anno demum 758 (5 p. Chr.) obtinuisse atque L. Valerium Messalam, consulem illius anni, orationem dixisse.

8. Oratio Hyperidis pro Phryne, in latinum versa.

Extabant multae orationes graecae, a Messala in latinum sermonem conversae. Quintil. 10, 5, 2. *Vertere graeca in latinum veteres nostri oratores optimum iudicabant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de oratore libris dicit factitasse. Id Cicero sua ipse persona frequentissime praecipit; id Messalae placuit,*

multaeque sunt ab eo scriptae ad hunc modum orationes, adeo ut etiam cum illa Hyperidis pro Phryne difficillima romanis subtilitate contenderet.

Quintil. 1, 5, 61. *Ne in A quidem atque S literas exire temere masculina graeca nomina recto casu patiebantur, ideoque et apud Caelium legimus Pelia Cincinnatus et apud Messalam Bene fecit Euthia.*

bene fecit Euthia] ex oratione Hyperidis pro Phryne sumtum, suspicatus est Kordes in additamentis ad librum Eberhardti über den Zustand der Wissenschaften bei den Römern. p. 145. Vere, opinor: Euthias enim accusator Phrynes erat. Westermann Gesch. d. griech. Beredsamk. p. 145. Harpocration s. v. Εὔθίας. Εὐθίου λόγον κατὰ Φρύνης affert Athenaeus XIII. 590 d. fragmentumque eius edidit Sauppius noster in Epistola critica ad G. Hermannum p. 162.

Incerta.

Quintil. 1, 6. 42. *Gladiola* Messala dixit.

ibid. 8, 3, 34. *Messala* primus *reatum* dixit.

reatum] *reatus* erat status et conditio reorum et sordidatorum, dum iudicium in longum procedit, reatus pro crimine, peccato est barbarorum. Bentleius ad Horat. Carm. 3, 6, 20.

Seneca Suasor. 2. p. 22. *Cognomen* vel ut Messala ait, *cognomentum.*

Marius Victor de Orthographia p. 2456. *Messala,* Brutus, Agrippa pro *sumus simus.*

simus] item Augustus teste Suetonio Octav. c. 87. *item ponit simus pro sumus.*

Scholiast. Cruquianus ad Horatii Satir. 1, 10, 28. *Pedius Publicola et Messala Corvinus a graecis vocibus ita abhorruerunt, ut Messala schoenobaten latine funambulum reddiderit ex Terentio in Hecyra.*

Seneca ludus de morte Claudii Caesaris p. 854. Divus Augustus dixit: *Confugiendum est itaque a me ad Messalae Corvini, disertissimi viri, illam sententiam* **Praecidit ius imperii.**

praecidit ius imperii] i. e. castravit et enervavit ius imperii, ut Libertus Fromondus explicat p. 967. Messala in oratione contra Antonium id dixit eumque hoc dicto in perpetuum notavit.

CVII. *Cornelius Gallus.*

Natus est a. 688 (66), eodem anno quo Horatius Flaccus, in Foro Iulii in Gallia Narbonensi. Annus natalis ex eo certus, quod Hieronymus tradidit, anno quadragesimo eum mortuum esse. Conf. Clinton Fasti ad a. 728 (26). *Völker* in *Commentatione de C. Cornelii Galli vita et scriptis Bonnae* 1840. p. 17. alios codices sequitur Hieronymi, qui anno XLIII. eum mortuum referunt, ita ut a. 685 (69) natus sit. Anno 713 (41) ab Augusto triumvir factus agris veteranis dividundis. A. 723 (31) post pugnam apud Actium in Aegyptum ad Antonium persequendum copias ducit. Dio Cass. l. 51, 9. A. 724 (30) praeficitur ab Augusto Aegypto provinciae.

Dio Cass. 51, 17. Strabo XVII. p. 819. Hieronymus in Euseb. Chron. Olymp. 187, 3 = a. u. 724. *Cleopatra et Antonius semet interficiunt et Aegyptus fit romana provincia, quam primum tenuit Cornelius Gallus, de quo Virgilius scribit in Bucolicis.* A. 728 (26) calumniatus et accusatus apud Augustum, ipse semet occidit. Dio Cass. l. 53, 23. Hieronym. ad Eusebii Chron. Ol. 188. 2. = 728 (26): *Cornelius Gallus Foroiuliensis poeta, a quo primum Aegyptum rectam supra diximus, quadragesimo aetatis suae anno propria se manu interfecit.*

Conf. Suet. Aug. 66. Ammianus Marcell. 17, 4.

1. Oratio in Alfenum.

Ea est habita a. 713 (41). Antonius et Octavianus decreverunt, ut militibus veteranis in Italia agri assignarentur. Cornelius Gallus triumvir agris dividundis fuit. Sed multae ex ea re ortae sunt lites. Cum enim veterani, quibus ager Cremonensis assignabatur, contenti non essent, sed agrum quoque Mantuanorum occupassent, Mantuani questi sunt, eorumque causam suscepit Cornelius Gallus et reum fecit Alfenum Varum, Cremonensem metatorem, qui in Mantuanos inique egerat. Conf. Drumann t. 1. p. 397 sqq. Weichert De L. Vario p. 128. Vossius ad Virg. Eclog. 6, 64. Völker De Cornelii Galli vita p. 22.

Servius in Virgilii Eclogam 9, 10. *Alii dicunt, Virgilium ostendere voluisse, quod Mantuanis per iniquitatem Alfeni Vari, qui agros divisit, praeter palustria nihil relictum sit, sicut ex oratione Cornelii in Alfenum ostenditur: Cum iussus tria milia passus a muro in diversa relinquere, ut octingentos passus aquae, quae circumdata est, admetireris, reliquisti.*

Cornelii] Felster Memor. p. 29. Cornelium Balbum, amicum Iulii Caesaris, qui historiam scripsit, intelligit. Id verum esse nego, praesertim cum constet, Corn. Gallum triumvirum agris dividundis fuisse.

millia passus] leg. *passuum*.

a muro] urbis Mantuae.

ut octingentos] *vix octingentos — circumdata est, cum admetireris, reliquisse.* Vossius. „Vossii emendatio certe est, modo ultimum vocabulum *reliquisti* non tetigisset; vel scribendum *admetiens reliquisti*: periit enim apodosis.“ Duebner.

2\. Oratio in Pollionem.

Quintilianus 1, 5, 8. *In oratione Labieni (sive illa Cornelii Galli est) in Pollionem casnar assectator e Gallia ductum est.*

Labieni] de Labieno oratore infra dicemus p. 528.

in Pollionem] i. e. in C. Asinium Pollionem, qui plus semel contra Labienum dixit. Vossius autem de historicis latinis p. 119. Asinium Gallum, Pollionis filium, intelligendum opinatur.

casnar] v. infra Labieni oratio.

Incerta.

Diomedes p. 443. ex oratione *Galli* locum attulit, sed *Calvum* ibi intelligendum et emendandum esse, in Calvo oratore adnotavimus pag. 477.

CVIII. *C. Iulius Caesar Octavianus Augustus.*

Natus est a. 691 (63) Cicerone consule. Conf. Clinton ad h. a. A. 708 (46) Caesarem, in Hispaniam profectum ad bellum contra Pompeii filios gerendum, secutus est. A. 710 (44) cum Caesar dictator occisus esset, novendecim annos erat natus, et inde ab hoc tempore civilibus rebus et bellis se immiscuit. A. 711 (43) con-

sulatum primum obtinet, vigesimum annum aetatis ingressus: triumvir reipublicae constituendae. A. 721 (33) consul iterum. A. 723 (31) consul III. A. 724 (30) quarto consulatu Antonio devicto rerum potitur. A. 767 (14 p. Chr.) sexto et septuagesimo aetatis anno decedit. Conf. Drumann t. 4. p. 245. Weichert in libro egregio, cui titulus: *Imperatoris Caesaris Augusti Scriptorum Reliquiae. Grimae* 1841. Eckhel Doctr. Num. t. 6. p. 70 sqq. Hoeck Röm. Gesch. T. 1. p. 219 sqq.

Atia mater praefuit educationi Octaviani. Tacit. De Oratorib. c. 28. *Corneliam Gracchorum, Aureliam Caesaris, Atiam Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus. quae disciplina eo pertinebat, ut nullis pravitatibus detorta uniuscuiusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas, et sive ad rem militarem sive ad iuris scientiam sive ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret, in universum hauriret.* Deinde Epidius et Apollodorus Pergamenus praeceptores eius fuere. Sueton. de cl. rhet. 4. Quintil. 3, 1, 17. Dio Cassius 45, 2. *ὁ Καῖσαρ μεγάλα ἐπ᾽ αὐτῷ* (Octavio puero) *ἐλπίσας, ἔς τε τοὺς εὐπατρίδας αὐτὸν ἐσήγαγε, καὶ ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἤσκει, καὶ πάντα ὅσα προσήκει, τῷ μέλλοντι καλῶς καὶ κατ᾽ἀξίαν τηλικοῦτον κράτος διοικήσειν, ὑπάρχειν ἀκριβῶς ἐξεπαίδευσε. λόγοις τε γὰρ ῥητορικοῖς, οὐχ ὅτι τῇ τῶν Λατίνων, ἀλλὰ καὶ τῇδε τῇ γλώττῃ ἠσκεῖτο.* Gellius testatur, Augustum Iulii Caesaris genus dicendi imitatum esse, l. 10, 24. *Divus Augustus, linguae latinae non nescius, munditiarumque patris sui in sermonibus sectator.*

Suetonius Octavian. c. 84. *Eloquentiam studiaque liberalia ab aetate prima et cupide et laboriosissime exercuit. Mutinensi bello in tanta mole rerum et legisse et scripsisse et declamasse quotidie traditur. Nam deinceps nec in senatu nec apud populum nec apud milites locutus est umquam nisi meditata et composita oratione, quamvis non deficeretur ad subita extemporali facultate. Ac ne periculum adiret me-*

moriae aut in ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia: pronunciabat dulci et proprio quodam oris sono dabatque assidue phonasco operam.

ibid. c. 86. *Genus eloquendi secutus est elegans et temperatum vitatis sententiarum ineptiis atque concinnitate et reconditorum verborum, ut ipse dicit, foetoribus, praecipuamque curam duxit, sensum animi quam apertissime exprimere. Quod quo facilius efficeret aut necubi lectorem vel auditorem turbaret, ac moraretur, nec praepositiones verbis addere nec coniunctiones saepius iterare dubitavit, quae detractae afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent. Cacozelos et antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pari fastidio sprevit.*

Sueton. de clar. rhetor. 1. *Paulatim rhetorica et ipsa utilis honestaque apparuit, multique eam et praesidii causa et gloriae appetiverunt. Cicero ad praeturam usque graece declamitavit, latine vero senior quoque et quidem cum Hirtio et Pansa. Cn. Pompeium quidam historici tradiderunt, sub ipsum civile bellum, quo facilius C. Curioni promtissimo iuveni, contradiceret, repetisse declamandi consuetudinem, M. Antonium, item* ***Augustum*** *ne Mutinensi quidem bello omisisse.*

Tacitus Annal. 13, 3. *Dictator Caesar summis oratoribus aemulus, et* ***Augusto prompta ac profluens, quae deceret principem, eloquentia fuit,*** *Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus aut consulto ambiguus.*

Aurel. Victor De Caesaribus c. 1. *Augustus doctorum, qui abunde erant, percultor, cum* ***eloquentiae studio*** *mire retineretur.*

Aurel. Victor Epit. Caes. 1, 17. *Liberalibus studiis praesertim eloquentiae in tantum incumbens, ut nullus ne in procinctu quidem laberetur dies, quin legeret, scriberet, declamaret.*

Macrobius Saturnal. 2, 4. *Augustus castigationem loquendi scribendo servabat.*

Fronto Epist. p. 181. *Postquam respublica a magistratibus annuis ad C. Caesarem, et mox ad Augustum tralata est, Caesari quidem facultatem dicendi video imperatoriam fuisse, Augustum vero seculi residui eleganter et latine, linguae etiam tum integro lepore potius quam dicendi ubertate praeditum puto. Post Augustum nonnihil reliquiarum iam et vietarum et tabescentium Tiberio illi superfuisse.*

seculi residui] legendam *Augustum seculi residua elegantia et latinae linguae etiam tum integro lepore — praeditum puto.*

1. Laudatio funebris Iuliae aviae.

Augustus orationem dixit a. 703 (51), duodecim annos natus, ut Suetonius et Quintilianus scribunt, vel novem annos natus teste Nicolao. Erat Iulia C. Iulii Caesaris soror natu minor, et mater Atiae, quae Augustum peperit.

Suetonius Aug. c. 8. *Augustus duodecimum annum agens aviam Iuliam defunctam pro concione laudavit.*

Quintilianus 12, 6, 1. *Praetextatos egisse quosdam est traditum, Caesar Augustus duodecim natus annos aviam pro rostris laudavit.*

Nicolaus Damascenus De Vita Augusti c. 3. *Καῖσαρ περὶ ἐννέα ἔτη μάλιστα γεγονὼς, θαῦμά τε οὐ μικρὸν παρέσχε Ῥωμαίοις, φύσεως ἀκρότητα δηλώσας ἐν τοιᾷδε ἡλικίᾳ, καὶ τοῖς ἀνδράσι πολὺς ἐγγίνεται θόρυβος ἐν πολλῷ ὁμίλῳ δημηγοροῦντι. Ἀποθανούσης αὐτῷ τῆς τιτθῆς παρὰ τῇ μητρὶ ἐτρέφετο.*

περὶ ἐννέα ἔτη] Cum Valesius ad Nicolaum et Gronovius ad Taciti Annal. 12, 41 huic declamatori magis credendum esse censerent quam Suetonio et Quintiliano, in Suetonio *decimum annum agens* et in Quintiliano *decem natus annos* correxerunt. Sed multo verisimilior est opinio Weicherti p. 7. Nicolaum, cum multa alia declamatorie augeret, etiam in hac re numerum ementitum esse, ut Augustum eo propensius ornaret laudaretque. Conf. Drumann t. 4. p. 245. t. 3. p. 767. sq. Ceterum dubitari potest, utrum haec laudatio sit umquam edita, an inter monumenta gentis Iuliae tantum servata.

2. Concio ad populum.

Ea est habita a. 710 (44). Augustus cum post interfectum Caesarem Romam veniret, hereditatem Caesaris, patris adoptivi, crevisset, et legata eius populo solvere cuperet, ad populum dixit, a L. Antonio tribuno plebis in concionem productus.

Cicero ad Atticum. 14, 20 et 21, 15, 2. *Exspecto, si, ut putas, L. Antonius produxit Octavium, qualis concio fuerit.* ib. 14, 21. *Exspecto Octavii concionem et, si quid aliud.* ib. 15, 2. *De Octavii concione idem sentio quod tu, ludorumque eius apparatus et Matius ac Postumius mihi procuratores non placent.* Conf. Dio Cass. l. 45, 6. Weichert p. 120. Drumann t. 1. p. 122.

3. Concio ad populum.

Ea est habita a. 710 (44), ut populum romanum sibi conciliaret eumque ab Antonio, quocum dissidere coepit, abalienaret. Appianus B. Civ. 3, 41. Dio Cass. l. 45, 12. Drumann t. 1. p. 122, 217.

Cicero ad Attic. 16, 15. *Multa mehercule a te saepe ἐν πολτικῷ genere prudenter, sed his litteris nihil prudentius. Quamquam enim post principia belle iste puer retundit Antonium, tamen exitum exspectare debemus. At quae concio! nam est missa mihi. Iurat, ita sibi parentis honores consequi liceat, et simul dextram intendit ad statuam. Μηδὲ σωθείην ὑπό γε τοιούτου.*

4. Concio ad populum.

Ea est habita a. 718 (36). Augustus devicto Sexto Pompeio postquam Romam reversus esset, in concione rerum suarum gestarum rationem reddidit. Appianus Bell. Civ. l. 5, 130. *Τῆς δ' ἐπιούσης αὐτὸς ἐβουληγόρησέ τε καὶ ἐδημηγόρησε, τὰ ἔργα καὶ τὴν πολιτείαν ἑαυτοῦ τὴν ἀπ' ἀρχῆς ἐς τότε καταλέγων καὶ τὰ εἰρημένα συγγράψας, τὸ βιβλίον ἐξέδωκε.*

Conf. Dio Cass. l. 49, 15. Drumann t. 4. p. 267. Weichert p. 122.

5. Oratio graeca Alexandriae habita.

Augustus Alexandria a. 724 (30) capta in gymnasio urbis ad cives orationem graecam dixit. Verisimile est, Augustum orationem latine formasse, Areumque philosophum in graecum vertisse sermonem. Sueton. Aug. 89. Weichert p. 123. ex eius libro haec omnia sumsimus.

Plut. v. Antonii c. 80. *Καῖσαρ εἰς τὸ γυμνάσιον εἰςελθὼν καὶ ἀναβὰς ἐπὶ βῆμά τι πεποιημένον, ἐκπεπληγμένων ὑπὸ δέους τῶν ἀνθρώπων καὶ προςπιπτόντων, ἀναστῆναι κελεύσας ἔφη πάσης αἰτίας τὸν δῆμον ἀφιέναι, πρῶτον μὲν διὰ τὸν κτίστην Ἀλέξανδρον, δεύτερον δὲ τῆς πόλεως θαυμάζων τὸ κάλλος καὶ τὸ μέγεθος, τρίτον δ' Ἀρείῳ τῷ ἑταίρῳ χαριζόμενος.* Conf. Plut. Apophthegmata T. 8. p. 169 ed. Hutt.

Dio Cass. l. 51, 16. *Τῶν Αἰγυπτίων τῶν τε Ἀλεξανδρέων πάντων ἐφείσατο, ὥστε μὴ διολέσαι τινά. πρόφασιν δὲ προὐβάλλετο, τόν τε θεὸν τὸν Σάραπιν καὶ τὸν Ἀλέξανδρον τὸν οἰκιστὴν αὐτῶν καὶ τρίτον Ἄρειον τὸν πολίτην, ᾧπου φιλοσοφοῦντί τε καὶ συνόντι οἱ ἐχρῆτο, καὶ τόν γε λόγον, δι' οὗ συνέγνω σφίσιν, ἑλληνιστὶ, ὅπως συνῶσιν αὐτοῦ, εἶπε.*

Iulianus in Epistol. ad Alexandr. 51. p. 96. ed. Heyleri. *ὁ Σεβαστὸς ἐπιδημήσας ὑμῶν τῇ πόλει καὶ πρὸς τοὺς ὑμετέρους πολίτας διαλεχθεὶς, Ἄνδρες, εἶπεν, Ἀλεξανδρεῖς, ἀφίημι τὴν πόλιν αἰτίας πάσης αἰδοῖ τοῦ μεγάλου θεοῦ Σαράπιδος, αὐτοῦ τε ἕνεκα τοῦ δήμου καὶ τοῦ μεγέθους τῆς πόλεως. αἰτία δέ μοι τρίτη τῆς εἰς ὑμᾶς εὐνοίας ἐστὶ καὶ ὁ ἑταῖρος Ἄρειος.*

6. Laudatio funebris M. Claudii Marcelli.

Ea est habita a. 731 (23), quo anno Marcellus, sororis Augusti Octaviae filius, heres virtutum matris, propterea que ab Augusto adoptatus, obiit. Conf. Drumann t. 4. p. 235. 243. t. 2. p. 402. Virg. Aen. 6, 861-887. Propert. 3, 18. Dio Cassius 53, 30. *Τὸν Μάρκελλον ὁ Αὔγουστος δημοσίᾳ τε ἔθαψεν, ἐπαινέσας ὥςπερ εἴθιστο.*

Servius in Virgilii Aeneidem 1, 712. ***Pesti devota***

futurae] — *Devota de oratione Augusti translata est locutio, quam habuit in laudatione funeris Marcelli, cum diceret, illum immaturae morti devotum fuisse.*

Plutarch. Marcell. 30. refert, alios auctores scribere, Hannibalem ossa et cinerem M. Claudii Marcelli per insidias interemti (proavi Marcelli, Augusti nepotis) Marcello filio per nuncios tradidisse, alios vero id negare. *ταῦτα μὲν οὖν οἱ περὶ Κορνήλιον Νέπωτα καὶ Οὐαλέριον Μάξιμον ἱστορήκασι, Λίβιος δὲ καὶ Καῖσαρ ὁ Σεβαστὸς κομισθῆναι τὴν ὑδρίαν πρὸς τὸν υἱὸν εἰρήκασι καὶ ταφῆναι λαμπρῶς.*

Καῖσαρ ὁ Σεβαστὸς] in laudatione funebri Marcelli nepotis id Augustum retulisse, Heeren de Fontibus Plutarchi p. 124 suspicatur.

Plut. Compar. Pelopidae cum Marcello c. 1. *Ἀννίβαν Μάρκελλος, ὡς μὲν οἱ περὶ Πολύβιον λέγουσιν, οὐδ᾽ ἅπαξ ἐνίκησεν, ἀλλ᾽ ἀήττητος ὁ ἀνὴρ δοκεῖ διαγενέσθαι μέχρι Σκηπίωνος, ἡμεῖς δὲ Λιβίῳ, Καίσαρι καὶ Νέπωτι πιστεύομεν, ἥττας τινὰς καὶ τροπὰς ὑπὸ Μαρκέλλου τῶν σὺν Ἀννίβᾳ γενέσθαι.*

Καίσαρι] in eadem laudatione funebri Marcelli.

7. Laudatio funebris M. Agrippae.

Ea est habita a. 742 (12), quo anno M. Agrippa, Augusti gener, rebus pace belloque gestis maxime insignis, decessit. Conf. M. Vipsanius Agrippa von Frandsen p. 239. Dio Cass. l. 54, 28. *Αὔγουστος τὸν λόγον τὸν ἐπ᾽ αὐτοῦ εἶπε.*

8. Laudatio funebris Octaviae sororis.

Ea est habita a. 743 (11). Dubitatur, utrum Octavia maior an Octavia minor sit intelligenda. Weichert p. 118. arbitratur, Dionem de Octavia maiore loqui, Drumann t. 4. p. 244. Octaviam minorem illo anno defunctam iudicat.

Dio Cass. 54, 35. *ἐν δὲ τῷ ἔτει ἐκείνῳ Αὔγουστος αὐτὸς τὸν ἐπιτάφιον εἶπε, καὶ Δροῦσος ἐπὶ τοῦ βήματος.*

Sueton. Aug. 61. *Matrem amisit in primo consulatu, sororem Octaviam amisit quinquagesimum et quartum agens aetatis annum. Utrique cum praecipua officia vivae praestitisset, etiam defunctae honores maximos tribuit.*

Sororem Octaviam] dubium est, an Suetonius de eadem Octavia loquatur, cuins Dio facit mentionem. Dio enim dicit, Octaviam mortuam esse a. 743 (11): Suetonius autem testis est, Octaviam sororem defunctam, cum Augustus annum LIV. agebat, i. e. a. 745 (9), unde Weichert colligit, alteram Octaviam maiorem a. 743, alteram Octaviam minorem a. 745 mortuam. Clinton vero in Fastis a. 743 scribit, vitium esse in codicibus Suetonii: *perhaps an error of the transcriber LIIII for LIII.* Atque Drumannus t. 4. p. 237. ipsi Suetonio errorem tribuit.

9. Laudatio funebris Neronis Claudii Drusi.

Ea est dicta a. 745 (9). Nero Claudius Drusus, Tiberii Claudii Neronis et Liviae filius, Augusti privignus, in Germania mortuus est. Velleius 2, 97. Drum. t. 2. p. 183.

Suetonius Claudio c. 1. *Augustus tanto opere Drusum et vivum dilexit, ut coheredem semper filiis instituerit, sicut quondam in senatu professus est, et defunctum ita pro concione laudavit, ut deos precatus sit, similes ei Caesares suos facerent, sibique tam honestum quandoque exitum darent quam illi dedissent. Nec contentus elogium tumulo eius versibus a se compositis exsculpsisse, etiam vitae memoriam prosa oratione composuit.*

Livius Epit. lib. 140. *Drusus mortuus est. Laudatus est a Caesare Augusto vitrico et supremis eius plures honores additi.*

Ovidii (sive potius incerti Auctoris) Consolatio ad Liviam Augustam de morte Drusi filii v. 209:

Et voce et lacrimis laudasti, Caesar, alumnum,
tristia cum medius rumperet orsa dolor.
Tu letum optasti, dis aversantibus omen,
par tibi, si sinerent te tua fata mori.

Dio Cassius 55, 2. διπλοῦς ὁ ἐπιτάφιος ἐλέχθη. ὅ, τε γὰρ Τιβέριος ἐνταῦθα αὐτὸν (Δροῦσον) ἐπήνεσε καὶ ὁ Αὔγουστος ἐν τῷ Φλαμινίῳ ἱπποδρόμῳ.

10. Oratio in senatu habita.

A. 757 (4 p. Ch.). Augustus Tiberio a. 748 tribuniciam potestatem in quinquennium contulerat, deinde a. 757 iterum senatum rogavit, ut eidem tribunicia potestas in decennium daretur.

Tacitus Annal. 1. 10. *Augustus paucis ante annis, cum Tiberio tribuniciam potestatem a patribus rursum postularet, quamquam honora oratione quaedam de habitu cultuque et institutis eius iecerat, quae velut excusando exprobraret.*

Sueton. Tiberius 68. *Quae omnia ingrata atque arrogantiae plena et animadvertit Augustus in eo, et excusare tentavit saepe apud senatum ac populum, professus naturae vitia esse, non animi.*

Ceteras Augusti orationes, vel Appiani vel Dionis Cassii insertas historiis, praetermisi, quia ab Appiano atque Dione sunt fictae.

CIX. *M. Vipsanius Agrippa.*

Natus est a. 691 (63), eodem anno quo Augustus. Praetor a. 714 (40). Consul anno 717 (37). Aedilis anno 721 (33). Consul iterum atque censor anno 726 (28). Consul tertium a. 727 (27). Praefectus urbi a. 733 (21). Tribuniciam potestatem adeptus est a. 736 (18) eamque usque ad mortem obtinuit. Mortuus est a. 742 (12), anno aetatis quinquagesimo uno. Plinius Hist. 7, 8, 6. Augustus orationem funebrem dixit, ut supra memoravimus. Conf. *M. Vipsanius Agrippa. Eine historische Untersuchung über dessen Leben und Wirken. Von D. Frandsen.* Altona 1836. Atque *Weichert* Imp. Caesaris Augusti Reliquiae F. 1. p. 81.

1. Oratio contra C. Cassium.

Acta est causa a. 711 (43). Caesar Octavianus in primo consulatu a. 711 (43) quaestionem instituit de interfectoribus C. Iulii Caesaris: M. Agrippa accusationem

Cassii, L. Cornificius accusationem Bruti suscepit. Nec Agrippa solus causam egit, sed Capito. Ateius subscriptor fuit. Conf. Frandsen p. 32.

Plut. Bruto 27. *Ὁ νέος Καῖσαρ εὐθὺς δίκας φόνου κατὰ τῶν περὶ τὸν Βροῦτον εἰςῆγεν, ὡς ἄνδρα πρῶτον ἐν ἀρχαῖς ταῖς μεγίσταις ἀνῃρηκότων ἄκριτον, καὶ κατήγορον ἐπέστησε Βρούτου μὲν Λεύκιον Κορνιφίκιον, Κασσίου δὲ Μάρκον Ἀγρίππαν. ὠφλίσκανον οὖν τὰς δίκας ἐρήμας, ἀναγκαζομένων φέρειν ψῆφον τῶν δικαστῶν.*

Velleius 2, 69. *Lege Pedia, quam consul Pedius, collega Caesaris, tulerat, omnibus, qui Caesarem patrem interfecerant, aqua ignique damnatis interdictum erat. Quo tempore Capito, patruus meus, vir ordinis senatorii, Agrippae subscripsit in C. Cassium.*

Agrippae subscripsit] Agrippa Cassium reum fecit, eumque in causa agenda adiuvit C. Ateius Capito.

2. Oratio pro . . .

Seneca Controv. l. 2. p. 295. *Tanta sub divo Augusto libertas fuit, ut praepotenti tunc M. Agrippae non defuerint, qui ignobilitatem exprobrarent. Vipsanius Agrippa fuerat. Vipsanii nomen quasi argumentum paternae humilitatis sustulerat, et M. Agrippa dicebatur. Cum defenderet reum, fuit accusator, qui diceret M. Agrippam, et quod in medium est, volebat Vipsanium intelligi.*

reum] Vipsanium quendam, hominem obscurum.

3. Oratio aedilicia de tabulis signisque publicandis.

Agrippa aedilis curulis a. 721 (33) hanc orationem dixit, qua Romanos adhortatus est, ut signa tabulasque potius publicarent, sive in templis, foris, basilicis in publicum usum statuerent quam in villis absconderent. Constat Agrippam ultro suscepto aedilitatis honore et onere partim publico, partim privato sumtu urbem pulcherrimis ornavisse operibus. Seneca de Beneficiis 3, 32. *Agrippa tot in urbe maxima opera excitavit, quae et priorem magnificentiam vincerent, et nulla*

postea vincerentur. Conf. Visconti Iconografia Romana t. 2. p. 267. Bunsen Beschreibung von Rom. T. 1. p. 163 sqq. Frandsen p. 62. Plin. Hist. 36, 15. Dio Cass. 49, 43. 54, 29.

Plinius Hist. 35, 4, 9. *Sed praecipuam auctoritatem tabulis publice fecit Caesar dictator, post eum M. Agrippa, vir rusticitati propior quam deliciis. Extat certe eius oratio magnifica et maximo civium digna de tabulis omnibus signisque publicandis, quod fieri satius fuisset quam in villarum exilia pelli.*

oratio] v. Frandsen p. 176. 201.

Incerta.

Marii Victorini Artis grammat. 1. p. 2456. *Messala, Brutus, Agrippa* pro sumus *simus.*

Legimus apud Dionem Cassium l. 52. 2-11. orationem Agrippae de principatu Augusti, quae tota ex Dionis fluxit ingenio, ut Frandsen quoque p. 13-26. et Hoeck Röm. Gesch. t. 1. p. 318. iudicat.

CX. *Q. Haterius.*

Natus a. 687 (67), mortuus est a. 777 (25 p. Chr.) prope nonagenarius, teste Hieronymo ad Eusebii Chron. Olymp. CC. a. M. MMXL. a. XI. imperii Tiberii a. XXV. p. Chr. = a. 777. (25 p. Ch.): *Q. Haterius promptus et popularis orator usque ad nonagesimum prope annum in summo honore consenescit.* Tacitus autem tradit in annalibus 4, 61., Q. Haterium extinctum a. 779 (26 p. Ch.), unde a. 689 (65) natum esse constat.

An magistratus obtinuerit in republica et quos quibusque annis, incertum est. Consulatum eum sub Augusto gessisse, A. Schottus in opere Pighii t. 3. p. 544 suspicatur, nec tamen certum extat indicium.

Seneca Excerpta Controv. l. IV. praef. p. 443. *Declamabat Haterius admisso populo ex tempore. Solus omnium romanorum, quos meo tempore cognovi, in latinam linguam transtulit graecam facilitatem. Tanta*

illi erat velocitas orationis, ut vitium fieret. Itaque divus Augustus optime dixit: Haterius noster sufflaminandus est. adeo non currere sed decurrere videbatur. nec verborum tantum illi copia, sed etiam rerum erat: quoties velles, eandem rem et, quam diu velles, diceret aliis toties figuris, aliis tractationibus, ita ut nec regi posset nec consumi. Regi autem ab ipso non poterat, alioquin libertum habebat, cui pareret, et sic ibat, quomodo ille aut concitaverat eum aut refrenaverat. Iubebat eum transire, cum aliquem diu locum dixerat: transibat; insistere iubebat, eodem loco permanebat; iubebat epilogum dicere; dicebat; habebat in sua potestate ingenium, in aliena modum. — — Multa erant quae reprehenderes, multa quae suspiceres. Cum torrentis modo magnus quidem, sed turbidus flueret: redimebat tamen vitia virtutibus, et plus habebat quod laudares quam quod ignosceres.

sufflaminandus est] i. e. man muss dem Haterius den Hemmschuh unterlegen. Weichert Imp. Caes. Augusti Reliqu. Comment. 2. p. 40. Idem refert Hieronymus Epist. ad Pammachium 61. *Q. Haterius, qui ingenium in numerato habebat, ut sine monitore tacere non posset, de quo egregie Caesar Augustus: Q., inquit, noster sufflaminandus est.*

Seneca Controv. l. 4. 29. p. 342. *Haterius promisit oratorem et praestitit.*

Seneca Epist. 40. *Q. Haterii cursum, suis temporibus oratoris celeberrimi, longe abesse ab homine sano volo: numquam dubitavit, numquam intermisit, semel incipiebat, semel desinebat.*

cursum] i. e. velocitatem orationis. Seneca Controv. l. 1. 6. p. 126. *Q. Haterius coepit subito, quo solebat, cursu orationis fervere.*

Eum in summo honore fuisse, ut Hieronymus dicit, luculentum dedit ipse Tiberius imperator documentum, qui aliquando dissentiens in curia ab eo, *Ignoscas,* inquit, *rogo, si quid adversus te, Q. Hateri, liberius sicut senator dixero.* Suet. Tib. 29.

Orationes Haterium posteritati mandavisse, mox patebit. Sed nihil videtur superesse reliquiarum.

Tacitus in annalibus 4, 61. *Fine anni excessere insignes viri Asinius Agrippa et Q. Haterius, familia senatoria, eloquentiae quoad vixit celebratae. monumenta ingenii eius haud perinde retinentur. scilicet impetu magis quam cura vigebat, utque aliorum meditatio et labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud et profluens cum ipso simul extinctum est.*

monumenta] orationes intelligo, quas Haterius ediderat.
retinentur] aestimantur, in pretio sunt. orationes eius summa admiratione audiebantur, legentibus autem taedio fuere.

Extant apud M. Senecam excerpta declamationum Haterii.

CXI. *Torquatus.*

Unus tantum locus extat, ex quo Torquatum orationem pro Moscho rhetore reliquisse discimus. Ad eum enim Horatius Epistol. lib. 1, 5, 8 haec scribit:

> *Mitte leves spes et certamina divitiarum*
> *et Moschi causam: cras nato Caesare festus*
> *dat veniam somnumque dies, impune licebit*
> *Aestivam sermone benigno tendere noctem.*

atque Scholiasta Cruquianus in Auctario p. 692. Horatii verba sic illustrat: *Moschus hic Pergamenus rhetor fuit notissimus, reus veneficii fuit, cuius causam exprimit. hanc oratores egerunt Torquatus hic, de quo nunc dicit, cuius extat oratio, et Asinius Pollio.* Hanc causam a. 733 (21) Actam, supra diximus pag. 493. Alii hunc Torquatum opinantur esse L. Manlium Torquatum, Torquati, qui consul fuit a. 689 (65), filium. Quae opinio falsa est, propterea quod hic Torquatus anno 707 (47) interiit (Hirtius de bell. Africano c. 96), epistola autem Horatii non ante annum 733 (21) scripta est. Alii nepotem L. Manlii Torquati consulis a. 689 (65) intelligendum arbitrantur. Sed cum eius apud nullum scriptorem facta sit mentio, imo fictus esse videatur, multo sane libentius amplector Weichertii opinionem *De Cassio Parmensi* p. 310, qui

C. Nonium Asprenatem Torquatum accipiendum docet, nec ego solum, sed Orellius quoque in Horatio t. 1. p. 484. auctoritatem viri doctissimi secutus est. Omnia igitur, quae in editione priore de L. Manlio Torquato scripseram, delenda censeo. Nonius Asprenas Torquatus, familiaritate usus Augusti (Suet. Aug. 43. 56.) consul suffectus putatur a. 748 (6). Weichert p. 303. Orellius in Horatii Carm. IV. 7. p. 484.

2. Oratio pro se contra Cassium Severum.

Acta est causa a. 745 (9). Conf. oratio *Asinii Pollionis pro Nonio Asprenate* pag. 492. *et Cassii Severi*, de quo infra dicemus, atque Weichert De Cassio Parmensi p. 303 et 313.

CXII. *T. Atius Labienus.*

Oriundus ex Gallia, ut Völker in Comment. de C. Cornelio Gallo P. 1. p. 14. suspicatur. Incertum, an Labieni, qui a Caesare bello civili ad Pompeium transiit (Dio Cass. 41, 4.), filius neposve fuerit. Nepotem eum esse, Faber ad Senecae Controv. l. 5. p. 349 et Schottus in libro *de clar. rhett. apud Senecam* dicunt, verum nihil definiri posse arbitratur Weichert De Cassio Parmensi p. 319. Mortuus est a. 765 (12) extremo Augusti principatu, ut infra ostendemus. Conf. Bentleius ad Hor. Serm. 1, 3, 82. Weichert l. l. p. 323. Scripsit historiam belli civilis, odio erga Caesarem et Augustum repletam, quam Augustus comburendam iussit. Erat amicus T. Cassii Severi, inimicus Asinii Pollionis, ut ex orationibus suis apparet.

Seneca Controv. l. 5. p. 349. *De Labieno interrogatis? Declamavit non quidem populo sed egregie. Non admittebat populum, et quia nondum haec consuetudo erat inducta et quia putabat turpe ac frivolae iactationis. Affectabat imo censorium supercilium, cum alius animo esset. Magnus orator, qui per multa impedimenta eluctatus, ad famam ingenii confitentibus magis hominibus pervenerat quam vo-*

lentibus. Summa egestas erat, summa infamia, summum odium: magna autem debet esse eloquentia, quae invitis placeat. Nemo erat, quin, cum homini omnia obiecerat, ingenio multum tribueret. Color orationis antiquae, vigor novae; cultus inter nostrum ac prius seculum medius, ut illum posset utraque pars sibi vindicare; libertas tanta, ut libertatis nomen excederet, et quia passim ordines hominesque laniabat, Rabienus vocaretur. Animus per vitia ingens et ad similitudinem ingenii sui violentus, et qui Pompeianos spiritus nondum in tanta pace posuisset. In hunc primum excogitata est nova poena: effectum est enim per inimicos, ut omnes eius libri incenderentur. Res nova et insueta, supplicia de studiis sumi. Bono hercle publico ista in poenas ingeniosa crudelitas post Ciceronem inventa est. Eo seculo ista ingeniorum supplicia coeperunt, quo et ingenia desierunt. Non tulit hanc Labienus contumeliam nec superstes esse suo ingenio voluit, sed in monumenta se maiorum suorum ferri iussit atque ita includi: non finivit tantum se ipse, sed etiam sepelivit. Cassii Severi, hominis Labieno iunctissimi, belle dicta res ferebatur. Illo tempore quo libri Labieni ex senatus consulto urebantur, Nunc me, inquit, vivum uri oportet, qui illos edidici.

haec consuetudo] consuetudo declamandi coram populo non ante medium Augusti principatum oriri coepit. Etiam Asinius Pollio populum admittere noluit. Conf. Thorbecke De Asinio Pollione p. 99.

medius] dicendi eius genus referebat et illud seculum, quo Cicero princeps fuit, et sequens, quo Cassius Severus potissimum excelluit et dux habitus est.

in tanta pace] inde ab anno 724 (30) bella civilia finita, nec tamen Labienus odium, quo velut Pompeianus in adolescentia arserat, per longam pacem imperii Augusti finivit.

eo seculo] Seneca Praef. Controv. *p.* 65. *Quicquid Romana facundia habet, circa Ciceronem effloruit. omnia ingenia, quae lucem eloquentiae attulerunt, tunc nata sunt.*

illo tempore] Libros Labieni Germanico consule a. 765 (12) publice

combustos arbitror. Huc enim referendum censeo, quod inter res in annum 765 (12) relatas de Augusto tradit Dio Cassius 56, 27. *μαθὼν ὅτι βιβλία ἄττα ὑφ' ὕβρει τινῶν συγγράφοιτο, ζήτησιν αὐτῶν ἐποιήσατο καὶ ἐκεῖνα τε τὰ μὲν ἐν τῇ πόλει εὑρεθέντα πρὸς τῶν ἀγορανόμων, τὰ δὲ ἔξω πρὸς τῶν ἑκαστοχόθι ἀρχόντων κατέφλεξε καὶ τῶν συνθέντων αὐτὰ ἐκόλασε τινάς.* Inter eos Labienum et Cassium Severum fuisse suspicor, unde probabile est, Labienum a. 765 (12) extinctum, atque Cassium Severum in exilium missum (modo Dio Cassius verum iustumque rerum ordinem sit secutus).

Seneca Exc. Controv. 4. p. 440. *Labienus homo mentis quam linguae amarioris.*

1. Oratio pro Figulo contra heredes Urbiniae.

Acta est causa mediis Augusti temporibus. Conf. *orationem Asinii* Pollionis, qui pro heredibus Urbiniae dixit, pag. 495.

2. Oratio in Pollionem.

Argumentum incertum. Dubitari potest, an haec oratio eadem fuerit cum superiore. Sed duas diversas esse arbitror, nec aliter sentit Bondam in Variis Lect. p. 374.

Quintil. 1, 5, 8. In *oratione Labieni* (sive illa Cornelii Galli est) *in Pollionem* casnar assectator e Gallia ductum est.

Cornelii Galli] (v. p. 514.) Bondam scribit: Effectum est per inimicos, ut omnes libri Labieni ex s. c. incenderentur: quae etiam causa esse potuit, ut oratio eius in Pollionem, quae igni superfuit, veri auctoris nomine vel in eius odium deleto vel alias ob causas non addito, postea Cornelio Gallo a quibusdam adscribi coeperit.

in Pollionem] i. e. in Asinium Pollionem oratorem; nec aliter Bondam et Thorbecke p. 74. iudicant. Vossius contra de historicis latinis p. 119. C. Asinium Gallum, C. Asinii Pollionis filium intelligendum existimat.

Casnar] Labienus Asinium Pollionem contumeliose *Casnar* appellavit i. e. assectatorem, parasitum vel scurram Caesaris Augusti: ipse enim Pompeianus, Asinius autem Caesarianus fuerat. Vocabulum optime illustrat Glossarium Gallicum (Glossaire de la langue Romaine par I. B. B. Roquefort t. 1. p. 217. Paris 1808): *Casnard* flat-

teur, adulateur. *Casnarder* aduler, idolatrer. Nec huc vocandum Oscum vocabulum, simile sonans, cuius meminit Varro et Doederlein Latein. Synonyme Beilage. S. 35. Ceterum Völker *De C. Cornelio Gallo* P. 1. p. 14. ex eo, quod Labienus Gallico vocabulo usus est, colligendum putat, ipsum ex Gallia oriundum fuisse, sicuti etiam reliqui scriptores, quorum Quintilianus facit mentionem, peregrinis utentes vocabulis, ex iis regionibus orti sunt, quibus illa propria erant.

3. Oratio contra Bathyllum, Maecenatis libertum.

Labienus Bathyllum pantomimum (Lipsius in Taciti Annal. 1, 54. Dio Cass. 54, 17. Grysar Rheinisch. Mus. 1833. 1. H. p. 76. Weichert de Caesare Aug. Comm. 2 p. 49.) nescio quo crimine reum fecerat: Gallio (de quo infra sermo erit p. 543.) ei respondit orationemque pro Bathyllo rescripsit.

Seneca Controv. 1. 5. p. 351. *Monstrabo vobis bellum libellum, quem a Gallione vestro petatis. Recitabit rescriptum Labieno pro Bathyllo Maecenatis, in quo suspicietis adolescentis animum, illos dentes ad mordendum provocantis.*

pro Bathyllo] in edit. priore erravi, cum dicerem, Labienum pro Bathyllo orationem habuisse: Labienus enim contra eum scripsit, eiusque causam defendit Gallio. Causa erroris ex ambiguitate verborum Senecae exorta est.

CXIII. *Passienus pater.*

Passienus pater et filius, oratores ambo, probe distinguendi sunt: id quod nec ab aliis adhuc nec a me in priore editione factum est. Passienus pater aequalis fere Porcii Latronis et Marci Senecae rhetoris (quem a. 693 (61) natum scribit Clinton ad a. 750.), et natus esse videtur circa annum 690 (64). Mortuus est a. 744 (10 a. Chr.) teste Hieronymo in Eusebii Chron. Olymp. 192. 3. Augusti 34. = 744 (10). *Passienus pater, declamator insignis, diem obiit.*

Seneca Controv. 13. p. 204. *Passienus, vir eloquentissimus et temporis sui primus orator, hanc subtilitatem actionis non probabat in Latrone.*

Seneca Exc. Controv. lib. 3. p. 426. Cassius Se-

verus dicit: *Passienus noster cum coepit dicere, secundum principium statim fuga fit, ad epilogum omnes revertuntur. Media tantum, quibus necesse est, audiunt. Miraris, eundem non aeque bene declamare quam causam agere, aut eundem non tam bene suasorias quam iudiciales controversias dicere.* Deinde idem *Cassius Severus* dicit: *Diligentissime tibi me excusarem, tamquam huic rei non essem natus, nisi scirem, et Pollionem Asinium et Messalam Corvinum et P a s s i e n u m, qui nunc primo loco stat, minus bene videri quam Cestium aut Latronem.*

nunc primo loco] Cassius Severus viginti fere annis natu minor erat quam Passienus.

Passienus tanti nominis fuit, ut, cum Augustus Asinium Pollionem ipsi commendaret, Pollio ingenue fassus sit, ideo tanti viri gratiam amplecti se nolle, ne eius claritudine ac splendore ipsius fama propius admota extingueretur. Seneca Controv. l. 5. p. 392. *Asinius Pollio cum commendaretur a Caesare P a s s i e n o, nec curaret, interroganti, quare non amplecteretur tanti viri gratiam, ἡλίου, inquit, καίοντος λύχνον οὐχ ἅπτω.* nec assentior Thorbeckio, qui scribit p. 102., Asinium Passieni gratiae commendatum fuisse ab imperatore credibile non esse.

Seneca Controv. l. 5. p. 352. *Nulli non impressit aliquid Oscus, quod effugere non posset. Ille Passieno, prima eius syllaba graecum imitata, obscenum nomen imposuit, declamatori subtili nec arido.*

nec arido] Schultingii coniecturam sum secutus.

Velleius 2, 116. *Vibius Postumus, vir consularis, praepositus Delmatiae, ornamenta meruit triumphalia, quem honorem ante paucos annos P a s s i e n u s et Cossus, viri quibusdam diversis virtutibus celebres, in Africa meruerant.*

Passienus] id ad Passienum patrem pertinere, dicit Lipsius in Excursu ad Taciti Annal. 12, 6. Alii vero (Burmannus et Kranse) ad L. Passienum Rufum, consulem a. 749 (4) referunt.

M. Seneca rhetor Passieni patris tantum, non filii, meminit, nec filium tum, cum iam eloquentia eius celebrabatur, novisse poterat: Passienus enim filius tum demum oratoris nomen meruit, cum M. Seneca librum suum iam confecisset, nec tam diu omnino vixit Seneca, ut illius cognosceret facundiam. Aliter sentit Spaldingius, qui ad Quintil. 6, 1, 50 dicit, nonnisi Passienum filium a Seneca patre laudari. Quintilianum vero numquam Passienum patrem commemorare arbitror, sed filium ab eo laudatum existimo. Ceterum orationum Passieni patris nullum extat adhuc vestigium, actiones autem filii Quintilianus legit, et illa aetate vehementer laudabantur.

CXIV. *Passienus Crispus, filius.*

Nominatur a Spaldingio ad Quintil. 6, 1, 50. *C. Vibius Crispus Passienus* nescio quo iure. De Passieno patre antea locuti sumus. Passienus filius diem obiit a. 791 (39 p. C.) Caligula imperante, ut refert Hieronymus ad Eusebii Chron. Olymp. 204. Caligulae 2. Christi 39.= 791 u. c. *Passienus filius fraude heredis suae necatur* (i. e. fraude Agrippinae uxoris, ut Scholiasta Iuvenalis ad Sat. 4. 81. (quem locum mox afferemus) demonstrat). Sed errare Hieronymum, et Schott De claris ap. Sen. rhetoribus et Spalding ad Quintil. 6, 1, 50. iudicat, qui scribit, Passienum mortuum sub Claudio imperatore, eiusque rei testem esse Suetonium in Nerone 6. *Verum Claudio imperium adepto, Nero non solum paternas opes recuperavit, sed et Crispi Passieni, vitrici sui, hereditate ditatus est.* Apparet enim ex hoc loco, Passienum adhuc vixisse, cum Claudius imperium iniret a. 794 (41). Atque extat etiam Senecae philosophi locus, ex quo patet, Passienum non ante Claudii principatum e vita decessisse: De Beneficiis 1, 15. *Crispus Passienus solebat dicere, quorundam se iudicium malle quam beneficium, quorundam beneficium malle quam iudicium, et subiiciebat exempla. Malo, inquit, Divi Augusti iudicium, malo Claudii beneficium.*

Plinius Hist. Nat. 16, 44, 91. *Est in suburbano Tusculani agri colle lucus antiqua religione Dianae sacratus a Latio velut arte tonsili coma fagei nemoris. In hoc arborem eximiam aetate nostra adamavit Passienus Crispus bis consul, orator, Agrippinae matrimonio et Nerone privigno clarior postea, osculari complectique eam solitus, modo cubare sub ea vinumque illi affundere.*

aetate nostra] aetate ipsius Plinii, qui natus a. 775 (23 p. Ch.) extinctus est a. 831 (79).

bis consul] fasti consulares silent. nec coniecturae virorum doctorum, ut Ryckii ad Tacit. Annal. 6, 20, 2. certae, imo falsae.

Agrippinae] quae postea Claudio imperatori nupsit a. 802 (49). Tac. Annal. 12, 6. Eckhel Doctrina Numorum T. 6. p. 255.

Nerone privigno] unde *Crispus Passienus* vitricus Neronis dicitur. Suet. Nero. 6.

Scholiasta Iuvenalis 4, 81. *Venit et Crispi iucunda senectus. Crispus, inquit, municeps Viselliensis, tirocinio suo in senatu ita coepit „Patres conscripti et tu Caesar", propter quod simul oratione plenissime a Tiberio collaudatus, plurimas sponte causas apud centumviros egit, pro qua re in basilica Iulia eius statua posita est. Consulatus duos gessit, uxores habuit duas, primam Domitiam, deinde Agrippinam, illam amitam, hanc matrem Neronis Caesaris. possedit bis mille sestertia. Omnium principum gratiam adpetivit, sed praecipue Caesaris, quem iter facientem secutus est pedibus. Hic nullo audiente a Nerone interrogatus, haberetne, sicut ipse, cum sorore germana consuetudinem? nondum, inquit, quantumvis decenter et caute. ne aut negando eum argueret, aut adsentiendo semet mendacio dehonestaret. Periit per fraudem Agrippinae, quam heredem reliquerat, et funere publico elatus est.*

Crispi] Iuvenalis *Vibium Crispum* intelligit, de quo infra dicemus, scholiasta autem, errore deceptus, Crispum Passienum huc traxit. Omnia enim, quae de Crispo hoc loco refert, ad Passienum filium pertinent, non ad Vibium Crispum. Conf. Lipsius in Exc. ad Tacit. Annal. 12. 6.

municeps Visellensis] id municipium mihi ignotum. Quod si autem Vibius Crispus intelligendus esset, *municeps Vercellensis* verum esset, ut ex Tacito in Dialogo c. 8. apparet.

Caesaris] *Cai Caesaris* Lipsius.

a Nerone] scribere debebat *a Gaio*. Lipsius.

Eiusdem Passieni meminit Tacitus Annal. 6, 20. *Sub idem tempus Caius Caesar, discedenti Capreas avo comes, Claudiam M. Silani filiam coniugio accepit, immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exilio fratrum rupta voce; qualem diem Tiberius induisset, pari habitu, haud multum distantibus verbis. unde mox scitum* ***Passieni oratoris*** *dictum percrebuit, neque meliorem umquam servum nec deteriorem dominum fuisse.*

dictum] id de Caligula dixerat Passienus a. 786 (33).

Seneca Nat. Quaest. 4. Praef. ***Crispus Passienus***, *quo ego nil cognovi subtilius in omnibus rebus, maxime in distringuendis et curandis vitiis, saepe dicebat, adulationi nos opponere, non claudere ostium.*

adulationi] de lectione loci v. Lipsius ad Taciti Annal. 12, 6.

quo ego nil cognovi] L. Seneca philosophus de Passieno filio loquitur, nam Passienum patrem non cognoverat: hic enim a. 744 (10) mortuus, Seneca autem a. 747 (7) natus est, ut Clinton ad a. 750. indicat. Eiusdem Passieni meminit Plinius in Epist. 7, 6, 11.

Eiusdem extant Senecae epigrammata duo in Crispum, quem Passienum Crispum esse verisimile est, in anthologia latina T. 1. p. 48. ed. meae; quorum alterum hoc est:

Crispe, meae vires lassarumque anchora rerum,
  Crispe, vel antiquo conspiciende foro,
Crispe, potens numquam, nisi cum prodesse volebas,
  naufragio littus tutaque terra meo.
Solus honor nostris arx et tutissima rebus
  et nunc adflicto sola quies animo,
Crispe, fides dulcis Latiique acerrima virtus,
  cuius Cecropio pectora melle madent:
maxima facundo vel avo vel gloria patri:

quo solo careat si quis, in exilio est.
En hic, qui iaceo saxis telluris adhaerens.
mens tecum est, nulla quae cohibetur humo.

2. *antiquo foro*] i. e inter antiquos oratores, Ciceronem, Hortensium aliosque.

5. *nostris-rebus*] emendavi. vulgo *nobis-nobis*.

9. *avo*] Heinsius C. Salustium Crispum intelligendum opinatur.

11. *en hic qui iaceo*] patet, L. Senecam tum in exilio fuisse, cum hoc epigramma scribebat. Eum anno primo Claudii imperatoris a. 794 (41) in exilium eiectum accepimus. Quomodo id convenit cum Hieronymo, qui Passienum filium a. 791 (39) diem obiise scribit? Quare aut Hieronymus in definiendo anno peccavit, aut ad alium Seneca Crispum scripsit epigramma. Satius autem est, alios sequi auctores, ex quibus verisimile est, Passienum sub Claudio demum imperatore vita functum.

1. Oratio pro Voluseno Catulo.

Argumentum incertum. Quintil. 10, 1, 24. *Nobis pueris insignes pro Voluseno Catulo Domitii Afri, Crispi Passieni, Decimi Laelii orationes ferebantur.*

nobis pueris] Quintilianus natus esse fertur a. 795 (42).

2. Oratio pro Domitia uxore sua.

Passienus duas uxores habuit, primum Domitiam, cuius causam hereditariam contra Domitium Aenobarbum, fratrem, egit, deinde Agrippinam; illam amitam, hanc matrem Neronis Caesaris, ut Scholiasta Iuvenalis 4, 81. retulit. Domitiae frater est Domitius ille, Neronis pater, quem omni parte vitae detestabilem vocat Suetonius in Nerone 5., quemque a. 794 (41) obiisse constat. In ea causa contra Domitiam dixit Iunius Bassus.

Quintil. 6, 1, 50. *Sunt et illi leniores epilogi, quibus adversario satisfacimus, si forte sit eius persona talis, ut illi debeatur reverentia, aut cum amice aliquid commonemus et ad concordiam hortamur. Quod est genus egregie tractatum a Passieno, cum Domitiae uxoris suae pecuniaria lite adversus fratrem eius Aenobarbum ageret: nam cum de necessitudine multa dixisset, de fortuna quoque, qua uterque abun-*

dabat, adiecit: Nihil vobis minus deest, quam de quo contenditis.

Quintil. 6, 3, 74. *Belle interim subiicitur pro eo, quod neges, aliud mordacius, ut Iunius Bassus querente Domitia Passieni, quod incusans eius sordes, calceos eam veteres diceret vendere solere: non mehercule, inquit, hoc umquam dixi, sed dixi, emere te solere.*

CXV. *L. Cestius Pius.*

Smyrnae oriundus (et ideo a M. Seneca *homo graecus* appellatus) Romam migravit ibique ludum rhetoricae aperuit a. u. 741 (13). Hieronymus ad Eusebii Chron. Olymp. 191. 4. Augusti 31. = a. u. 741 (13). *Cestius Smyrnaeus rhetor latine Romae docuit.* Unde cognomen obtinuerit Pii, incertum, sed patroni esse suspicor. Est unus ex illis, quorum nomina tantum supersunt in libello Suetonii de claris rhetoribus, ubi dicitur *L. Cestius Pius.*

Seneca Suasor. 7. p. 56. *Cestius, homo nasutissimus, erat nullius quidem ingenii, Ciceroni tamen etiam infestus, quod isti non impune cessit.*

non impune] narrat enim Seneca eodem loco: *Nam cum M. Tullius filius Ciceronis Asiam obtineret, homo, qui nihil ex paterno ingenio habuit praeter urbanitatem, coenabat apud eum Cestius. M. Tullio et natura memoriam demserat, et ebrietas, si quid ex ea supererat, subducebat. Subinde interrogabat, quis ille vocaretur, qui in imo recumberet, et cum saepe subiectum ei nomen Cestii excidisset, novissime servus, ut aliqua nota memoriam eius faceret certiorem, interroganti domino, quis ille esset, qui inimo recumberet, ait. Hic est Cestius, qui patrem tuum negabat literas scisse. Afferri protinus flagra iussit, et Ciceroni, ut oportuit, de corio Cestius satisfecit.* Quo id anno acciderit, ignotum. nam quando M. Tullius Cicero filius Asiam obtinuerit provinciam, nescio: Appianus enim l. 4, 51. scribit, Octavianum Ciceronem filium non Asiae, sed Syriae proconsulem fecisse, eamque magistratum post consulatum, quem a. 724 (30) gessit, obtinuisse. Senecam memoriae lapsum verisimile est, nam Ciceronem in itinere, cum Smyrnam venisset, patrem altum arbitror.

Seneca Controv. l. 3. p. 237. *Soleo dicere vobis,*

Cestium latinorum verborum inopia hominem graecum laborasse, sensibus abundasse, itaque quoties laetius aliquid describere ausus est, toties substitit, utique cum se ad imitationem magni alicuius ingenii direxerat.

ibid. p. 341. Cestius dicit: *Ego nunc scio me ineptam sententiam dicere. Multa autem dico, non quia mihi placent, sed quia audientibus placitura sunt.*

Seneca Excerpt. Controv. l. 3. p. 427. *Cassius Severus* ait: *Scio et Pollionem Asinium et Messalam Corvinum et Passienum, qui nunc primo loco stat, minus bene videri quam Cestium aut Latronem. Utrum ergo putas, hoc dicentium vitium esse an audientium? Non illi peius dicunt, sed hi corruptius iudicant. Pueri fere aut iuvenes scholas frequentant; hi non tantum disertissimis viris, quos paulo ante retuli, sed etiam Ciceroni Cestium suum praeferrent, nisi lapides timerent. Huius enim declamationes ediscunt, illius orationes non legunt, nisi eas quibus Cestius rescripsit. Memini me intrare scholas, cum recitaturus esset in Milonem Cestius, ex consuetudine sua miratus dicebat: Si Thrax essem, Fusius essem; si pantomimus essem, Bathyllus essem; si equus, Melissio. Non continui bilem, exclamavi: et si cloaca esses, maxima esses. Risus omnium ingens. scholastici intueri me, quis essem, qui tam crassas cervices haberem. Cestius Ciceroni responsurus, mihi quid responderet, non invenit, sed negavit se executurum, nisi exirem de domo. Ego negavi me de balneo publico exiturum, nisi lotus essem.*

Ibid. p. 318. *Fuerat Argentarius Cestii auditor et erat imitator. omnibus insistebat vestigiis Cestii, aeque ex tempore dicebat, aeque contumeliose multa interponebat, illud tamen optima fide praestitit, cum uterque graecus esset, ut numquam graece declamaret.*

Scripsit, ut ex Seneca accepimus, declamationes contra Ciceronis orationes.

1. Oratio contra Ciceronis orationem pro Milone.

Quintil. 10, 5, 20. *Tum causas vel easdem, quas agi audierit, stilo et ipse componat, vel etiam alias, veras modo, et utrinque tractet, et quod in gladiatoribus fieri videmus, decretoriis exerceatur, ut fecisse Brutum diximus pro Milone. Melius hoc quam rescribere veteribus orationibus, ut fecit* ***Cestius contra Ciceronis actionem habitam pro eodem,*** *cum alteram partem satis nosse non posset ex sola defensione.*

CXVI. *M. Porcius Latro.*

Eius nomina a Suetonio in *Indice rhetorum* plene traduntur. Erat M. Senecae aequalis, ita ut a. fere 693 (61) natus videatur, atque familiaris (uterque enim Hispanus natione): idem praeceptor Ovidii Nasonis. Floruit anno circiter 737 (17): tum enim declamabat Caesare Augusto audiente et M. Agrippa. Seneca Controv. l. 2. p. 195. Clinton ad h. a. Mortuus est a. 750 (4): ut Hieronymus tradit in Eusebii Chron. Olymp. 194. 1. Augusti 40. = 750 (4). *M. Porcius Latro, latinus declamator, taedio duplicis quartanae semet interficit.*

Seneca Controv. lib. 1. Praef. p. 69. *Latronis Porcii, carissimi mihi sodalis, memoriam saepius cogar retractare et a prima pueritia usque ad ultimum eius diem perductam familiarem amicitiam cum voluptate maxima repetam. Nihil illo viro gravius, nihil suavius, nihil eloquentia sua dignius. Nemo plus ingenio suo imperavit, nemo plus indulsit. In utraque parte vehementi viro modus deerat, nec intermittere studia sciebat nec repetere. Nesciebat dispensare vires suas, sed immoderati adversum se imperii fuit, ideoque studium eius prohiberi debebat, quia regi non poterat. In illo non tantum naturalis memoriae felicitas erat, sed ars summa et ad appre-*

hendenda quae tenere debebat, et ad custodienda, adeo ut omnes declamationes suas, quascumque dixerat, teneret. iam itaque supervacuos sibi fecerat codices: aiebat se scribere in animo. Illud unum non differam, falsam opinionem de illo in animis hominum convaluisse. putant enim, fortiter quidem, sed parum subtiliter eum dixisse, cum in illo, si qua alia virtus fuit, etiam subtilitas fuerit. Id, quod nunc a nullo fieri animadverto, semper fecit. Antequam dicere inciperet, sedens quaestiones eius, quam dicturus erat, controversiae proponebat, quod summae fiduciae est. Ipsa enim actio multas latebras habet, nec facile potest, si quo loco subtilitas defuerit, apparere, cum orationis cursus iudicium audientis impediat, dicentis abscondat. Quid ergo? unde haec de illo fama? nihil est iniquius his, qui nusquam putant esse subtilitatem, nisi ubi nihil est praeter subtilitatem, et in illo cum omnes oratoriae virtutes essent, hoc fundamentum tot et tantis superstructis molibus obruebatur, nec deerat in illo, sed non eminebat, et nescio an maximum vitium subtilitatis sit, nimis se ostendere. Non placebat illi orationem inflectere nec umquam recta via discedere, nisi cum hoc aut necessitas coegisset, aut magna suasisset utilitas.

ibid. p. 310. *nec enim illi mos erat, quemcumque audire declamantem. declamabat ipse tantum, et aiebat se non esse magistrum, sed exemplum.*

ibid. p. 427. Cassius Severus dicit: *diligentissime tibi me excusarem, tamquam huic rei (declamationibus) non essem natus, nisi scirem et Pollionem Asinium et Messalam Corvinum, et Passienum, qui nunc primo loco stat, minus bene videri quam Cestium aut L a t r o n e m.*

ibid. p. 291. Montanus Votienus dicit: *Tu scis, declamatoriae virtutis Latronem Porcium unicum exemplum, cum pro reo in Hispania Rustico Porcio propinquo suo diceret, usque eo esse confusum, ut a soloecismo inciperet, nec ante potuisse confirmari, tec-*

tum ac parietem desiderantem, quam impetravit, ut iudicium ex foro in basilicam transferretur. Usque eo ingenia in scholasticis exercitationibus delicate nutriuntur, ut clamorem, silentium, risum, coelum denique pati nesciant.

ibid. p. 172. *Ovidius Naso Latronis admirator erat, cum diversum sequeretur dicendi genus. habebat enim ille constans et decens et amabile ingenium. adeo autem studiose Latronem audivit, ut multas eius sententias in versus suos transtulerit.*

ibid. p. 382. *Latro Porcius graecos rhetores et contemnebat et ignorabat.*

Quintil. 10, 5, 18. *Quod accidisse etiam Porcio Latroni, qui primus clari nominis professor fuit, traditur, ut cum ei, summam in scholis opinionem obtinenti, causa in foro esset oranda, impense petierit, uti subsellia in basilicam transferrentur.*

Plinius Hist. Nat. 20, 14, 57. *Porcius Latro, clarus inter magistros dicendi.*

1. Suasoria de Theodoto.

Seneca Controv. p. 191. *Fuit Messala exactissimi ingenii in omnes quidem studiorum partes, latini utique sermonis observator diligentissimus. Idem itaque cum audisset Latronem declamantem, dixit: sua lingua disertus est. Ingenium illi concessit, sermonem obiecit. Non tulit hanc contumeliam Latro, et pro Pythodoro Messalae orationem disertissimam recitavit, quacum compositam suam suasoriam de Theodoto declamavit post triduum.*

Messalae] v. p. 510.

de Theodoto] Theodotus interfector Cn. Pompeii. v. Gronovii nota. Quintil. 3, 8, 55. *Solent in scholis fingi materiae ad deliberandum similiores controversiis, et ex utroque genere commixtae, ut apud C. Caesarem consultatio de poena Theodoti ponitur.* Conf. Spalding. Fabricius bibl. lat. t. 2. p. 96. Westermann p. 294 sq.

2. Declamatio de Popillio.

Circumferebatur declamatio de Popillio Ciceronis interfectore, quae Porcio Latroni vulgo tribuebatur,

verum Capitonis erat, de quo paulo post dicemus. Seneca Controv. p. 353. *Amabam Capitonem, cuius declamatio est de Popillio haec, quae meo Latroni subiicitur.*

3. Declamatio de raptore patrem suum non exorante.

Extant excerpta eiusdem declamationis apud Senecam Coutrov. l. 2, 11. p. 175.

Quintil. 9, 2, 91. *Latro optime „occides ergo?“ „Si potero.“*

4. Declamatio in Salustium.

Extat declamatio in Salustium, quam alii Ciceroni, alii Latroni vindicabant sine auctoritate codicum.

5. Declamatio contra L. Sergium Catilinam.

Eidem Latroni a Corrado aliisque tribuitur.

CXVII. *Capito.*

De Capitone nihil compertum: incerta enim ea, quae in libro *De clar. ap. Sen. rhet.* congessit Schottus. verum Atteium Capitonem esse reor, cuius meminit Suetonius de ill. grammatt. c. 22.

Seneca Controv. l. 5. Praef. p. 353. *Amabam Capitonem, cuius declamatio est de Popillio haec, quae meo Latroni subiicitur: bona fide scholasticus erat. In his declamationibus, quae illi bene cesserunt, nulli non post primum tetradium praeferendus. Primum tetradium quorum faciam, quaeritis? Latronis, Fusci, Albutii, Gallionis.*

primum tetradium] Quatuor rhetores, qui maxime excellebant, erant M. Porcius Latro, Arellius Fuscus, C. Albucius Silus, Iunius Gallio pater.

Patet ex Seneca, Capitonem reliquisse *declamationem de Popillio*, Ciceronis interfectore, quae propter bonitatem, opinor, postea vulgo Porcio Latroni tributa est. Aliarum de eodem Popillio declamationum meminit Seneca in Controv. 17. p. 239.

CXVIII. *Acilius Lucanus*

Legimus in *Vita Lucani*, a Scholiasta vetere scripta (quae in edit. Grotii extat atque Oudendorpii): *M. Annaeus Lucanus patrem habuit M. Annaeum Melam, matrem habuit Aciliam nomine, Acilii Lucani filiam, oratoris operae apud proconsules frequentis et apud clarissimos viros non nullius ingenii; adeo non improbandus, ut in scriptis aliquibus hodieque duret eius memoria.*

apud proconsules] Hispaniae. Egger ap. Duebnerum, qui hunc solum libro meo oratorem novum addidit.

in scriptis aliquibus] i. e. in orationibus.

CXIX. *Iunius Gallio pater.*

Aequalis fere M. Senecae rhetoris, cuius filium adoptavit, qui inde *Iunius Annaeus Gallio* vocatus est. Erat Ovidii familiaris (Vid. Ovid. Epist. ex Ponto IV, 11.) atque optimis a M. Seneca adnumeratur declamatoribus: Controv. l. 5. p. 353. *In his declamationibus, quae Capitoni bene cesserunt, nulli non post primum tetradium praeferendus. Primum tetradium quorum faciam, quaeritis? Latronis, Fusci, Albucii, Gallionis. Hi quoties conflixissent, penes Latronem gloria fuit, penes Gallionem palma, reliquos, ut vobis videtur, componite.*

M. Seneca Gallionis patris saepe meminit, filium autem suum, Iunium Annaeum Gallionem, qui a. u. 818 (65) mortuus est (Hieronim. in Eusebii Chron. Ol. 210, 4. Neronis XI. Christi 65: *Iunius Gallio, frater Senecae, egregius declamator propria manu se interficit.* Tacit. Ann. VI, 3. XV. 73.) in libro suo non commemoravit: tum enim, cum eum scripsit, admodum iuvenis erat, necdum nomen oratoris meruit. Conf. Spalding ad Quintil. 3, 1, 21. Alii utrumque confundunt.

Tacit. Dial. de Orator. 26. *Ceterum si omisso optimo illo et perfectissimo genere eloquentiae eligenda sit forma dicendi, malim hercule Gai Grac-*

chi impetum aut L. Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis. adeo melius est, oratorem vel hirta toga induere quam fucatis et meretriciis vestibus insignire.

Sidonius Apollinaris Epist. l. 5, 10. gravitatem Gallionis laudat.

Scripsit de arte rhetorica (Quintil. 3, 1, 21.) atque declamationes. Hieronymus Praefatione lib. 8. in Esaiam: *Qui flumen eloquentiae et concinnas declamationes desiderant, legant Tullium, Quintilianum, Gallionem, Gabinianum.*

1. Oratio pro Bathyllo contra Labienum.

Conf. orat. *Labieni contra Bathyllum* pag. 531. Gallio adolescens Bathyllum pantomimum, Maecenatis amasium, contra Labienum defendit.

Seneca Controv. l. 5. p. 351. *Monstrabo vobis bellum libellum, quem a Gallione vestro petatis. Recitabit rescriptum Labieno pro Bathyllo Maecenatis, in quo suspicietis adolescentis animum, illos dentes ad mordendum provocantis.*

illos dentes] i. e. Labieni (hominis mordacissimi) dentes. Gallio vehementer adversarium in hac lacessivit oratione.

2. Declamatio de raptore patrem suum non exorante.

Quintil. 9, 2, 91. *Latro optime „Occides ergo?" „Si potero!" Remissius et pro suo ingenio pater Gallio „Dura, anime, dura; here fortior fuisti!"* Idem locus apud Senecam rhetorem Controv. l. 2. pag. 177. extat.

CXX. *Maximus Cotta.*

Ovidius huic oratori epistolam ex Ponto l. 1. ep. 5. misit, ex qua apparet, eum orationes edidisse. Alius est Cotta Messalinus, cuius meminit Ovidius in Epist. ex Ponto IV. 16. 41.

Legimus, o iuvenis, patrii non degener oris,
dicta tibi pleno verba diserta foro.
Quae quamquam lingua mihi sunt properante per horas

lecta satis multas, pauca fuisse queror.
Plura sed haec feci relegendo saepe; nec umquam
non mihi quam primo grata fuere magis.
Cumque nihil toties lecta e dulcedine perdant,
viribus illa suis, non novitate placent.
Felices, quibus haec ipso cognoscere in actu,
et tam facundo contigit ore frui!
At nisi peccassem, nisi me mea musa fugasset,
Quod legi, tua vox exhibuisset opus;
utque fui solitus, sedissem forsitan unus
de centum iudex in tua verba viris.

CXXI. *Cassius Severus.*

Natus est, ut Weichertio placet de Cassio Parmensi p. 203., sub initium seculi ab u. c. octavi. Cassius Severus Longulanus dicitur, i. e. Longulae Latii oppido ortus, in Indice Auctorum Plinii lib. XXXV. Conf. Harduinus, Falster Memor. p. 77., Weichert p. 191. Deinde libertum eum fuisse Cassii cuiusdam, tradidit Drumann Gesch. Roms. t. 2. p. 161. Cum satiras in viros feminasque nobiles scripsisset, ab Augusto in insulam Cretam relegatus, a Tiberio in saxum Seriphum in exilium eiectus, ibique mortuus est. De anno exilii dissentiunt Hieronymus atque Tacitus. — Hieronymus enim refert, Cassium a. 761 (8 p. Ch.) in exilium eiectum, in eoque a. 786 (33) mortuum esse. Dicit enim ad Eusebii Chron. Ol. 202. 33 p. Chr. 19 imp. Tiberii = a. u. 786: *Cassius Severus egregius orator, qui Quintianum in ludo luserat prourbium* (ut emendavit Scaliger p. 187.) *vigesimo quinto exilii sui anno in summa inopia moritur, vix panno verenda contectus.* Tacitus autem refert, Cassium Severum a. 767 (14) Augusto imperante in Cretam amotum, deinde in saxum Seriphum a. 777 (24) Tiberio auctore in exilium missum, ibique consenuisse, ita ut a. 792 (39) e vita decesserit, si verum est, quod Hieronymus refert, eum *vigesimo quinto exilii sui anno* diem obiisse. Dicit enim in Annalibus 1, 72.: *Primus Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis maiestatis tractavit, commotus Cas-*

sii Severi libidine, qua viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat. et l. 4, 21. *Relatum et de Cassio Severo exule, qui sordidae originis, maleficae vitae, sed orandi validus, per immodicas inimicitias ut iudicio iurati senatus Cretam amoveretur effecerat, atque illic eadem actitando recentia veteraque odia advertit, bonisque exutus interdicto igni atque aqua saxo Seripho consenuit.* Conf. Zumpt in Annal. a. 767. Weichert p. 201 sqq. Alii alii anno exilium assignant, sicuti nos in Labieno oratore Dionis Cassii attulimus locum (v.p. 530), ex quo probabile est, id a. 765 (12) accidisse. Drumannus vero l. l. dicit, Cassium non Augusto imperante sed Tiberio in Cretam relegatum. Etiam de anno mortis discrepant auctores. Spalding ad Quintil. 6, 1, 43. scribit, eum obiisse a. 777. videtur enim aliter interpretatus esse verba Taciti Annal. l. 4, 21., nempe ita, ut a. 777. in senatu de morte Cassii relatum esset, qui in saxo Seripho consenuisset. Weichertus autem dicere arbitratur Tacitum, Cassium Severum a. 777 a Tiberio in insulam Seriphum in exilium eiectum, cum constet, a. 786 eum e vita decessisse. Cassius Severus erat amicus Labieni, uterque dicax, mordax, famosis libellis suspectus. atque iam adolescentem eum multos lacerasse, ex Horatio manifestum est, qui carmen sextum Epodon in eum direxit. Sunt qui putent, alium intelligendum Cassium fidemque denegandam Horatii scholiastis, qui ad Cassium Severum oratorem pertinere arbitrantur. Sed Weichertus magna cum probabilitate eorum refellit opinionem p. 208.

Cassius novum eloquentiae genus attulisse videtur, et si eloquentiam romanam in genera quaedam distinguere voles, Cassius auctor tertii generis erit. Cato enim dux et auctor antiquae eloquentiae, Cicero mediam invenit, hic novam ab utraque discedentem attulit.

Seneca Excerpt. Controv. l. 3. p. 421. *Memini me a Severo Cassio quaerere, quid esset, cur in declamationibus ipsi sua non responderet eloquentia: in nullo enim hoc fiebat notabilius. Oratio eius erat*

valens cultu, ingentibus plena sententiis. Nemo minus passus est aliquid in actione sua otiosi esse. nulla pars erat, quae non sua virtute staret, nihil, in quo auditor sine damno aliud ageret. Omnia intenta, aliquo petentia. nemo magis in sua potestate habuit audientium affectus. Verum est, quod de illo dicit Gallio noster: cum diceret, rerum potiebatur, adeo omnes imperata faciebant: cum ille voluerat, irascebantur. Nemo non illo dicente timebat, ne desineret. N o n e s t, q u o d i l l u m e x h i s, q u a e e d i d i t, a e s t i m e t i s: s u n t q u i d e m e t h a e c q u i b u s d a m g r a t a; v e r u m e l o q u e n t i a e i u s l o n g e m a i o r e r a t q u a m l e c t i o. Non hoc ea portione illi accidit, qua omnibus fere, quibus maiori commendationi est audiri quam legi, sed in illo longe maius discrimen est. Primum tantumdem erat in homine quantum in ingenio, corporis magnitudo conspicua, suavitas valentissimae vocis, quamvis haec inter se raro coeant, ut eadem vox et dulcis sit et solida. Pronuntiatio, quae histrionem posset producere, tamen quae histrionis posset videri. nec in illo quidquam magis mirareris, quam quod gravitas, quae deerat vitae, actioni supererat; quamdiu citra iocos se continebat, censoria oratio erat. Deinde ipsa quae dicebat, meliora erant quam quae sciebat. Vir enim praesentis ingenii et maioris ingenii quam studii, magis placebat in his, quae inveniebat, quam in his quae attulerat. Iam vero iratus commodius dicebat, ideo diligentissime cavebant homines, ne dicentem interpellarent. — Uno die privatas plures agebat, publicam vero numquam amplius quam unam uno die; nec tamen scio, quem reum illi defendere nisi se contigerit. Adeo numquam ullam materiam dicendi nisi periculis suis habuit. Sine commentario numquam dixit, nec hoc commentario contentus erat, in quo nudae res ponuntur; et maxima parte perscribebatur actio, illa quoque, quae salse dici poterant, adnotabantur.

defendere] Cassius in cunctis fere causis, ques egebat, eut accusator extitit, eut reus pro se dixit. Cum enim multos accusaret, ipse quoque saepe accuselus est. Multos reos fecit, sed plerique ebsoluti sunt. quo Augusti dictum pertinet, quod epud Macrobium Sat. 2, 4. extat.

Dial. de Orator. 19. *Quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent, quem usque ad Cassium Severum faciunt, quem primum affirmant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via, non infirmitate ingenii nec inscitia literarum transtulisse se ad illud dicendi genus contendo, sed iudicio et intellectu. Vidit namque cum conditione temporum ac diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam.*

ibidem c. 26. Messala dicit: *Equidem non negaverim, Cassium Severum, quem solum Aper noster nominare ausus est, si iis comparetur, qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quamquam in magna partę librorum suorum plus vis habeat quam sanguinis. Primus enim contemto ordine rerum, omissa modestia et pudore verborum, ipsis etiam quibus utitur armis incompositus et studio feriendi plerumque deiectus, non pugnat, sed rixatur? ceterum, ut dixi, sequentibus comparatus et varietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum virium robore multum ceteros superat.*

Quintil. 10, 1, 116. *Multa, si cum iudicio legatur, dabit imitatione digna Cassius Severus, qui, si ceteris virtutibus colorem et gravitatem orationis adiecisset, ponendus inter praecipuos foret. Nam et ingenii plurimum est in eo, et acerbitas mira, et urbanitas eius summa, sed plus stomacho quam consilio dedit; praeterea ut amari sales, ita frequenter amaritudo ipsa ridicula est.*

acerbitas] eadem virtus in Cessio laudatur lib. 12, 10, 11.

Similiter lib. 6, 3, 27. *Id quod dicitur, aut est lascivum et hilare, qualia A. Galbae pleraque, aut*

contumeliosum, *qualia nuper Iunii Bassi*, *aut asperum, qualia Cassii Severi.*

1. Oratio contra Nonium Asprenatem.

Acta est causa a. 745 (9). Cassius Severus Nonium Asprenatem Torquatum, intima familiaritate Augusti usum, veneficii reum fecit. Conf. *Asinii Pollionis oratio pro Asprenate* p. 492. et *Torquati* p. 527.

Quintil. 10, 1, 22. *Illud utilissimum, nosse eas causas quarum orationes in manus sumserimus, et quoties continget, utrinque habitas legere actiones, ut Demosthenis et Aeschinis inter se contrarias, et Servii Sulpicii atque Messalae, quorum alter pro Aufidia, contra dixit alter, et Pollionis et Cassii reo Asprenate aliasque plurimas.*

Quintil. XI, 1, 57. *Sine dubio in omnibus statim accusationibus hoc agendum est, ne ad eas libenter descendisse videamur. ideoque mihi illud Cassii Severi non mediocriter displicet, Dii boni! vivo, et quo me vivere iuvet, Asprenatem reum video. Non enim iusta ex causa vel necessaria videri potest postulasse eum, sed quadam accusandi voluptate.*

2. Oratio pro se contra P. Fabium Paulum Maximum.

Paulus Fabius Maximus consul erat a. 744 (11). Spalding ad Quintil. 6, 3, 52. Hunc aliquando reum fecisse Cassium Severum, ex Seneca colligi potest Controv. l. 2. p. 194. *Fabius Maximus nobilissimus vir fuit, qui primus foro romano hunc comicum morbum, quo nunc laborat, intulit: de quo Severus Cassius, antequam ab illo reus ageretur, dixerat: Quasi disertus es, quasi formosus es, quasi dives es, unum tantum es non quasi — vappa!*

vappa] Weichert De Cassio p. 195., Cassius, inquit, postquam Fabio facundiam, formositatem, divitias per deridiculum concesserat, eum ἀπροςδοκήτως gravi et acerbo nomine vappae, eines Taugenichts, perculit.

3. Oratio contra M. Pomponium Marcellum.

Sueton. de ill. gramm. 22. *M. Pomponius Marcellus, sermonis latini exactor molestissimus, in advocatione quadam (nam interdum et causas agebat). soloecismum ab adversario factum usque adeo arguere perseveravit, quoad Cassius Severus interpellatis iudicibus dilationem petiit, ut litigator suus alium grammaticum adhiberet, quando non putat is, cum adversario de iure sibi, sed de soloecismo controversiam futuram.*

Incerta.

Quintil. 6, 1, 43. *Ex scholis haec vitia, in quibus omnia libere fingimus et impune, quia pro facto est, quidquid voluimus: non admittit hoc idem veritas, egregieque Cassius dicenti adolescentulo* Quid me torvo vultu intueris, Severe? *Non* hercule, *inquit,* faciebam, sed sic scripsisti. ecce! *et quam potuit, truculentissime eum aspexit.*

adolescentulo] ex eadem fortasse causa petitum, quod tradidit Plinius Hist. 7, 10, 12. *Cassio Severo celebri oratori armentarii Mirmillonis obiecta similitudo est.*

ibid. 6, 3, 78. *Transtulit crimen Cassius Severus. Nam cum obiurgaretur a praetore, quod advocati eius L. Varo Epicureo, Caesaris amico, convicium fecissent* Nescio, *inquit,* qui conviciati sint, et puto Stoicos fuisse.

Cassius Severus] occasionem ioci fuisse in causa Asprenatis oranda, suspicatur Spalding ad Quint. l. l. et t. 2. Praef. p. VII. et Weichert De L. Vario p. 131.

ibid. 6, 3, 79. *Elusit Cassius Severus obiiciente quodam, quod ei domo sua Proculeius interdixisset, respondendo* Numquid ego illuc accedo?

Proculeius] Maecenatis per Terentiam sororem affinis. Spalding.

ibid. 8, 2, 2. *Non mediocriter errare quidam solent, qui omnia, quae sunt in usu, etiamsi causae necessitas postulet, reformident, ut ille, qui in actione*

Ibericas herbas, se solo nequidquam intelligente, dicebat, nisi irridens hanc vanitatem Cassius Severus spartum eum dicere velle indicasset.

ibid. 8, 3, 89. *Est et amarum quiddam, quod fere in contumelia est positum, quale Cassii: Quid facies, cum in bona tua invasero, hoc est, cum te docuero nescire maledicere?*

hoc est] hoc dictum bene explicat Weichert De Cassio p. 194.

ibid. XI, 3, 133. *Transire in diversa subsellia parum verecundum est. Nam et Cassius Severus urbane adversus hoc facientem lineas poposcit.*

Priscianus t. 1. p. 368. *Cassius: adulatique erant ab amicis et adhortati.* Adulati κολακευθέντες, adhortati προτραπέντες.

Cassius] non Cassio Severo, sed Cassio Heminae, historico, tribuendum, vere indicat Weichert De Cassio p. 206 et Krause Fragm. Historicorum p. 165.

Diomedes p. 368. *Sancio sancii* faciebat ut *Pomponius ad Thraseam sancierat*, et in passivo *Cassius Severus lege sancitum est,* inquit.

Diomedes p. 372. *Severus: distractos atque salitos.*

Severus] *Serenus* corrigit Iacobus Roverius, Aulum Septimium Serenum Faliscum intelligens, ut Burmannus in Anthologia latina t. 1, p. 14 dicit. Roverio assentitur Wernsdorf Poetae lat. min. t. 2. p. 291. t. 4. p. 227.

Cassium Severum non orationes solum, verum satiras aliaque scripta reliquisse constat.

CXXII. *Tiberius Claudius Nero Caesar.*

Natus est a. 712 (42). Sueton. Tiber. 5. Adoptatus ab Augusto a. 757 (4 p. Ch.), iniit imperium a. 767 (15 p. Ch.). Mortuus est a. 789 (37).

Tiberium instituit arte dicendi Theodorus Gadareus. Sueton. Tiber. 57. Quintil. 3, 1, 17., tantamque his studiis dedit operam, ut ipse de arte rhetorica scriberet, si verum est, quod Suidas refert s. n. Καῖσαρ Τιβέριος T. 2. F. 1. p. 187. ἔγραψεν ἐπιγράμματα καὶ τέχνην

ῥητορικήν. Deinde non raro alios accusavit, alios in iudicio defendit, veluti *regem Archelaum* (v. Suet. Tib. 8. Dio. 57, 17.), *Trallianos* et *Thessalos*, atque pro *Laodicenis*, *Thyatirenis*, *Chiis* terrae motu afflictis in senatu orationem habuit (Dio 57, 17. Sueton. Tib. 8.), et *Fannium Caepionem* maiestatis reum fecit (Suet. Tib. 8. Aug. 19. Dio 54, 3. Velleius l. 2, 91.) Sed haud videtur probabile, eum has orationes reliquisse.

Suet. Tib. 70. *Artes liberales utriusque generis studiosissime coluit. In oratione latina secutus est Corvinum Messalam, quem senem adolescens observaverat. Sed affectatione et morositate nimia obscurabat stilum, ut aliquanto ex tempore quam a cura praestantior haberetur.*

Corvinum Messalam] v. supra p. 506., ubi de hoc quoque loco diximus.

Sueton. Octav. 86. *Augustus nec Tiberio parcit et exsoletas interdum et reconditas voces aucupanti.*

aucupanti] i. e. orationibus suis obsoleta vocabula immiscenti. Charisius p. 124. *Divus Augustus Tiberium Claudium reprehendens ita loquitur: scribis enim* p e r v i a m *ἀντὶ τοῦ obiter.* Sueton. De ill. grammatt. c. 22. *Pomponius Marcellus cum ex oratione Tiberium reprehendisset affirmante Atteio Capitone, et esse illud latinum, et si non esset, futurum certe iam inde. mentitur, inquit, Capito. Tu enim, Caesar, civitatem dare potes hominibus, verbo non potes.*

Tacitus Annal. 13, 3. *Augusto prompta ac profluens, quae deceret principem, eloquentia fuit.* ***T i b e r i u s*** *artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus aut consulto ambiguus.*

Aurelius Victor Epitome Caesarum 2. *Inerat Tiberio scientia literarum multa.* ***E l o q u i o   c l a r i o r***, *sed ingenio pessimo, truci, avaro, insidioso, simulans ea se velle quae nollet, his quasi infensus, quibus consultum cupiebat, his vero quos oderat quasi benevolus apparens.*

1. Laudatio funebris Tiberii Neronis patris.

Oratio est habita a. 721 (33). Sueton. Tiber. 6. *Novem natus annos defunctum patrem pro rostris laudavit.*

2. Laudatio funebris Augusti.

Ea est habita a. 767 (14). Suet. August. 100. *Augustus bifariam laudatus est, pro aede Divi Iulii a Tiberio, et pro rostris veteribus a Druso Tiberii filio.* Dio Cass. 56, 34. *Προτεθείσης δὲ τῆς κλίνης ἐπὶ τοῦ δημηγορικοῦ βήματος, ἀπὸ μὲν ἐκείνου ὁ Δροῦσος τι ἀνέγνω, ἀπὸ δὲ τῶν ἑτέρων ἐμβόλων τῶν Ἰουλίων ὁ Τιβέριος δημόσιον δή τινα κατὰ δόγμα λόγον ἐπ' αὐτῷ τοιόνδε ἐπελέξατο.* Hinc incipit declamatio, non Tiberii principis, sed Dionis opus.

3. Oratio, qua *patris patriae* appellationem recusavit.

Ea est habita a. 768 (15), altero imperii anno. Suet. Tiber. 26. Dio Cass. 57, 8.

Sueton. Tiber. 67. *Ut imperium iniit, et patris patriae appellationem, et ne in acta sua iuraretur, obstinatissime recusavit, ne mox maiore dedecore impar tantis honoribus inveniretur. Quod sane et ex oratione eius, quam de utraque re habuit, colligi potest, vel cum ait: Similem se semper sui futurum, nec umquam mutaturum mores suos, quamdiu sanae mentis fuisset, sed exempli causa cavendum esse, ne se senatus in acta cuiusquam obligaret, qui aliquo casu mutari posset. Et rursus: Si quando autem, inquit, de moribus meis devotoque vobis animo dubitaveritis (quod priusquam eveniat, opto, ut me supremus dies huic mutatae vestrae de me opinioni eripiat) nihil honoris adiiciet mihi patris patriae appellatio, vobis autem exprobrabit aut temeritatem delati mihi eius cognominis aut inconstantiam contrarii de me iudicii.*

Tacitus Annal. 1. 72. *Decreta eo anno triumphalia insignia Aulo Caecinae, L. Apronio, C. Silio ob*

res cum Germanico gestas. Nomen patris patriae Tiberius, a populo saepius ingestum, repudiavit, neque in acta sua iurari quamquam censente senatu permisit, cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictitans.

4. Oratio de Maroboduo.

Eam dixit Tiberius a. 772 (19 p. Ch.). Tacitus Annal. 2. 63. *Maroboduo undique deserto non aliud subsidium quam misericordia Caesaris fuit. transgressus Danubium, qua Noricam provinciam praefluit, scripsit Tiberio non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunae. nam multis nationibus clarissimum quondam regem ad se vocantibus romanam amicitiam praetulisse. responsum a Caesare tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret: sin rebus eius aliud conduceret, abiturum fide qua venisset. Ceterum apud senatum disseruit, non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo romano perinde metuendos fuisse. E x t a t o r a t i o, q u a m a g n i t u d i n e m v i r i, v i o l e n t i a m s u b i e c t a r u m e i g e n t i u m, e t q u a m p r o p i n q u u s I t a l i a e h o s t i s, s u a q u e i n d e s t r u e n d o e o c o n s i l i a e x t u l i t. Et Maroboduus quidem Ravennae habitus, si quando insolescerent Suevi, quasi rediturus in regnum ostentabatur. Sed non excessit Italia per XVIII annos.*

Suet. Tib. 37. *Quosdam per blanditias atque promissa extractos ad se non remisit, ut Maroboduum Germanum.*

5. Laudatio funebris Drusi filii.

Ea est habita a. 776 (23). Seneca de Consolatione ad Marciam c. 15. *Tiberius Caesar et quem genuerat et quem adoptaverat, amisit, ipse tamen pro rostris laudavit filium, stetitque in conspectu posito corpore interiecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos a funere arceret, et flente populo romano*

non flexit vultum; experiendum se dedit Seiano ad latus stanti, quam patienter posset suos perdere.

Seiano] vulgo creditum est, a Seiano veneno necatum Drusum filium, qui pessima usus erat fama, Suet. Tib. 62. Tacit. Annal. 4, 8. Dio Cass. l. 57, 13, 22.

Tacit. Annal. 4, 12. *Laudante filium pro rostris Tiberio, senatus populusque habitum ac voces dolentum simulatione magis quam libens induebat, domumque Germanici revirescere occulti laetabantur.*

6. Orationes de comitiis consularibus.

Tiberius non ipse suo arbitrio consules creare solebat, sed orationibus in senatu habitis candidatos, quorum rationem haberi voluit, commendabat. Dio Cass. 58, 20.

Tacit. Annal. 1, 81. *De comitiis consularibus, quae tum primum illo principe ac deinceps fuere, vix quidquam firmare ausim: adeo diversa non modo apud auctores, sed i n i p s i u s o r a t i o n i b u s reperiuntur. modo subtractis candidatorum nominibus originem cuiusque et vitam et stipendia descripsit, ut qui forent intelligeretur; aliquando ea quoque significatione subtracta candidatos hortatus ne ambitu comitia turbarent, suam ad id curam pollicitus est. plerumque eos tantum apud se professos disseruit, quorum nomina consulibus edidisset. posse et alios profiteri, si gratiae aut meritis confiderent. speciosa verbis, re inania aut subdola, quantoque maiore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius servitium.*

tum primum] a. u. 768 (15).

Incerta.

Sueton. Tiber. 28. Tiberius iactabat: *in civitate libera linguam mentemque liberas esse debere.* Et quondam: *Non tantum otii habemus, ut implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis: omnium inimicitiae hoc praetexto ad nos deferentur.* Extat et sermo eius: *Si quidem locutus aliter fuerit, dabo operam, ut ra-*

tionem factorum meorum dictorumque reddam; si perseveraverit, invicem eum odero. c. 29. Dissentiens in curia a Q. Haterio *Ignoscas*, inquit, *rogo, si quid adversus te liberius sicut senator dixero. Dixi et nunc et saepe alias, P. C., bonum et salutarem principem, quem vos tanta et tam libera potestate instruxistis, senatui servire debere et universis civibus saepe, et plerumque etiam singulis: neque id dixisse me poenitet, et bonos et aequos et faventes vos habui dominos et adhuc habeo.*

Q. Haterio] v. supra p. 525.

Superest in annalibus Taciti l. 4, 37. oratio Tiberii, quae ingenio ipsius historici tribui debet.

CXXIII. *Votienus Montanus*

Votienus Montanus Narbonensis quando natus sit, parum constat, verum a Tiberio imperatore a. 778 (25) in exilium pulsum esse scimus, ut Tacitus refert Ann. 4, 42. *Forte habita per illos dies de Votieno Montano, celebris ingenii viro, cognitio. — Postulato Votieno ob contumelias in Caesarem dictas —, Votienus quidem maiestatis poenis affectus est.* Atque biennio post a. 780 (27) e vita decessit teste Hieronymo ad Eusebii Chron. Olymp. 201. 3. Tiberii 14. Christi 28 = a. u. 780. *Votienus Montanus, Narbonensis, orator in Balearibus moritur, illuc a Tiberio relegatus.*

Eiusdem Votieni meminit Martialis Epigr. l. 8. 72. *Docti Narbo Paterna Votieni.*

Narbo Paterna] Narbo Paterna est Narbo Martius colonia Iulia Paterna. Conf. Ukert Geogr. T. 1. 2. p. 408 Ceterum non orationes tantum sed alia quoque scripta eum edidisse, testatur Seneca Controv. l. IV. p. 344.

Seneca Controv. l. 4. p. 335. *Montanus Votienus, homo rarissimi, etiamsi nec emendatissimi ingenii, vitium suum, quod in orationibus non evitabat, in scholasticis quoque evitare non potuit, sed in ora-*

tionibus, quia laxior est materia, minus earundem annotatur iteratio. In scholasticis, si eadem sunt, quae dicuntur, quia pauca sunt, notantur. — Habet hoc Montanus vitium. sententias suas repetendo corrumpit. dum non est contentus, unam rem semel bene dicere, efficit, ne bene dixerit. Et propter hoc et alia, quibus orator potest poetae similis videri, solebat Scaurus Montanum inter oratores Ovidium vocare. nam et Ovidius nescit, quod bene cessit, relinquere. (Eadem leguntur in Exc. Controv. l. 9. declam. 5. p. 508.)

Scaurus] Mamercus Aemilius Scaurus, de quo paulo post dicemus p. 558.

1. Oratio pro Galla Numisia apud centumviros.

Seneca Controv. l. 4. p. 335. *Memini, Montanum Votienum pro Galla Numisia apud centumviros tirocinium ponere. Ex uncia heres erat patris sui Galla. obiiciebatur illi veneficium. dixit rem disertissimam et omnibus seculis duraturam, quia nescio an quidquam melius in eo genere causarum dictum. Unciam nec filiae deberi nec veneficae. non fuit contentus, adiecit: In paternis tabulis filiae locus aut suus debetur aut nullus. Etiamnum adiicit: Relinquis nocenti nimium, innocenti parum. Ne sic quidem satiare se potuit; adiecit: Non potest filia tam anguste paternis tabulis adhaerere, quas aut totas possidere debet, aut totas perdere, et plura multa, quae memoria non repeto. Ex iis quaedam in orationem contulit, et alia plura, quam dixerat, adiecit. Nihil non ex eis bellum est, si solum sit: nihil non rursus ex eis alteri obstat.*

2. Oratio pro se contra Vinicium.

Accusavit Vinicius Montanum Votienum apud Tiberium Caesarem, a colonia Narbonensi rogatus.

Seneca Cont. l. 3. p. 264. *Vinicius, exactissimi vir ingenii, qui nec dicere res ineptas nec ferre poterat, solebat hanc sententiam Seniani deridere, et similem illi referre in oratione dictam Montani Votieni. „Acre*

omnino et experrectum est animal canis, utique catenarius paratus." — Erat autem non aequus ipsi Montano. accusaverat illum apud Caesarem a colonia Narbonensi rogatus. at Montanus adeo toto animo scholasticus erat, ut eodem die, quo accusatus est a Vinicio, recitaverit in Vinicii actionem sententias suas.

recitaverit] v. Schulting p. 244.

CXXIV. *Mamercus Aemilius Scaurus.*

Mamercus Aemilius Scaurus, quem Vossius De Poetis lat. p. 55. Marcum Aemil. Scaurum falso nominat, M. Scauri istius, cui, post pugnam Actiacam capto, nonnisi matris Muciae gratia Augustus ignovit (Dio 51. 2.) filius. Vir consularis, teste Tacito Ann. 3. 66. et Seneca de Benefic. 4, 31. Sed quando consulatum obtinuerit, non constat. A. 787 (34) maiestatis postulatus a Servilio et Cornelio Tusco damnationem voluntaria morte anteivit. Tacit. Ann. 6, 29. Dio 58, 24. Seneca Suasor. 2. p. 24. Conf. Drumann t. 1. p. 33.

Seneca Controv. l. 5. Praef. p. 347. *De Scauro si me interrogatis, cum illum mecum audieritis, iniqui estis. Non novi quemquam, cuius ingenio populus romanus pertinacius ignoverit. Dicebat negligenter saepe causam in ipsis subselliis; saepe, dum amicitur, dicebat; deinde litiganti similior quam agenti, cupiebat evocare aliquam vocem adversariorum, et in altercatione vires suas noverat. nihil erat illo venustius, nihil paratius; genus dicendi antiquum, verborum quoque non vulgarium gravitas, ipse cultus habitusque corporis mire ad auctoritatem oratoriam aptatus. Sed ex iis omnibus scire posses, non quantum oratorem praestaret Scaurus, sed quantum desereret; pleraeque actiones malae, in omnibus tamen aliquod magni neglectique ingenii vestigium extabat. raro aliqua actio bona, sed quam fortunae imputares. Sed illum longa, imo perpetua desidia eo perduxerat, ut nihil curare vellet, nihil posset. O r a t i o n e s*

septem edidit, quae deinde senatus consulto combustae sunt. Bene cum illis ignis egerat. Sed extant libelli, qui cum fama eius pugnant, multoque dissolutiores ipsis actionibus. Illas enim cum destitueret cura, calor adiuvabat: hi caloris minus habent, negligentiae non minus.

ibid. controv. 2. p. 104. *Scaurus, non tantum disertissimus homo, sed venustissimus, qui nullius umquam impunitam stultitiam transire passus est.*

Tacit. Annal. 6, 29. *Mamercus Scaurus insignis nobilitate et orandis causis, vita probrosus.*

1. Oratio contra Domitium Corbulonem.

Acta est causa a. 774 (21). Tacitus Annal. 3, 31. *Domitius Corbulo praetura functus de L. Sulla nobili iuvene questus est apud senatum, quod sibi inter spectacula gladiatorum loco non decessisset. pro Corbulone aetas, patrius mos, studia seniorum erant, contra Mamercus Scaurus et L. Arruntius aliique Sullae propinqui nitebantur. certabantque orationibus et memorabantur exempla maiorum, qui iuventutis irreverentiam gravibus decretis notavissent, donec Drusus apta temperandis animis disseruit, et satisfactum Corbuloni per Mamercum, qui patruus simul ac vitricus Sullae et oratorum ea aetate uberrimus erat.*

Drusus] Drusus Caesar eo anno consul erat.

2. Oratio contra C. Silanum.

Acta est causa a. 775 (22). Tacit. Annal. 3, 66. *C. Silanum, proconsulem Asiae, repetundarum a sociis postulatum, Mamercus Scaurus e consularibus, Iunius Othopraetor, Brutidius Niger aedilis simul corripiunt obiectantque violatum Augusti numen, spretam Tiberii maiestatem, Mamercus antiqua exempla iaciens, L. Cottam a Scipione Africano, Servium Galbam a Catone censorio, P. Rutilium a M. Scauro accusatos. videlicet Scipio et Cato talia ulcis-*

cebantur, aut ille Scaurus, quem proavum suum, opprobrium maiorum, Mamercus infami opera dehonestabat.

a Scipione] v. p. 186.
a Catone] v, p. 120.
a M. Scauro] v p. 256.

CXXV. *Caesar Germanicus.*

Natus Druso seniore et Antonia minore a. 739 (15). A. 757 (4 p. Ch.) adoptatus a Tiberio Augusti iussu, Caesar, Tiberii filius, Augusti nepos appellari coepit. A. 760 (7 p. Ch.) quaesturam obiit et Tiberio ad bellum Dalmaticum subsidio missus est. A. 765 (12) consul. Inde ab a. 767 (14) bella adversus Germanos gessit atque a. 770 (17) de Cheruscis Cattis et Angrivariis triumphum egit, ut testantur nummi. A. 771 (18) consul iterum. A. 772 (19) mortuus est, a Tiberio, ut fama fert, Pisonis ope clam veneno necatus anno aetatis trigesimo et secundo.

Ovidius in Fastis lib. 1. 21. de Caesare Germanico, cui librum suum inscripsit, sic dicit:

Quae sit enim culti facundia sensimus oris,
civica pro trepidis cum tulit arma reis;
Scimus et, ad nostras cum se tulit impetus artes,
ingenii currant flumina quanta tui.

Ovid. Epist. ex Ponto l. 2, 5. 39. sqq. *Salano:*

Mirarisque alios, cum sis mirabilis ipse,
nec lateant artes eloquiumque tuum.
Te iuvenum princeps, cui dat Germauia nomen,
participem studii Caesar habere solet.
Te dicente prius fit protinus impetus illi,
teque habet elicias qui sua verba tuis.
Cum tu desisti, mortaliaque ora quierunt,
clausaque non longa conticuere mora:
surgit Iuleo iuvenis cognomine dignus,
Qualis ab Eois Lucifer exit aquis.
Dumque silens adstat, status est vultusque diserti,
spemque decens doctae vocis amictus habet.
Mox ubi pulsa mora est atque os coeleste solutum,
hoc Superos iures more solere loqui.

Atque, haec est, dicas, facundia principe digna,
eloquio tantum nobilitatis inest.

iuvenum princeps] Caesar Germanicus.

Suetonius Caligula 3. *Omnes Germanico corporis animique virtutes, et quantas nemini cuiquam, contigisse satis constat, formam et fortitudinem egregiam, ingenium in utroque eloquentiae doctrinaeque genere praecellens. — Oravit causas etiam triumphalis atque inter cetera studiorum monumenta reliquit et comoedias graecas.*

triumphalis] a. 763 (10 p. Ch.). Atque Dio testis est l. 56, 26, etiam in consulatu a. 765 (12) causas eum egisse.

cetera monumenta] Quae sunt haec studiorum monumenta? intelligo orationes et poemata. carmina enim eum edidisse, nemo ignorat (supersunt enim). Orationes reliquisse, ex Tacito manifestum.

Tacitus in Annalibus 2, 83. ubi de honoribus Germanico mortuo tributis refert, haec scribit: *Cum censeretur clipeus auro et magnitudine insignis inter auctores eloquentiae, asseveravit Tiberius solitum paremque ceteris dicaturum, neque enim eloquentiam fortuna discerni, et satis illustre, si veteres inter scriptores haberetur.*

veteres inter scriptores] ex hoc loco verisimile est, Germanicum orationes edidisse: nam inter veteres scriptores habitus non esset, nisi ipse scriptor fuisset i. e. nisi orationes reliquisset.

CXXVI. *P. Vitellius.*

Aequalis fere Caesaris Germanici. Sueton. Vitellius 2. *P. Vitellius, eques romanus et rerum Augusti procurator, quatuor filios amplissimae dignitatis cognomines ac tantum praenominibus distinctos reliquit, Aulum, Quintum, Publium, Lucium. Aulus in consulatu obiit. Publius, Germanici comes, Cn. Pisonem inimicum et interfectorem eius, accusavit condemnavitque, ac post praeturae honorem inter Seiani conscios arreptus, et in custodiam fratri datus, scalpro librario venas sibi incidit, nec tam mortis poenitentia quam suorum obtestatione obligari curarique se passus, in eadem custodia morbo periit.*

in consulatu] a. 784 (32).
fratri] consuli. Anno enim 784 (32) contra Seianum et familiares eius, quos inter P. Vitellius fuerat, quaestiones exercentur.

Oratio adversus Cn. Pisonem.

Acta est causa a. 773 (20). Vitellius Pisonem interfectorem Germanici maiestatis reum fecit. Sueton. Caligula 2. *Obiit Germanicus, ut opinio fuit, fraude Tiberii, ministerio et opera Cn. Pisonis, qui sub idem tempus Syriae praepositus nec dissimulans, offendendum sibi aut patrem aut filium, quasi plane ita necesse esset, etiam aegrum Germanicum gravissimis verborum ac rerum acerbitatibus nullo adhibito modo affecit, propter quae, ut Romam rediit, pene discerptus a populo, a senatu capitis damnatus est.*

aut patrem] i. e. Tiberium, patrem adoptivum Germanici.
aut filium] Germanicum Tiberii filium adoptivum.

Causa celeberrima refertur a Tacito Annal. 3, 10. sqq. C. 13. *Biduum criminibus obiiciendis statuitur, utque sex dierum spatio interiecto reus per triduum defenderetur. tum Fulcinius vetera et inania orditur, post quem Servaeus et Veranius et Vitellius consimili studio, sed multa cum eloquentia Vitellius obiecere odio Germanici et rerum novarum studio, Pisonem vulgus militum per licentiam et sociorum iniurias eo usque corrupisse, ut parens legionum a deterrimis appellaretur, contra in optimum quemque, maxime in comites et amicos Germanici saevisse, postremo ipsum devotionibus et veneno peremisse, sacra hinc et immolationes nefandas ipsius atque Plancinae, petitam armis rempublicam, utque reus agi posset, acie victum.*

Plinius Hist. 11, 37, 71. *Negatur cor cremari posse in iis, qui cardiaco morbo obierint, negatur et veneno interemtis. Certe e x t a t o r a t i o V i t e l l i i, qua reum Pisonem eius sceleris coarguit, hoc usus argumento, palamque testatus, non potuisse ob vene-*

num cor Germanici Caesaris cremari. Contra genere morbi defensus est Piso.

CXXVII. *Domitius Afer.*

Nemausi natus circa annum 740 (14 a. Chr.): valde enim senex (Quintil. 12, 11, 3) mortem obiit a. 812 (59 p. Chr.) Praetor a. 778 (25 p. Ch.) (Tacitus Annal. 4, 52). Tiberio imperante. Consul suffectus a. 792 (39) Caligula imperatore. Dio Cassius 59, 20. Mortuus est a. 812 (59) Nerone imperatore. Tacitus Annal. 14, 19.: *Sequuntur virorum illustrium mortes, Domitii Afri et M. Servilii, qui summis honoribus et multa eloquentia viguerant, ille orando causas, Servilius diu foro, mox tradendis rebus romanis celebris, et elegantia vitae: quam clariorem effecit (Afer), ut par ingenio ita morum diversus.* Hieronymus ad Eusebii Chron. A. Mundi MMLX. A. IV. imperii Claudii. a. Christi 45 = a. u. 797: *Domitius Afer Nemausensis clarus orator habetur, qui postea Nerone regnante ex cibi redundantia in coena moritur.* Constat Nemausi statuam Domitii publice collocatam, eiusque inscriptio in Anthologia latina t. 1. p. 263 ed. meae legitur. — Conf. Spalding ad Quintil. 5, 7, 7.

Quintil. 10, 1, 118. *Sunt alii multi diserti, quos persequi longum est. Eorum, quos viderim, D o m i t i u s A f e r et Iulius Africanus longe praestantissimi. Arte ille et toto genere dicendi praeferendus et quem in numero veterum habere non timeas, hic concitatior, sed in cura verborum nimius et compositione nonnumquam longior et translationibus parum modicus.*

quos viderim] Quintilianus XVII annos erat natus, cum e vita decederet Domitius.

Quintil. 12, 10, 10. *In iis, quos ipsi vidimus, copiam Senecae, vires Africani, m a t u r i t a t e m A f r i, iucunditatem Crispi, sonum Trachali, elegantiam Secundi reperimus. at M. Tullium, non illum habemus Euphranorem circa plurium artium species prae-*

stantem, sed in omnibus, quae in quoque laudantur, eminentissimum.

Quintil. 12, 11, 3. *Vidi ego longe omnium, quos mihi cognoscere contigit, summum oratorem, Domitium Afrum valde senem, cotidie aliquid ex ea, quam meruerat, auctoritate perdentem, cum agente illo, quem principem fuisse quondam fori non erat dubium, alii, quod indignum videatur, riderent, alii erubescerent; quae occasio fuit dicendi, malle eum deficere, quam desinere.*

Quintil. 6, 3, 27. *Id porro quod dicitur, aut est lascivum et hilare, qualia A. Galbae pleraque, aut contumeliosum, qualia nuper Iunii Bassi, aut asperum, qualia Cassii Severi, aut lene, qualia Domitii Afri.*

Quintil. 6, 3, 42. *In narrando Cicero consistere facetias putat, dicacitatem in iaciendo. Mire fuit in hoc genere venustus Afer Domitius, cuius orationibus complures huiusmodi narrationes insertae reperiuntur, sed dictorum quoque ab eodem urbane sunt editi libri.*

Plinius Epist. 2, 14, 9. Ex Quintiliano praeceptore meo audisse memini. Narrabat ille: Adsectabar *Domitium Afrum*, cum apud centumviros diceret *graviter et lente, (hoc enim illi actionis genus erat)*, audiit ex proximo immodicum insolitumque clamorem; admiratus reticuit: ubi silentium factum est, repetiit quod abruperat. Iterum clamor, iterum reticuit, et post silentium coepit idem tertio. Novissime, quis diceret, quaesivit: responsum est, *Licinius*. Tum intermissa causa, centumviri, inquit, hoc artificium periit.

Tacit. Dial. de Orat. 13. *Ne nostris quidem temporibus Secundus Pomponius* (poeta) *Afro Domitio* (oratori) *vel dignitate vitae vel perpetuitate famae cesserit.*

ibid. c. 15. *Et quod quibusdam solatio est, mihi auget quaestionem, quia video etiam Graecis accidisse, ut longius absit ab Aeschine et Demosthene Sa-*

cerdos iste Nicetes et si quis alius Ephesum vel Mylitenas contentis scholasticorum declamationibus quatit, quam Afer aut Africanus aut vos ipsi a Cicerone aut ab Asinio recessistis.

Dio Cass. 59, 19. *ὁ Δομίτιος δεινότατος εἰπεῖν ὤν.*

1. Oratio adversus Claudiam Pulchram.

Acta est causa a. 779 (26 p. Chr.), Tiberio imperante. Postquam Caesar Germanicus a. 772 (19) fraude Tiberii, patris adoptivi, interemtus esset, Agrippina quoque, uxor eius, odium et invidiam imperatoris tantopere experta est, ut filii duo, aliique familiares vel damnarentur, vel necarentur, ipsa in exilium mitteretur. Eius sobrina, Claudia Pulchra postulatur accusante Domitio Afro. Conf. Weichert Poet. lat. Rel. p. 246.

Tacitus Annal. 4, 52. *At Romae commota principis domo, ut series futuri in Agrippinam exitii inciperet, Claudia Pulchra sobrina eius postulatur accusante Domitio Afro. Is recens praetura, modicus dignationis et quoquo facinore properus clarescere, crimen impudicitiae, adulterum Furnium, veneficia in principem et devotiones obiectabat. — Pulchra et Furnius damnantur. Afer primoribus oratorum additus, divulgato ingenio et secuta asseveratione Caesaris, qua suo iure disertum eum appellavit. mox capessendis accusationibus aut reos tutando prosperiore eloquentiae quam morum fama fuit, nisi quod aetas extrema multum etiam eloquentiae dempsit, dum fessa mente retinet silentii impatientiam.*

Dio Cassius l. 59, 19. tradit, Caligulam, postea imperatorem, in ius vocasse Domitium Afrum ob ipsam hanc accusationem eumque calliditate fretum vix poenam effugisse. *ἐν τούτοις τοῖς τότε κριθεῖσι καὶ ὁ Ἄφρος ὁ Δομίτιος καὶ κινδύνῳ παραδόξῳ καὶ σωτηρίᾳ θαυμασιωτέρᾳ ἐχρήσατο. ἤχθετο μὲν γὰρ αὐτῷ καὶ ἄλλως ὁ Γάϊος, ὅτε ἐπὶ τοῦ Τιβερίου γυναικός τινος, τῇ Ἀγριππίνῃ τῇ μητρὶ αὐτοῦ προσηκούσης, κατηγορήκει.*

γυναικός τινος] Claudiam Pulchram intelligit.

2. Oratio contra Varum Quintilianum.

Acta est causa a. 780 (27), Tiberio imperante. Varus Quintilius, Publii Quintilii Vari consulis a. 740 (13) filius.

Tacitus Annal. 4, 66. *Sed ut studia procerum et largitio principis adversum casus solatium tulerant, ita accusatorum maior in dies et infestior vis sine levamento grassabatur, corripueratque Varum Quintilium, divitem et Caesari propinquum, Domitius Afer, Claudiae Pulchrae matris eius condemnator, nullo mirante, quod diu egens et parto nuper praemio male usus plura ad flagitia accingeretur. P. Dolabellam socium delationis extitisse miraculo erat, quia claris maioribus et Varo connexus suam ipse nobilitatem, suum sanguinem perditum ibat. Restitit tamen senatus et opperiendum imperatorem censuit.*

3. Oratio pro Voluseno Catulo.

De tempore causae nihil aliud dicere possumus nisi eam actam esse ante a. 790 (37), quo Laelius Balbus in exilium eiectus est.

Quintil. 10, 1, 24. *Quin etiam, easdem causas ut quisque egerit, utile erit scire. Nam de domo Ciceronis dixit Calidius et pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia scripsit. Et Pollio et Messalla defenderunt eosdem, et nobis pueris insignes pro Voluseno Catulo Domitii Afri, Crispi Passieni, Decimi Laelii orationes ferebantur.*

nobis pueris] Quintilianus anno 795 (42) natus esse fertur.

4. Oratio pro Domitilla.

Acta est causa Claudio imperante, id est, inter annum 794—806 (41—54 p. Chr.) Quaeritur, quae sit Domitilla? Novimus tres Domitillas, quarum una Vespasiani uxor (Sueton. Vespas. 3.), altera Vespasiani filia; haec quoque filiam habuit nomine Domitillam. (Dio Cass. l. 67, 14). Conf. Eckhel Doctrina numor. t. 6. p. 345. Sed aliam esse mulierem, pro qua Afer dixerat, veri simile est, et fortasse ipsius Domitii necessaria. Argumen-

tum tale est. Cum Domitilla virum, qui inter rebellantes fuerat, sepelisset, apud Claudium imperatorem rea facta. Pro ea dixit Domitius. Claudius absolvit.

Quintil. 8, 5, 16. *Sunt et alio relata, ut Afer Domitius, cum Domitillam defenderet, cui obiectum crimen, quod virum, qui inter rebellantes fuerat, sepelisset, remiserat Claudius, in epilogo filios eius alloquens, Matrem tamen, inquit, pueri sepelitote.*

Domitillam] ex Ambrosiano 1. recepit Zumpt: antea legebatur *Cloantillam*.

filios] accusatores matris. nec filii tantum accusatores erant, sed frater quoque et paterni amici, ut ex sequenti patet.

Quintil. 9, 2, 20. *A schemate dubitationis non procul abest illa, quae dicitur communicatio, cum aut ipsos adversarios consulimus, ut Domitius Afer pro Domitilla: Nescit trepida, quid liceat feminae, quid coniugem deceat: forte vos in illa sollicitudine obvios casus miserae mulieri obtulit: tu, frater, vos, paterni amici, quod consilium datis?*

Quintil. 9, 3, 66. *Est* παρονομασία, *quae dicitur annominatio. Ea non uno modo fieri solet, sed ex vicinia quadam praedicti nominis ducta, casibus declinatur, ut Domitius Afer pro Domitilla: Mulier omnium rerum imperita, in omnibus rebus infelix.*

Quintil. 9, 4, 31. *Solebat Afer Domitius traiicere in clausulas verba tantum asperandae compositionis gratia, et maxime in prooemiis ut pro Domitilla: Gratias agam continuo. Adeo refugit teneram delicatamque modulandi voluptatem, ut currentibus per se numeris, quod eos inhiberet, obiiceret.*

continuo] haec vox, in clausula posita, numerum compositionis dissolvit.

5. Oratio pro Laelia.

Quintil. 9, 4, 31. *Solebat Afer Domitius traiicere in clausulas verba tantum asperandae compositionis*

gratia et maxime in prooemiis ut pro Domitilla — et pro Laelia: Eis utrisque apud te iudicem periclitatur Laelia. adeo refugit teneram delicatamque modulandi voluptatem, ut currentibus per se numeris, quod eos inhiberet, obiiceret.

Laelia] haec vox in clausula numerum orationis dirimit.
eis utrisque] Ellendt ad Cic. de Orat. 3, 6. p. 360. his verbis Domitii Afri tetrametrum trochaicum inesse scribit.
apud te] Caesarem.

6. Oratio contra libertum Claudii Caesaris.

Quintil. 6, 3, 81. *Contraria est neganti confessionis simulatio, sed ipsa quoque multum habet urbanitatis. Sic Afer, cum ageret contra libertum Claudii Caesaris, et ex diverso quidam conditionis eiusdem, cuius erat litigator, exclamasset, Praeterea tu semper in libertos Caesaris dicis: nec mehercule, inquit, quidquam proficio.*

nec-proficio] notum est, quantum liberti quidam apud Claudium Caesarem valuerint.

7. Oratio contra Longum Sulpicium.

Quintil. 6, 3, 32. *Solet interim accidere, ut id, quod in adversarium dicimus, aut in iudicem conveniat, aut in nostrum quoque litigatorem, quamquam aliqui reperiuntur, qui ne id quidem, quod in ipsos recidere possit, evitent: quod fecit Longus Sulpicius, qui, cum ipse foedissimus esset, ait eum, contra quem iudicio liberali aderat, ne faciem quidem habere liberi hominis; cui respondens Domitius Afer: Ex tui, inquit, animi sententia, Longe, qui malam faciem habet, liber non est?*

iudicio liberali] i. e. lis, in qua de libertate hominis agitur, servus an liber sit.

8. Oratio contra Mallium Suram.

Quintil. 6, 3. 54. *Metalepsis tam frigida quam est nominum fictio. — Sed haec eadem genera com-*

modius in rebus quam in nominibus respondent. *Afer enim venuste Mallium Suram, multum in agendo discursantem, salientem, manus iactantem, togam deiicientem et reponentem non agere dixit, sed satagere. Est enim dictum per se urbanum satagere, etiamsi nulla subsit alterius verbi similitudo.*

ibid. 11, 3, 126. *Discursare et, quod Domitius Afer de Sura Mallio dixit, satagere, ineptissimum.*

Sura Mallio] hunc Suram Mallium, aliunde incognitum, reperisse sibi visus est Oseunus in Apuleii Orthographie §. 8, ubi pro *Suda* legendum censet *Sura*: scribit Weichert Poet. lat. Rel. p. 247.

9. Oratio pro Taurinis.

Taurini sunt ii, qui coloniam Augustam Taurinorum incolunt.

Charisius p. 84. Torcular *Afer pro Taurinis*, sed torculare dici debet.

Incerta.

Quintil. 9, 3, 78. *Tertium est, quod in eosdem casus cadit,* ὁμοιόπτωτον *dicitur. — Neque semper paribus syllabis constat, ut est apud Afrum: Amisso nuper infelicis aulae, si non praesidio inter pericula, tamen solatio inter adversa. Eius fere videntur optima, in quibus initia sententiarum et fines consentiunt, ut hic praesidio, solatio.*

infelicie aulae] corruptum est. legendum videtur *infelicis Domitillae:* est enim fragmentum orationis *Afri pro Domitilla.* Et similiter Afer apud Quintilianum 9, 3, 66 in eadem oratione dixit: *Domitilla, mulier omnium rerum imperita, in omnibus rebus infelix.* Domitillae nomen in omnibus fere locis vitiose in codicibus legitur.

praesidio] ei respondet paribus syllabis *solatio*: utrumque ex quatuor syllabis constat. Initium sententiae *praesidio inter pericula* fini eiusdem *solatio inter adversa* prorsus consentit. Hac usi interpretatione, difficultatem, quae Speldingium vexavit, effugimus, nec traiectione verborum, a Buttmanno et Schützio excogitata, opus est.

Quintil. 5, 10, 79. *Unde illa, non hac ratione dicta, sed efficiens idem, Domitii Afri sententia est pulchra: Ego accusavi, vos damnastis.*

Quintil. 6, 3, 84. *Superest genus decipiendi opinionem aut dicta aliter intelligendi, quae sunt in omni hac materia vel venustissima. Inopinatum et a lacessente poni solet, quale illud Afri: homo in agendis causis optime vestitus.*

vestitus] figura quae dicitur παρὰ προςδοκίαν. Exspectabat auditor *versatus*. Duebner.

Quintil. 6, 3, 85. *Plurimus circa simulationem et dissimulationem risus est. Simulavit Afer, cum in causa subinde dicentibus, Celsinam de re cognovisse, quae erat potens femina: Quis est, inquit, iste? Celsinam enim sibi videri virum finxit.*

Quintil. 8, 5, 3. *Sententia est haec vox universalis, quae etiam citra complexum causae possit esse laudabilis, interim ad rem tantum relata, interim ad personam; quale est Afri Domitii: Princeps, qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere.*

Domitius Afer praeter orationes libros *de Testibus* (Quintil. 5, 7, 7.) et *Dictorum*, quorum fragmenta et apud Quintilianum et apud Dionem l. 60, 33. legimus, reliquit.

CXXVIII. *Iulius Africanus.*

Aequalis fere Domitii Afri; ortus e Santonis Gallica civitate. Eius pater, Iulius Africanus, Tiberio imperante a. 785 (32) iudicio condemnatus est, ut Tacitus refert in Annal. 6, 7. Conf. Spalding ad Quintil. 10, 1, 118.

Quintil. 10, 1, 118. *Sunt alii multi diserti, quos persequi longum est. Eorum quos viderim, Domitius Afer et Iulius Africanus longe praestantissimi. Arte ille et toto genere dicendi praeferendus, et quem in*

numero veterum locare non timeas, hic concitatior, sed in cura verborum nimius et compositione nonnumquam longior et translationibus parum modicus.

Quintil. 12, 10, 11. *In iis etiam, quos ipsi vidimus, copiam Senecae, vires Africani, maturitatem Afri, iucunditatem Crispi, sonum Trachali, elegantiam Secundi reperiemus.*

Dial. de Orator. c. 15. *Video etiam Graiis accidisse, ut longius absit ab Aeschine et Demosthene Sacerdos iste Nicetes, et si quis alius Ephesum vel Mitylenam contentis scholasticorum clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus aut vos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis.*

Plinius in Epist. 7, 6, 11. meminit *Iulii oratoris, quo audito Passienus Crispus dixit: Bene mehercule! bene: sed quo tam bene?*

Passienus Crispus] filius, de quo antea diximus p. 533.

1. Oratio apud Neronem de morte matris.

Dicta est a. 812 (59). Postquam Nero Agrippinam matrem Baiis necaverat, multi mortales, adulantes imperatori, adibant templa et coepto exemplo proxima Campaniae municipia victimis et legationibus laetitiam sunt testati, ut Tacitus narrat Ann. 14, 10. Deinde reversus Romam Nero ex provinciis finitimis legationes ad gratulandum missas accepit, quarum Gallicam Africanus ducebat orator, quia ipse natione erat Gallus.

Quintilianus 8, 5, 15. Iam haec magis nova sententiarum genera. *Ex inopinato: insigniter Africanus apud Neronem de morte matris: Rogant te, Caesar, Galliae tuae, ut felicitatem tuam fortiter feras.*

Galliae tuae] Extat nomus Galbae imperatoris, cuius inscriptio est TRES GALLIAE. Eckhel Doctrina l. 6. p. 293. Alii Galliam in quatuor provincias, alii in sex dividere solent. Ukert Geogr. v. Gallien p. 231. sqq.

fortiter feras] orator rogat Neronem, ne mortem Agrippinae matris aegre ferat, imo ea re laetetur. Sed ex inopinato verba composuit,

quae alioqui coniungi non solent, ut *felicitatem fortiter ferre.* Non minus affectate ipse Nero in oratione ad senatum de morte matris suae dixit: *Salvum me esse, adhuc nec credo nec gaudeo.*

CXXIX. *Caius Caesar Caligula.*

Natus est a. 765 (12 p. Ch.) Sueton. Calig. 8. Vid. Clinton ad h. a. Accepit imperium a. 790 (37). Occiditur a. 794 (41).

Tacit. Annal. 13, 3. *Primus ex iis, qui rerum potiti sunt, Nero alienae facundiae eguit. nam dictator Caesar summis oratoribus aemulus, et Augusto promta et profluens, quae deceret principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus aut consulto ambiguus. etiam Cai Caesaris turbata mens vim dicendi non corrupit.*

Sueton. Calig. 53. *Ex disciplinis liberalibus minimum eruditioni, eloquentiae plurimum attendit, quantumvis facundus et promtus, utique si perorandum in aliquem esset. Irato et verba et sententiae suppetebant, pronuntiatio quoque et vox, ut neque eodem loci prae ardore consisteret et exaudiretur a procul stantibus. Peroraturus stricturum se lucubrationis suae telum minabatur, lenius comtiusque scribendi genus adeo contemnens, ut Senecam tum maxime placentem commissiones meras componere et arenam esse sine calce diceret.*

Dionis Excerpta Vaticana p. 534. *Γάϊος Καῖσαρ ῥήτωρ ἦν ἄριστος καὶ γλώσσῃ τῇ Ἑλλάδι καὶ τῇ Ῥωμαίοις πατρίῳ σφόδρα ἠσκημένος* (quem locum Tafelius in lib. 59, 11. inseruit). Eadem verba leguntur in Iosephi Antiquitatibus l. 19, 2, 5.

Suidas T. 1. Fasc. III. p. 1059. *Γάϊος Καῖσαρ, ὃς ἐπεκλήθη Καλλιγόλας, ῥητορικὴν τέχνην ῥωμαικῶς.*

Caligulam scripsisse orationes, testatur Tranquillus aliorumque rescripsit orationibus.

Sueton. Calig. 53. *Solebat etiam prosperis oratorum actionibus rescribere, et magnorum in senatu*

reorum accusationes defensionesque meditari, ac prout stilus cesserat, vel onerare sententia sua quemque vel sublevare, equestri quoque ordine ad audiendum invitato per edicta.

1. Laudatio funebris Liviae Augustae.

Ea est dicta a. 782 (29).

Tacit. Annal. l. 5, 1. *Rubellio et Fufio consulibus, quorum utrique Geminus cognomentum erat, Iulia Augusta mortem obiit aetate extrema. laudata est pro rostris a Gaio Caesare pronepote, qui mox rerum potitus est.*

Suet. Calig. 10. *Liviam Augustam defunctam praetextatus etiam tunc pro rostris laudavit.*

2. Laudatio funebris Tiberii Caesaris.

Ea est habita a. 790 (37).

Sueton. Calig. 15. *Tiberium cum multis lacrimis pro concione laudavit.*

Dio Cassius l. 59, 3. *ἐποιήσατο μὲν γὰρ καὶ λόγους ἐπ᾽ αὐτῷ, ἀλλ᾽ οὔτι γε καὶ ἐκεῖνον οὕτως ἐπαινῶν, ὡς τοῦ τε Αὐγούστου καὶ τοῦ Γερμανικοῦ τὸν δῆμον ἀναμιμνήσκων καὶ ἑαυτὸν αὐτῷ παρακατατιθέμενος.* Conf. Eckhel D. N. t. VI. p. 219.

3. Oratio cum consulatum iniret.

Ea est dicta a. 791 (38). Dio Cass. l. 59, 6. *ὁ Γάϊος ταῦτα τε ἐπιεικῶς ποιῆσαι ἔδοξε, καὶ τοιαῦτα ἐπιβὰς τῆς ὑπατείας ἐν τῷ βουλευτηρίῳ ἐδημηγόρησε, τοῦ τε Τιβερίου καθ᾽ ἕκαστον ὧν ᾐτιάζετο κατατρέχων, καὶ περὶ ἑαυτοῦ πολλὰ ἐπαγγελλόμενος. ὥςτε τὴν γερουσίαν, φοβηθεῖσαν μὴ μεταβάλληται, δόγμα ποιῆσαι, κατ᾽ ἔτος αὐτὰ ἀναγινώσκεσθαι.*

4. Oratio contra Domitium Afrum.

Ea est dicta a. 792 (39). Dio Cassius l. 59, 19. *ἐν τούτοις τοῖς τότε κριθεῖσι καὶ ὁ Ἄφρος ὁ Δομίτιος καὶ κινδύνῳ παραδόξῳ καὶ σωτηρίᾳ θαυμασιωτέρᾳ ἐχρήσατο. — — ἔς τε τὸ συνέδριον αὐτὸν εἰσήγαγε καὶ λό-*

γον κατ᾽ αὐτοῦ μακρὸν ἀνέγνω. ἄλλως τε γὰρ προέχειν ἁπάντων τῶν ῥητόρων ἠξίου, καὶ ἐκεῖνον δεινότατον εἰπεῖν εἰδὼς ὄντα, ὑπερβαλεῖν ἐσπούδασε. — — τῷ γε Καλλίστῳ αἰτιασαμένῳ αὐτὸν ὕστερον, ὅτι καὶ τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ κατηγόρησεν, ἀπεκρίνατο ὅτι οὐκ ἔδει με τοιοῦτον λόγον ἀποκεκρύφθαι.

CXXX. *Tiberius Claudius Caesar.*

Natus est a. 744 (10). Sueton. Claud. 2. A. 794 (41) imperium obtinuit. Mortuus est a. 807 (54).

Sueton. Claudius c. 3. *Disciplinis tamen liberalibus ab aetate prima non mediocrem operam dedit, ac saepe experimenta cuiusque etiam publicavit. Verum ne sic quidem quidquam dignitatis assequi aut spem de se commodiorem in posterum facere potuit.*

ibid. c. 4. *Augustus in epistola quadam ad Liviam: Tiberium nepotem tuum placere mihi declamantem potuisse, peream nisi, mea Livia, admiror. Nam qui tam ἀσαφῶς loquatur, qui possit, cum declamat, σαφῶς dicere, quae dicenda sunt, non video.*

quae dicenda sunt] tamquam glossam delenda censet Spalding ad Quintil. 4, 2, 118.

Tacitus Annal. 13, 3. *Primus ex iis, qui rerum potiti sunt, Nero alienae facundiae eguit. Augusto promta et profluens, quae deceret principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet; etiam Cai Caesaris turbata mens vim dicendi non corrupit. nec in Claudio, quoties meditata dissereret, elegantiam requireres.*

Orationes.

Suet. Claud. 38. *Ne stultitiam quidem suam reticuit, simulatamque a se ex industria sub Gaio, quod aliter evasurus perventurusque ad susceptam stationem non fuerit, quibusdam oratiunculis testatus est: nec tamen persuasit.*

1. Oratio super civitate Gallis danda.

Claudius eam orationem in censura a. 801. (48) habuit, qua effecit, ut Aeduorum senatoribus ius Romae honorum petendorum concederetur. Tacitus Annal. XI, 23. *A. Vitellio L. Vipstano consulibus cum de supplendo senatu agitaretur, primoresque Galliae, quae Comata appellatur, foedera et civitatem romanam pridem assecuti, ius adipiscendorum in urbe honorum expeterent, multus ea super re variusque rumor, et studiis diversis apud principem certabatur, asseverantium, non adeo aegram Italiam, ut senatum suppeditare urbi suae nequiret. — His atque talibus haud permotus princeps et statim contra disseruit, et vocato senatu ita exorsus est.* Deinde sequitur oratio, quam imperatori Tacitus tribuit.

Orationem principis secuto patrum consulto, primi Aedui senatorum in urbe ius adepti sunt. Datum id foederi antiquo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo romano usurpant.

Tacitum autem ad vivum expressisse orationem Claudii imperatoris, quamvis proprio eam stilo formaret ingeniose atque converteret, ex vera eiusdem oratione, cuius supersunt fragmenta, cognoscimus. Extant enim tabulae aeneae duae, Lugduni, urbe Gallorum, erutae (Millin Voyage dans le Midi t. 1. p. 452. Barthelemy Oeuvres Diverses T. 3. p. 8.) quae magnam illius partem continent. Vid. Gruteri Thesaurus Inscript. p. 502. Lipsius in Excursu ad Taciti Annal. XI. 24 (in Bekkeri editione lectio non uno loco emendata est), Brotier ad Tacitum Ed. Paris. 1820. t. 4. p. 474. Fiedler Geschichte des röm. Staates p. 496. Sed ante omnia dignus commemoratione liber *Zellii: Claudii imperatoris oratio super civitate Gallis danda. Friburgi* 1833.

Tabula 1.

. . . . mae rerum nostr. . . . su . . . .
Equidem primam omnium illam cogitationem hominum, quam maxime primam occursuram mihi provi-

deo, deprecor, ne quasi novam istam rem introduci exhorrescatis; sed illa potius cogitetis, quam multa in hac civitate novata sint, et quidem statim ab origine urbis nostrae, in quot formas statusque res publica nostra deducta sit. Quondam reges hanc tenuere urbem, nec tamen domesticis successoribus eam tradere contigit. Supervenere alieni et quidam externi, ut Numa Romulo successerit ex Sabinis veniens, vicinus quidem, sed tunc externus, ut Anco Marcio Priscus Tarquinius. Propter temeratum sanguinem, quod patre Demarato Corinthio natus erat et Tarquiniensi matre generosa sed inopi, (ut quae tali marito necesse habuerit succumbere) cum domi repelleretur a gerendis honoribus, postquam Romam migravit, regnum adeptus est. Huic quoque et filio nepotive eius (nam et hoc inter auctores discrepat) insertus Servius Tullius, si nostros sequimur, captiva natus Ocresia; si Tuscos, Caeli quondam Vivennae sodalis fidelissimus omnisque eius casus comes. Postquam varia fortuna exactus, cum omnibus reliquiis Caeliani exercitus Etruria excessit, montem Caelium occupavit et a duce suo Caelio ita appellitatus, mutatoque nomine (nam Tusce Mastarna ei nomen erat) ita appellatus est, ut dixi, et regnum summa cum rei publicae utilitate obtinuit. Deinde postquam Tarquinii Superbi mores invisi civitati nostrae esse coeperunt, qua ipsius, qua filiorum eius: nempe pertaesum est mentes regni, et ad consules, annuos magistratus, administratio reipublicae translata est. Quid nunc commemorem dictaturae hoc ipso consulari imperium valentius repertum apud maiores nostros, quo in asperioribus bellis aut in civili motu difficiliore uterentur? aut in auxilium plebis creatos tribunos plebei? quid a consulibus ad decemviros translatum imperium, solutoque postea decemvirali regno ad consules rursus reditum? Quid imp ..uris distributum consulare imperium, tribunosque militum consulari imperio appellatos, qui seni et saepe octoni crearentur?

Quid communicatos postremo cum plebe honores non imperi solum, sed sacerdotiorum quoque? Iam si narrem bella, a quibus coeperint maiores nostri et quo processerimus, vereor, ne nimis insolentior esse videar et quaesisse iactationem gloriae prolati imperii ultra oceanum. Sed illuc potius revertar: civitatem ....

Tabula 2.

. . . sane . . . . novo . . . . divus Aug. . . . no . . . . tus et patruus Tiberius Caesar omnem florem ubique coloniarum ac municipiorum, bonorum scilicet virorum et locupletium, in hac curia esse voluit. Quid ergo? non Italicus senator provinciali potior est? Iam vobis cum hanc partem censurae meae approbare coepero, quid de ea re sentiam, rebus ostendam. Sed ne provinciales quidem, si modo ornare curiam poterint, reiiciendos puto. Ornatissima ecce colonia valentissimaque Viennensium quam longo iam tempore senatores huic curiae confert. Ex qua colonia inter paucos equestris ordinis ornamentum L. Vestinum familiarissime diligo et hodieque in rebus meis detineo: cuius liberi fruantur quaeso primo sacerdotiorum gradu, postmodo cum annis promoturi dignitatis suae incrementa. Ut dirum nomen latronis taceam, et odi illud palaestricum prodigium, quod ante in domum consulatum intulit, quam colonia sua solidum civitatis romanae beneficium consecuta est. Idem de fratre eius possum dicere, miserabili quidem indignissimoque hoc casu, ut vobis utilis senator esse non possit.

Tempus est iam, Tiberi Caesar Germanice, detegere te patribus conscriptis, quo tendat oratio tua: iam enim ad extremos fines Galliae Narbonensis venisti. —

Tot ecce insignes iuvenes quot intueor, non magis sunt poenitendi senatores quam poenitet, Persicum, nobilissimum virum, amicum meum, inter imagines maiorum suorum Allobrogici nomen legere. Quod si

haec ita esse consentitis, quid ultra desideratis, quam ut vobis digito demonstrem, solum ipsum ultra fines provinciae Narbonensis iam vobis senatores mittere, quando ex Lugduno habere nos nostri ordinis viros non poenitet. Timide quidem, patres conscripti, egressus adsuetos familiaresque vobis provinciarum terminos sum, sed destricte iam comatae Galliae causa agenda est, in qua, si quis hoc intuetur, quod bello per decem annos exercuerint divum Iulium, idem opponat centum annorum immobilem fidem obsequiumque multis trepidis rebus nostris plusquam expertum. Illi patri meo Druso Germaniam subigenti tutam quiete sua securamque a tergo pacem praestiterunt, et quidem cum a census novo tum opere et inadsueto Galliis ad bellum advocatus esset. Quod opus quam arduum sit nobis nunc cum maxime, quamvis nihil ultra, quam ut publice notae sint facultates nostrae, exquiratur, nimis magno experimento agnoscimus.

Tab. 1.

appellitatus] *appellitavit* Niebuhr R.G. t. 1. p. 393. n. 859. O. Müller Die Etrusker 1. p. 117. Zell. Sed vulgatam defendit lectionem Göttling G. d. röm. St. p. 232.

Quid im . . . uris] *quid inter pluris* Niebuhr t. 2. p. 173. Ed. 1. Zell. *Quid imperantibus centuriis.* Fiedler et Göttling p. 326.

Tab. 2.

reiiciendos] sic Zellius e libro Menestrierii. Ceteri *recipiendos.*

latronis] is, in quem Claudius tam acerbe suppresso nomine invehitur, Valerius Asiaticus est. Tacitus Ann. XI, 1—4. Zell.

tempus est] haec tam inepta sunt, ut, si umquam de aliquo vetere monumento dubitandum censui, huius tabulae fides maxime dubia esse videatur.

a census] *a censu* Bekker in Lipsii Excursu ad Tac. Annal. XI. 24.

advocatus] *avocatus* Bekker.

publice] *publicae* Zell. sed prius verum est.

CXXXI. *L. Annaeus Seneca.*

Natus est a. 747 (7) (Clinton ad a. 750.), equestri et provinciali loco ortus, ut Tacitus Annal. 14, 53. tradidit. Quaesturam nescio quo anno obtinuit; sub Tiberio

an sub Caio imperatore incertum. Seneca Consol. ad Helviam c. 17. A. 794 (41) in insulam Corsicam in exilium mittitur, Claudio imperatore iubente. A. 802 (49) ab exilio revocatus, praeturam obtinet, et rector studiorum fit Neronis iuvenis. Tacitus Annal. 12, 8. *Agrippina ne malis tantum facinoribus notesceret, veniam exilii pro Annaeo Seneca, simul praeturam impetrat, laetum in publicum rata ob claritudinem studiorum eius, utque Domitii pueritia tali magistro adolesceret, et consiliis eiusdem ad spem dominationis uteretur, quia Seneca fidus in Agrippinam memoria beneficii et infensus Claudio* (a quo in exilium missus est) *dolore iniuriae credebatur.* Conf. Annal. 13, 2. Schol. Iuvenalis ad Sat. 5, 109. *Seneca sub Claudio quasi conscius adulteriorum Iuliae, Germanici filiae, in Corsicam relegatus, post triennium* (leg. *post septennium) revocatus est. qui etsi magno desiderio Athenas intenderet, ab Agrippina tamen erudiendo Neroni in palatium adductus, saevum immanemque natum et sensit cito et mitigavit.* Consul a. 815 (62). Occiditur iussu Neronis a. 818 (65), unum et septuaginta annos natus. Conf. Tacitus Annal. 15. 60—65. Hieronymus ad Eusebii Chron. Olymp. 211. Neronis XI. Christi 66. = 818: *L. Annaeus Seneca Cordubensis, praeceptor Neronis et patruus Lucani poetae, incisione venarum et veneno hausto periit.* Vitam Senecae descripsit I. Lipsius, deinde Visconti in Iconographia Romana t. 2. p. 399. aliique, quos enumerat Westermannus p. 286.

Quintil. 10, 1, 125. *Ex industria Senecam in omni genere eloquentiae distuli propter vulgatam falsam de me opinionem, quia damnare eum et invisum quoque habere sum creditus. Quod accidit mihi, dum corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora iudicia contendo. Tum autem solus hic fere in manibus adolescentium fuit. Quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus praeferri non sinebam, quos ille non destiterat inces-*

sere, cum diversi sibi conscius generis placere se in dicendo posse, quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem eum magis quam imitabantur, tantumque ab eo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat: foret enim optandum, pares aut saltem proximos illi viro fieri. Sed placebat propter sola vitia, et ad ea se quisque dirigebat effingenda quae poterat; deinde cum se iactaret eodem modo dicere, Senecam infamabat. Cuius et multae alioqui et magnae virtutes fuerunt, ingenium facile et copiosum, plurimum studii, multa rerum cognitio, in qua tamen aliquando ab his, quibus inquirenda quaedam mandabat, deceptus est. Tractavit etiam omnem fere studiorum materiam. Nam et orationes eius et poemata et epistolae et dialogi feruntur; in philosophia parum diligens, egregius tamen vitiorum insectator fuit; multae in eo claraeque sententiae, multa etiam morum gratia legenda, sed in eloquendo corrupta pleraque atque eo perniciosissima, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio: Nam si aliqua contemsisset, si partem non concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset, consensu potius eruditorum quam puerorum amore comprobaretur. verum sic quoque iam robustis et severiore genere satis firmatis legendus, vel ideo quod exercere potest utrinque iudicium. Multa enim, ut dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda sunt, eligere modo curae sit, quod utinam ipse fecisset. Digna enim fuit illa natura, quae meliora vellet, quae quod voluit effecit.

Quint. 12, 10, 11. *In iis etiam, quos ipsi vidimus, copiam Senecae, viros Africani, maturitatem Afri, iucunditatem Crispi, sonum Trachali, elegantiam Secundi reperiemus.*

Gellius l. 12, 2. *De Annaeo Seneca partim existimant ut de scriptore minime utili, cuius libros attingere nullum pretium operae sit, quod oratio eius*

vulgaris videatur et protrita, res atque sententiae aut ut inepto inanique impetu sint aut ut levi et quasi dicaci argutia; eruditio autem vernacula et plebeia nihilque ex veterum scriptis habens neque gratiae neque dignitatis. Alii vero elegantiae quidem in verbis parum esse, non infitias eunt, sed et rerum, quas dicat, scientiam doctrinamque ei non deesse dicunt, et in vitiis morum obiurgandis severitatem gravitatemque non invenustam. — — Dignus sane Seneca videatur lectione ac studio adolescentium. — Sed adolescentium indolem non tam iuvant, quae bene dicta sunt, quam inficiunt, quae pessime, multoque tanto magis, si et plura, quae deteriora sunt, et quaedam in his non pro enthymemate aliquo rei parvae ac simplicis, sed in re ancipiti pro consilio dicuntur.

Tacit. Ann. 13, 42. *Nec Suillius questu aut exprobratione abstinebat, praeter ferociam animi extrema senecta liber, et Senecam increpans infensum amicis Claudii, sub quo iustissimum exilium pertulisset. simul studiis inertibus et iuvenum imperitiae suetum livere iis, qui vividam et incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercerent.*

Suillius] ibid. *eius opprimendi gratia repetitum credebatur senatus consultum poenaque Cinciae legis adversum eos, qui pretio causas oravissent.*

Suetonius Caligula c. 53. *Caligula lenius comtiusque scribendi genus adeo contemnens fuit, ut Senecam tum maxime placentem commissiones meras componere et arenam esse sine calce diceret.*

Dio Cassius l. 59, 19. tradit, Senecam aliquando, cum orationem habuisset, vix mortem effugisse, cum eius laudibus invideret Caligula imperator: *ὁ δὲ Σενέκας Ἄννιος Λούκιος, ὁ πάντας μὲν τοὺς καθ᾽ ἑαυτὸν Ῥωμαίους, πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλους σοφίᾳ ὑπεράρας, διεφθάρη παρ᾽ ὀλίγον, μήτ᾽ ἀδικήσας τι μήτε δόξας, ὅτι δίκην*

τινὰ ἐν τῷ συνεδρίῳ παρόντος αὐτοῦ (praesente Caligula) *καλῶς εἶπε.*

Fronto p. 239. *Confusam eam ego eloquentiam, catachannae ritu partim igneis nucibus Catonis, partim Senecae mollibus et febriculosis prunulis insitam subvertendam censeo radicitus, imo vero Plautino irato verbo exradicitus. Neque ignoro copiosum sententiis et redundantem hominem esse, verum sententias eius tolutares video quatere campum quadripedo concito cursu, tenere nusquam, pugnare nusquam, instantem eludere, ut Laberius dictabolaria, imo dicteria potius eum quam dicta continere. Itane existimas graviores sententias et eadem de re apud Annaeum istum reperturum te quam apud Sergium? Sed non modulatas aeque, fateor, neque ita cordaces, (ita est,) neque ita tinnulas: non nego. At enim sunt quaedam in libris eius scite dicta, graviter quoque nonnulla. Etiam laminae interdum argentiolae cloacis inveniuntur, eane re cloacas purgandas redimemus?*

igneis] *ligneis*, i. e. duris emendat Buttmann.

quatere campum] recepi emendationem ingeniosam Orellii in adnotat. ad Chrestomathiam Frontonianam p. 173. Vulgo: *tolutares video quamquam quadripedo concito cursu t. n. p. nusquam . . . estatem etudere.*

Sergium] corruptum puto nomen.

Seneca cum alias orationes edidit tum eas, quas Neroni principi scripserat.

1. Laudatio funebris Claudii imperatoris.

Ea est dicta a. 807 (54). Tacitus Annal. 13, 3. *Die funeris laudationem eius (Claudii) princeps (Nero) exorsus est: dum antiquitatem generis, consulatus ac triumphos maiorum enumerabat, intentus ipse et ceteri; liberalium quoque artium commemoratio, et nihil regente eo triste rei publicae ab externis accidisse, pronis animis audita. postquam ad providentiam sapientiamque flexit, nemo risui temperare, quamquam oratio a Seneca composita multum cultus*

praeferret, ut fuit illi viro ingenium amoenum et temporis eius auribus accommodatum. adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera et praesentia contendere, primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienae facundiae eguisse.

2. Oratio Neronis ad milites praetorianos.

Eam habuit Nero a. 807 (54), cum imperium iniret, eo fine ut milites sibi conciliaret praetorianos, eamque composuerat Seneca.

Dio Cass. l. 61, 3. *ἑπτὰ δὲ καὶ δέκα ἔτη ἦγεν* (Nero) *ὅτ᾽ ἦρξεν. ἔς τε το στρατόπεδον ἐςῆλθε, καὶ ἀναγνοὺς ὅσα ὁ Σενέκας ἐγεγράφει, ὑπέσχετο αὐτοῖς ὅσα ὁ Κλαύδιος ἐδεδώκει.*

3. Oratio Neronis ad senatum.

Dicta est a. 807 (54); eamque confecerat Seneca.

Dio Cass. l. 61, 3. *τοσαῦτα δὲ καὶ πρὸς τὴν βουλὴν, πρὸς τοῦ Σενέκου καὶ αὐτὰ γραφέντα, ἀνέγνω, ὥς τε καὶ ἐς ἀργυρᾶν στήλην ἐγγραφῆναι, καὶ ἐν ταῖς νέαις τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἀρχαῖς ἀναγινώσκεσθαι ψηφισθῆναι. καὶ οἱ μὲν ἐκ τούτων, ὡς καὶ κατὰ συγγραφήν τινα καλῶς ἀρχθησόμενοι, παρεσκευάζοντο.*

4. Oratio Neronis pro Plautio Laterano.

Eam Nero dixit a. 808 (55). Tacit. Annal. 13, 11. *Claudio Nerone L. Antistio consulibus — secuta est lenitas in Plautium Lateranum, quem ob adulterium Messalinae ordine remotum reddidit senatui, clementiam suam obstringens crebris orationibus, quas Seneca, testificando quam honesta praeciperet, vel iactandi ingenii voce principis vulgabat.*

5. Oratio Neronis de morte Agrippinae, matris suae.

Ea oratio missa ad senatum a. 812 (59).

Tacit. Ann. 14, 11. *Nero litteras ad senatum misit, quarum summa erat, repertum cum ferro percussorem Agerinum, ex intimis Agrippinae libertis, et luisse eam poenam conscientia, qua scelus paravisset. adiiciebat crimina longius repetita, quod con-*

sortium imperii iuraturasque in feminae verba praetorias cohortes idemque dedecus senatus et populi speravisset, ac postquam frustra optata sint, infensa militi patribusque et plebi dissuasisset donativum et congiarium, periculaque viris illustribus instruxisset. Quanto suo labore perpetratum, ne irrumperet curiam, ne gentibus externis responsa daret. temporum quoque Claudianorum obliqua insectatione cuncta eius dominationis flagitia in matrem transtulit, publica fortuna exstinctam referens. namque et naufragium narrabat: quod fortuitum fuisse, quis adeo hebes inveniretur ut crederet? aut a muliere naufraga missum cum telo unum, qui cohortes et classes imperatoris perfringeret? ergo non iam Nero, cuius immanitas omnium questus anteibat, sed Seneca rumore adverso erat, quod oratione tali confessionem scripsisset.

Quintil. 8, 5, 18. *Facit quasdam sententias sola geminatio. qualis est Senecae in eo scripto, quod Nero ad senatum misit occisa matre, cum se periclitatum videri vellet, Saluum me esse adhuc nec credo nec gaudeo.*

in eo scripto] i. e. in ea oratione, quam Tacitus tradidit.

Dio Cassius l. 61, 14. *Τῇ γερουσίᾳ ἐπέστειλε* (Nero) *ἄλλα τε ὅσα συνῄδει αὐτῇ καταριθμῶν, καὶ ὅτι ἐπεβούλευσέ τε αὐτῷ, καὶ φωραθεῖσα ἑαυτὴν διακατεχρήσατο. καὶ τῇ μὲν βουλῇ ταῦτα ἐπέστειλεν.*

CXXXII. *Decimus Laelius Balbus.*

Puto filium esse Decimi Laelii Balbi consulis a. 748 (6). Deque eo scriptores nihil aliud referre video nisi deportatum esse in insulam extremo Tiberii anno, id est a. 790 (37). Tac. Annal. 6, 47 et 48. Falster in Memoriis p. 49 scribit, Decimum Laelium oratorem sub Vespasianis vixisse, deceptus et falsa lectione et mala interpretatione verborum Plinii in Hist. Nat. Praef. §. 7.

Tacit. Ann. 6, 48. *Laelius Balbus truci eloquentia habebatur, promtus adversum insontes.*

1. Oratio pro Voluseno Catulo.

Quintil. 10, 1, 24. *Nobis pueris insignes pro Voluseno Catulo Domitii Afri, Crispi Passieni, Decimi Laelii orationes ferebantur.*

Domitii Afri] v. pag. 566.

Crispi Passieni] v. orationes Passieni filii pag. 536.

2. Oratio contra Acutiam.

Acta est causa a. 790 (37). Tacit. Annal. 6, 47. *Laelius Balbus Acutiam, P. Vitellii quondam uxorem, maiestatis postulaverat, qua damnata cum accusatori praemium decerneretur, Iunius Otho tribunus plebei intercessit. unde illis odia, mox Othoni exsilium.*

CXXXIII. *Vibius Crispus.*

Natus Vercellis anno circiter 770 (17 p. Chr.): mortuus enim est annos LXXX natus Domitiano imperante circa annum 849 (96). Iuvenalis Sat. 4, 81 sqq. In Fastis Consularibus Baiteri *C. Vibius Crispus* consul suffectus dicitur a. 794 (42) Claudio imperante. Proconsul Africae appellatur a Plinio Hist. l. 19, 1. Eius vitam adumbravit W. E. Weber ad Iuvenalis Sat. 4, 81.

Tacitus Dialog. de Orat. c. 8. *Ausim contendere, Marcellum hunc Eprium et Crispum Vibium (libentius enim novis et recentibus quam remotis et oblitteratis exemplis utor) non minus esse in extremis partibus terrarum quam Capuae aut Vercellis, ubi nati dicuntur. nec hoc illis alterius ter millies sestertium praestat, quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiae beneficio venisse, cuius numen et coelestis vis multa quidem omnibus seculis exempla dedit, ad quam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint; sed haec, ut supra dixi, proxima et quae non auditu cognoscenda, sed oculis spectanda habemus. nam quo sordidius et abiectius nati sunt, quoque notabilior paupertas et angustiae parentum nascentes eos circumsteterunt, eo clariora et ad demonstrandam oratoriae eloquentiae utilitatem illustriora exempla sunt, quod sine commendatione natalium, sine substantia facultatum, neuter moribus*

egregius, alter habitu quoque corporis contemtus, per multos iam annos potentissimi sunt civitatis, et donec libuit, principes foro, nunc principes in Caesaris amicitia agunt, feruntque cuncta, atque ab ipso principe cum quadam reverentia diliguntur, quia Vespasianus, venerabilis senex et patientissimus veri, bene intelligit, et ceteros quidem amicos suos iis niti, quae ab ipso acceperint, quaeque ipsi accumulare et in alios congerere promtum est, Marcellum autem et Crispum attulisse ad amicitiam suam, quod non a principe acceperint nec accipi possit.

Quintilian. 10, 1, 119. *Eorum quos viderim Domitius Afer et Iulius Africanus longe praestantissimi. Erant clara et nuper ingenia. Nam et Trachalus plerumque sublimis et satis apertus fuit, et Vibius Crispus compositus et iucundus et delectationi natus, privatis tamen causis quam publicis melior.*

Quintil. 12, 10, 11. *In iis etiam, quos ipsi vidimus, copiam Senecae, vires Africani, maturitatem Afri, iucunditatem Crispi, sonum Trachali, elegantiam Secundi reperiemus.*

Iuvenalis Sat. 4, 81.

— — Venit et *Crispi iucunda senectus,*
cuius *erant mores, qualis facundia, mite*
ingenium. maria ac terras populosque regenti
quis comes utilior, si clade et peste sub illa
saevitiam damnare et honestum adferre liceret
consilium? Sed quid violentius aure tiranni,
cum quo de pluviis aut aestibus aut nimboso
vere locuturi fatum pendebat amici?
Ille igitur numquam direxit brachia contra
torrentem, *nec civis erat, qui libera posset*
verba animi proferre et vitam impendere vero.
Sic *multas hiemes atque octogesima vidit*
Solstitia.

Scholiasta Iuvenalis ad Sat. 4, 81. *Crispus, municeps Viselliensis, tirocinio suo in senatu ita coepit „patres conscripti et tu Caesar", propter quod simul*

oratione plenissime a Tiberio conlaudatus, plurimas sponte causas apud centumviros egit. pro qua re in basilica Iulia eius statua posita est. consulatus duos gessit. uxores habuit duas, primam Domitiam, deinde Agrippinam, illam amitam, hanc matrem Neronis Caesaris.

Crispus] Scholiasta confundit Vibium Crispum cum Passieno Crispo: omnia enim, quae hoc loco tradidit, ad *Passienum* filium pertinent, ut supra diximus p. 534. Passienus enim sub Tiberio vixit et decessit Claudio imperante, Vibius Crispus autem multo iunior est, sub Nerone floruit et sub Domitiano mortuus est. Dubito autem, utrum, quod Scholiasta dicit, *Crispus municeps Visellienais* de Vibio Crispo an de Crispo Passieno intelligendum sit. Quod si autem ad Vibium referendum est, corrigendum *Vercellensis*, ut ex Taciti Dialogo apparet.

1. Oratio pro Vibio Secundo fratre.

Acta est causa a. 813 (60). Annius Faustus accusator erat. Tacit. Hist. 2, 10. Conf. Tacit. Annal. 14, 28. *Fine anni Vibius Secundus eques romanus accusantibus Mauris repetundarum damnatur atque Italia exigitur: ne graviore poena afficeretur, Vibii Crispi fratris opibus enisus.*

2. Oratio contra Annium Faustum.

Acta est causa a. 823 (70). Tacit. Hist. 2, 10. *Vibius Crispus, pecunia, potentia, ingenio inter claros magis quam inter bonos, Annium Faustum equestris ordinis, qui temporibus Neronis delationes factitaverat, ad cognitionem senatus vocabat. nam recens Galbae principatu censuerant patres, ut accusatorum causae noscerentur. id senatus consultum varie iactatum, et prout potens vel inops reus inciderat, infirmum aut validum retinebatur. ad hoc terroris et propria vi Crispus incubuerat delatorem fratris sui pervertere. — — Mox damnatus est Faustus, nequaquam eo assensu civitatis, quem pessimis moribus meruerat. quippe ipsum Crispum easdem accusationes cum praemio exercuisse meminerant, nec poena criminis, sed ultor displicebat.*

3. Oratio adversus Pactium Africanum.

Acta est causa a. 823 (70). Tacit. Hist. 4, 41.

4. Oratio pro Spatale.

Argumentum tale est. Maritus, qui 18 annos natus decessit, uxori decimam, meretrici vero quartam partem hereditatis legavit. Uxor item meretrici intendit. Trachalus (v. p. 592.) pro uxore contra Spatalen meretricem dixit. Conf. Quintil. 8, 5, 19.

Quintil. 8, 5, 17. *Aliunde petita, id est, in alium locum ex alio translata, ut pro Spatale Crispus, quam qui heredem amator instituerat, decessit, cum haberet annos duodeviginti: O hominem divinum qui sibi indulsit!*

quam qui] i. e. quam heredem instituerat amator, qui decessit, cum haberet annos XVIII.

o hominem] o hominem mirae bonitatis, qui tam mature decessit, ut amica sua hereditate quam diutissime frueretur.

Incerta.

Quintil. 5, 13, 48. *at quidam contradictione non contenti, totos etiam locos explicant, scire se hoc dicturos adversarios et ita persecuturos. Quod factum venuste nostris temporibus elusit Vibius Crispus vir ingenii iucundi et elegantis: Ego vero, inquit, ista non dico: quid enim attinet bis illa dici?*

Quintil. 8, 5, 15. *Iam haec magis nova sententiarum genera. Ex inopinato: ut dixit Vibius Crispus in eum, qui, cum loricatus in foro ambularet, praetendebat, id se metu facere, quis tibi sic timere permisit?*

CXXXIV. *Nero Claudius Drusus imperator.*

Natus est a. 791 (38). Sueton. Nero c. 6. Eckhel Doctrina Numor. t. 6, p. 260. Imperium init Claudio mortuo a. 807 (54). Mortuus est a. 821 (64), XXX annos natus.

Sueton. Nero c. 52. *Liberales disciplinas omnes*

fere puer attigit, sed a philosophia eam mater avertit, monens imperaturo contrariam esse, a cognitione veterum oratorum Seneca praeceptor, quo diutius in admiratione sui detineret.

Seneca praeceptor] cui a. 802 (49) in disciplinam traditus est. Suet. Nero c. 7.

ibid. c. 10. *Declamavit saepius publice.* Idem De clar. rhet. 1. *Nero Caesar primo imperii anno, publice quoque bis antea declamavit.*

Orationes pleraeque, quibus Nero publice usus est, non ab ipso compositae, verum a Seneca, rectore imperatoriae iuventae, sicuti Tacitus atque Dio Cassius diserte testantur. Conf. *Oratt. Senecae* p. 582.

Tacit. Ann. 13, 3. *Adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera et praesentia contendere, primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienae facundiae eguisse. nam dictator Caesar summis oratoribus aemulus, et Augusto promta ac profluens, quae deceret principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus aut consulte ambiguus; etiam Cai Caesaris turbata mens vim dicendi non corrupit, nec in Claudio, quoties meditata dissereret, elegantiam requireres. Nero puerilibus statim annis vividum animum in alia detorsit, caelare, pingere, cantus aut regimen equorum exercere, et aliquando carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinae ostendebat.*

1. Oratio pro Iliensibus.

Oratio dicta a. 806 (53) Tacito teste in Ann. 12, 58. *Decimo Iunio Q. Haterio consulibus XVI annos natus Nero Octaviam Caesaris filiam in matrimonium accepit. Utque studiis honestis et eloquentiae gloria enitesceret, causa Iliensium suscepta Romanum Troia demissum et Iuliae stirpis auctorem Aeneam aliaque haud procul fabulis vetera facunde executus, perpetrat, ut Ilienses omni publico munere solverentur.*

Iliensium] Romani iam vetustis temporibus causam Iliensium defendere solebant. Conf. Niebuhr T. 1. p. 195.

omni publico munere] v. Lipsii adnotat.

Suetonius autem hanc orationem anno 804 (51) Claudio quintum consule assignat, in vita Neronis 7. *Apud patrem consulem pro Bononiensibus latine, pro Rhodiis atque Iliensibus graece verba fecit.*

apud patrem consulem] a. 804 (51), ut ex ceteris Suetonii verbis apparet.

2. Oratio pro Bononiensibus.

Dicta a. 806 (53) secundum Tacitum, a. 804 (51) secundum Suetonium.

Tacit. Annal. 12, 58. *Decimo Iunio Q. Haterio consulibus XVI annos natus Nero Octaviam in matrimonium accepit, utque studiis honestis et eloquentiae gloria enitesceret, causa Iliensium suscepta — perpetrat, ut Ilienses omni publico munere solverentur. Eodem oratore Bononiensi coloniae igni haustae subventum centies sestertii largitione.*

Suet. Nero 7. *apud patrem consulem pro Bononiensibus latine, pro Rhodiis atque Iliensibus graece verba fecit.*

3. Oratio pro Rhodiis.

Dicta a. 806 (53) secundum Tacitum, a. 804 (51) secundum Suetonium.

Tacit. Ann. 12, 58. *Decimo Iunio Q. Haterio coss. — redditur Rhodiis libertas, ademta saepe aut firmata, prout bellis externis meruerant aut domi seditione deliquerant.*

Suet. Nero 7. *Apud patrem consulem — pro Rhodiis atque Iliensibus graece verba fecit.*

4. Laudatio funebris Claudii Caesaris.

Ea est dicta a. 807 (54). Tacit. Annal. 13, 3. testatur, eam a Seneca esse compositam.

Suet. Nero 9. *Orsus a pietatis ostentatione, Claudium apparatissimo funere elatum, laudavit consecravitque.*

5. Oratio ad milites praetorianos.

Dicta a. 807 (54). Dio testatur l. 61, 3, eam a Seneca esse compositam.

6. Oratio ad senatum.

Dicta a. 807. (54). Dio l. 61, 3. eam Senecae esse scribit.

7. Oratio pro Plautio Laterano.

Eam Nero habuit a. 808 (55). Tacit. Annal. 13, 11. testatur, eam a Seneca scriptam fuisse.

8. Oratio de morte Agrippinae matris.

Ea ad senatum missa a. 812 (59). Tacitus Ann. 14, 11. a Seneca scriptam dicit, et Quintilianus fragmentum servavit, quod in orationibus Senecae retulimus pag. 584.

9. Laudatio funebris Poppaeae coniugis.

Ea est habita a. 819 (66). Tacit. Annal. 16, 6. *Poppaea mortem obiit fortuita mariti iracundia, a quo gravida ictu calcis afflicta est. — Laudavit ipse apud rostra formam eius, et quod divinae infantis parens fuisset, aliaque fortunae munera pro virtutibus.*

10. Oratio adversus C. Iulium Vindicem.

Dicta est a. 821 (68). C. Iulius Vindex, qui Galliam provinciam pro praetore obtinebat, a Nerone defecit a. 821 (68). Suet. Nero 40.

Suet. Nero 46. *Cum ex oratione eius, qua in Vindicem perorabat, recitaretur in senatu, daturos poenas sceleratos, ac brevi dignum exitum facturos, conclamatum est ab universis: tu facies, Auguste!*

11. Oratio pro se.

Scripta a. 821 (68). Suet. Nero 47. *Nuntiata interim etiam ceterorum exercituum defectione — varia agitavit: Parthosne an Galbam supplex peteret, an atratus prodiret in publicum, proque rostris quanta maxima posset miseratione veniam praeteritorum*

precaretur, ac ni flexisset animos, vel Aegypti praefecturam concedi sibi oraret. Inventus est postea in scrinio eius hac de re sermo formatus, sed deterritum putant, ne priusquam in forum perveniret, discerperetur.

Incerta.

Seneca De Clementia l. 1, 11. *Praestitisti, Caesar, civitatem incruentam, et hoc quod magno animo gloriatus es, nullam te toto orbe stillam cruoris humani misisse, eo maius est mirabiliusque, quod nulli umquam citius gladius commissus est.*

gloriatus es] in oratione quadam. Sic in oratione a. 808 (55) pro Plautio Laterano habita eandem suam clementiam praedicasse Neronem scribit Tacitus Annal. 13, 11. *Secuta est lenitas in Plautium Lateranum, clementiam suam obstringens crebris orationibus, quas Seneca testificando, quam honesta praeciperet vel iactandi ingenii voce principis vulgabat.* Igitur verisimile est, hoc quoque dictum ipsius Senecae esse, non Neronis.

CXXXV. *Galerius Trachalus.*

Vixit eadem aetate, qua Quintilianus, atque propinquus fuit Galeriae Fundanae, Vitellii uxori. (Tacit. Hist. 2, 60. Spalding ad Quint. 6, 3, 78.) Consul fuit sub Nerone a. u. 821 (68) cum Silio Italico poeta.

Quintil. 10, 1, 119. *Eorum, quos viderim, Domitius Afer et Iulius Africanus longe praestantissimi. Erant clara et nuper ingenia. Nam et Trachalus plerumque sublimis et satis apertus fuit, et quem velle optima crederes; auditus tamen maior. nam et vocis, quantam in nullo cognovi, felicitas, et pronuntiatio vel scenis suffectura, et decor: omnia denique ei, quae sunt extra, superfuerunt.*

Quintil. 12, 5, 5. *Sunt et naturalia instrumenta, vox, latus, decor. quae quidem tantum valent, ut frequenter famam ingenii faciant. Habuit oratores aetas nostra copiosiores: sed cum diceret, eminere inter aequales Trachalus videbatur, ea corporis*

sublimitas erat, is ardor oculorum, frontis auctoritas, gestus praestantia, vox quidem non, ut Cicero desiderat, pene tragoedorum, sed super omnes, quos ego quidem audierim, tragoedos. Certe cum in basilica Iulia diceret primo tribunali, quatuor autem iudicia, ut moris est, cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent: et auditum eum et intellectum et, quod agentibus ceteris contumeliosissimum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini. Sed hoc votum est et rara felicitas.

Quintil. 12, 10, 11. *In iis etiam, quos ipsi vidimus, copiam Senecae, vires Africani, maturitatem Afri, iucunditatem Crispi, sonum Trachali, elegantiam Secundi reperiemus.*

1. Oratio contra Spatalen.

Spatala meretrix cum ab amatore heres instituta esset ex quarta parte, uxor legitima, quae ex decima tantum heres facta est, litem illi intendit eiusque causam Trachalus suscepit. Conf. *Oratio Vibii Crispi* p. 588.

Quintil. 8, 5, 19. *Geminatio fit pulcherrima, cum aliqua comparatione clarescit. Trachalus contra Spatalen: Placet hoc ergo, leges, diligentissimae pudoris custodes, decimas uxoribus dari, quartas meretricibus?*

2. Oratio contra Suilium.

Spaldingius ad Quintil. 6, 3, 78 agnoscit P. Suilium Rufum, accusatorem venalem sub Claudio. (Tacit. Ann. XI, 1. seq.)

Quintil. 6, 3, 78. *Repercutiendi multa sunt genera: venustissimum, quod etiam similitudine aliqua verbi adiuvatur, ut Trachalus dicenti Suilio: Si hoc ita est, is in exilium: Si non est ita, redis, inquit.*

3. Oratio, quam Othoni imperatori scripsit.

Ea dicta est a. 822 (69) ab Othone imperatore, nec tamen ab eo scripta ferebatur, sed a Trachalo. Eae autem orationes, quae in libris Historiarum Taciti l. 1. 37

et 83 Othoni tribuuntur, ipsius Taciti sunt, non Trachali, ut Bernardi Recherches sur Galerius Trachalus dans les Mémoires de l'Institut. Paris 1824. T. VII. pag. 119. opinatur.

Tacitus Hist. 1, 90. *Otho vocata concione maiestatem urbis et consensum populi ac senatus pro se attollens, adversus Vitellianas partes modeste disseruit, inscitiam potius legionum quam audaciam increpans, nulla Vitellii mentione, sive ipsius ea moderatio, seu scriptor orationis sibi metuens contumeliis in Vitellium abstinuit, quando, ut in consiliis militiae Suetonio Paulino et Mario Celso, ita in rebus urbanis Galerii Trachali ingenio Othonem uti credebatur. et erant qui genus ipsum orandi noscerent, crebro fori usu celebre et ad implendas aures latum et sonans.*

CXXXVI. *Sextus Iulius Gabinianus.*

Extant nomina huius rhetoris in indice Suetonii rhetorum. Floruit sub Vespasiano, teste Hieronymo ad Eusebii Chron. Olymp. 213. 4. Vespasiani VIII. Christi 77. = a. u. 830. *Gabinianus, celeberrimi nominis rhetor, in Gallia docuit.*

Tacit. de Orator. c. 26. *Quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum.*

Declamationes.

Hieronymus praefatione libri VIII. in Esaiam: *Qui si flumen eloquentiae et concinnas declamationes desiderant, legant Tullium, Quintilianum, Gallionem, G a b i n i a n u m.*

CXXXVII. *M. Fabius Quintilianus.*

De anno natali discrepant scriptores. Alii natum putant a. 795 (42), alii a. u. 790 (37). Cum vero Hieronymus ad Eusebii Chron. Olymp. 211, 4. Neronis 14. Christi 68 = a. u. 821 scribat *M. Fabius Quintilianus Romam a Galba perducitur:* ea res in dubium

vocari potest, cum constet, Quintilianum puerum Romae audivisse Domitium Afrum, qui iam a. 812 (59) e vita decessit. Idem Romae publice professus artem dicendi, ut Hieronymus ait ad Eus. Chron. Olymp. 216. 4. Domitiani 8. Christi 89 = a. u. 842. *Quintilianus ex Hispania Calagorritanus primus Romae publicam scholam: et salarium e fisco accepit et claruit.* Atque consularia meruit ornamenta, teste Ausonio Gratiarum actione p. 712. Toll.: *Quintilianus consularia per Clementem (cuius educaverat filios) ornamenta sortitus, honestamenta nominis potius videtur quam insignia potestatis habuisse.* Decessit, ut nonnulli putant, Hadriani temporibus. Conf. Dodwell Annales Quintilianei, Gedoyn Préface de Quintilien T. 1, Gesner Praef. ad Quintil. Spalding T. 1. p. XXIII. sqq.

Quintilianus iuvenis *Domitium Afrum* et *Iulium Africanum* vidit. Quint. l. 10, 1, 118. 86., deinde ***Pomponium Secundum*** l. 10, 1, 98. et *Servilium Nonianum* l. 10, 1, 102. et *L. Senecam philosophum* l. 12, 10, 11. VIII, 3, 31., et aequalis fere erat *Trachali, Vibii Crispi, Iulii Secundi* l. 10, 1, 119.

Martialis Epigram. l. 2, 90. *Ad Quintilianum.*

Quintiliane, vagae moderator summe iuventae,
gloria romanae, Quintiliane, togae.

Orationes multae, in foro habitae, Quintiliani ferebantur, sed unam tantum ipse emiserat.

1. Oratio pro Naevio Arpiniano.

Acta est causa a. 823 (70), teste Dodwellio. Quint. 7, 2, 24. *Id genus non solum in scholis saepe tractatur, sed etiam in foro. Nam id est in causa Naevii Arpiniani solum quaesitum, praecipitata esset ab eo uxor, an se ipsa sua sponte iecisset? Cuius actionem et quidem solam in hoc tempus emiseram, quod ipsum me fecisse ductum iuvenili cupiditate gloriae fateor. Nam ceterae, quae sub meo nomine feruntur, negligentia excipientium in quaestum notariorum corruptae, minimam partem mei habent.*

2. Oratio pro regina Berenice.

Berenice Agrippae maioris, regis Iudaeae, filia, Herodis patrui sui, Chalcidis in Syria regis, vidua, quam Titus amabat, antequam imperium iniit a. 832 (79). Sueton. Titus c. 7. Spalding ad Quint. 4, 1, 19. *Ego pro regina Berenice apud ipsam* (i. e. ipsa praesente) *causam dixi.*

Nescio an eadem in causa dixerit Cornelianus, cuius orationem contra Berenicen memorat Stobaeus l. 4, 47., quique Corneliani Sulpicii, cuius meminit Fronto p. 276., pater esse videtur.

Κορνηλιανοῦ κατὰ Βερονίκης. Ἀλλ᾽ ὅμως τὰ μεγάλα ταῦτα και δεινὰ ὡμολόγει κοίτη καθ᾽ αὐτῆς. τοῦτο γὰρ αὐτῶν καὶ μόνον τῇ προαιρέσει προςεστιν ἀγαθὸν, ὅπερ ἐστὶ μέγιστον τῶν κακῶν„ ὅτι περὶ ὧν πράττουσι κακῶς, καὶ παρρησιάζονται.

κοίτη] *κἀυτὴ* Tyrwhittus. Sed et *κοίτη* intelligi potest. Ipse hic nefarius concubitus testatur contra eam.

3. Oratio pro . . . .

Quintil. 9, 2, 73. *In summa, sic maxime iudex credit figuris, si nos putat nolle dicere. Equidem et in personas incidi tales, et in rem quoque (quod est magis rarum) quae obtineri nisi hac arte non posset. Ream tuebar, quae subiecisse dicebatur mariti testamentum, et dicebantur chirographum marito exspiranti heredes dedisse, et verum erat. Nam quia per leges institui uxor non poterat heres, id fuerat actum, ut ad eam bona per hoc tacitum fideicommissum pervenirent. Et caput quidem tueri facile erat, si hoc diceremus palam, sed peribat hereditas. Ita ergo fuit nobis agendum, ut iudices illud intelligerent factum, delatores non possent apprehendere ut dictum et contigit utrumque.*

ream tuebar] vid. Schultingii Iurisprudentia ante-Iustinianea p. 613. Kind de lege Voconia p. 74. Gesner et Spalding ad h. l.

Declamationes.

Quintilianus declamationibus maxime celebris. Hieronymus Praefat. libri VIII. in Esaiam: *Qui si flumen eloquentiae et concinnas declamationes desiderant, legant Tullium, Quintilianum, Gallionem, Gabinianum.* Ausonius Professores. *Ad Tiberium Victorem Minervium oratorem.* 1., quo in carmine, cum summas Minervio tribuat laudes, in declamationibus eum cum ipso Quintiliano aemulari scribit:

seu libeat fictas ludorum evolvere lites,
ancipitem palmam Quintilianus habet.

Quaeritur, an Quintiliani etiam nunc extent declamationes. quod difficile est diiudicare, praesertim cum notum sit, aliorum rhetorum declamationes iam vetustissimis temporibus Quintilianeis insertas esse. Trebellius Pollio Triginta Tyranni, Postumus iunior 3. *Fuit autem Postumus (quod solum memoratu dignum est) ita in declamationibus disertus, ut eius controversiae Quintiliano dicantur insertae, quem declamatorem romani generis acutissimum vel unius capitis lectio prima statim fronte demonstrat.*

Atque eas, quae vulgo ei solent tribui, (XIX maiores et quae ex CCCLXXXVIII supersunt, CXLV minores) alius potius rhetoris vel aliorum rhetorum esse, multi iudicarunt: alii enim Quintiliano avo vel patri, alii Postumo, alii M. Floro vindicant. Conf. Fabricii Bibl. lat. ed. Ern. T. 2. p. 322. sqq. Schoell Littérature Romaine t. 2. p. 399. Spalding T. 1. Praef. p. XL. Orellius in Epist. ad Madnigium p. XCV. Bähr Gesch. d. r. Lit. p. 556. Westermann p. 261. Nec ego eas Quintiliano tribuerim: ineptiores enim sunt pleraeque et inferiores ingenio eius.

Nec aliorum auctorum testimonio quaestio solvi potest, quamquam Ennodius in Lectione sive Controversia VIII. Quintiliano palam tribuit declamationem V., cui titulus *Aeger redemptus.* Lactantius autem declamationis Quintilianeae facit mentionem, quae inter reliquas non extat. Institutt. l. 1, 21. *Optime Quinti-*

lianus in Fanatico. Istud, inquit, si deus cogit, iratus est.

CXXXVIII. *Calpurnius Flaccus.*

Fertur aetate Hadriani vixisse: idem enim esse dicitur, cui Hadrianus rescripsit teste libro 37 Digestorum T. 8. *D. Hadrianus Calpurnio Flacco differendam accusationem adulterii rescripsit.* Ei declamationes LI. vulgo tribuuntur, quae una cum declamationibus Quintiliani in edit. Pithoei atque Burmanni leguntur: sed incertum, utrum ipse eas scripserit, an declamationes aliorum rhetorum in unum volumen coniunxerit. Extat enim in Ms. haec inscriptio: *Incipiunt ex Calpurnio Flacco Excerptae X rhetorum minorum.* Conf. Fabricii Bibl. lat. c. Ernestii t. 2. p. 328.

CXXXIX. *C. Plinius Caecilius Secundus.*

Natus esse dicitur a. 815 (62). Masson Vita Plinii Secundi iunioris p. 1. Westermann p. 288. Held über den Werth der Briefsammlung des Plinius. Breslau 1833. p. 6. Adolescens Quintilianum et Nicetem Sacerdotem audiebat. Plin. Epist. l. 6, 6. l. 2, 14. A. 846 (93) praetor urbanus. A. 853 (100) consul Traiano imperatore. A. u. 856 (103) praefectus Bithyniae ac Ponto. De anno mortis nihil constat, nec amplius quidquam scimus, quam Plinium a. 865 (113) etiam nunc superstitem fuisse. Cassiodorus enim in Chronico scribit: *Celso et Crispino consulibus* (id est a. u. 865, 113 p. Chr.) *Plinius Secundus Novocomensis orator et historicus insignis habetur, cuius plurima ingenii monumenta extant.*

historicus insignis] veri simile est, Cassiodorum his verbis Plinio iuniori laudem errore tribuisse, quae in Plinium maiorem cadit: is enim historicus insignis.

Macrobius Saturnal. l. 5, 1. *Quatuor sunt genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur; breve, in quo Salustius regnat; siccum, quod Frontoni adscribitur; pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam et nunc nullo veterum minor noster Symmachus luxuriatur.*

Martianus Capella De Nuptiis Philologiae. L. 5. De Rhetorica p. 391. ed. Kopp. *Post hos in diversis agminibus oratores emeriti, ac prae se ferentes insignium culmen meritaque linguarum: Aeschinem, Isocratem Lysiamque conspiceres, tum in togatis agminibus Sosantios, Gracchos, Regulum, Plinium Frontonemque.*

Sosantios] an legendum *Catones, Gracchos, Tullium, Plinium Frontonemque?* Kopp pro *Sosantios* coniicit *Crassos, Antonios.*

Hieronymus in Epistolis familiaribus II, 13. p. 173. *Dum essem iuvenis, cuidam fratri, qui ex Hebraeis crediderat, me in disciplinam tradidi, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios gravitatemque Frontonis et lenitatem Plinii alphabetum discerem et stridentia anhelantiaque verba meditarer.* (i. e. linguam Hebraicam).

Martialis l. 10. epigr. 19.

Ad Plinium Secundum.

Nec doctum satis et satis severum,
sed non rusticulum nimis libellum
facundo mea, *Plinio*, Thalia,
i perfer.

Nihil extat orationum Plinii praeter Panegyricum illum, quo Traiano principi consul designatus in senatu gratias egit. Nec multas habuisse virtutes orationes eius existimo. (nec aliter iudicavit G. H. Schaeferus ad Plinium p. XC.) epistolae certe et poemata quae supersunt in Anthologia latina, vehementer sunt frigida. Quamquam ipse orationes suas magni aestimabat, ut ex eo apparet, quod in Epistolis 9, 26, 7. scripsit. *Visus es mihi in scriptis meis adnotasse quaedam ut tumida, quae ego sublimia; ut improba, quae ego audentia; ut nimia, quae ego plena arbitrabar.* l. 1, 5, 12. *Est mihi cum Cicerone aemulatio, nec sum contentus eloquentia seculi nostri.*

Plin. Epist. 5, 8, 6. *Egi magnas et graves causas. Has (etiamsi mihi tenuis ex eis spes) destino*

retractare, ne tantus ille labor meus, ni hoc, quod reliquum est studii, addidero, mecum pariter intercidat. Nam si rationem posteritatis habeas, quidquid non est peractum, pro non inchoato est. Undevicesimo aetatis anno in foro dicere coepi, et nunc demum, quid praestare debeat orator, adhuc tamen per caliginem video.

undevicesimo] id est, a. u. 833 (80).

1. Oratio pro Iulio Pastore.

Eam causam adolescentulus egit, non diu postquam duxerat uxorem, id est, anno circiter 836 (83), Domitiano imperante. Conf. Masson p. 45 seq. Plin. Epist. 1, 18. *Susceperam causam Iulii Pastoris, cum mihi quiescenti visa est socrus mea advoluta genibus, ne agerem obsecrare. Et eram acturus adolescentulus adhuc, eram in quadruplici iudicio, eram contra potentissimos civitatis atque etiam Caesaris amicos, quae singula excutere mentem mihi post tam triste somnium poterant. Egi tamen. Prospere cessit, atque adeo illa actio mihi aures hominum, illa ianuam famae patefecit.*

Caesaris] Domitiani.

2. Oratio contra Baebium Massam pro Baeticis.

Causa repetundarum acta a. 846 (93), ut duabus rebus ostendi potest, partim quia constat, Agricolam, qui mense Augusti a. 846 (93) mortuus est, Massam Baebium iam vidisse reum (Tac. Agric. 45.), partim quia Herennius Senecio, qui una cum Plinio Baebium reum fecit, a Domitiano a. 847 (94) morte multatus est. Conf. Masson p. 59. Eiusdem Baebii Massae meminit Tacitus Hist. 4, 50. *nec multo post Piso interficitur: namque aderat, qui nosceret, Baebius Massa e procuratoribus Africae, iam tunc optimo cuique exitiosus, et in causas malorum, quae mox tulimus, saepe rediturus.*

Plin. Epist. 7, 33. ad Tacitum. *Dederat me senatus cum Herennio Senecione advocatum provinciae Baeticae contra Baebium Massam, damnatoque Massa censuerat, ut bona eius publice custodirentur.*

Plin. Epist. 6, 29. *Adfui Baeticis contra Baebium Massam. Quaesitum est, an danda esset inquisitio: data est.*

3. Oratio pro Arionilla, Timonis uxore contra M. Regulum.

Haec causa centumviralis est acta a. 846 (93). Masson p. 60. M. Regulus delator sub Nerone et Domitiano.

Plin. Epist. 1, 5. *M. Regulus reminiscebatur, quam capitaliter ipsum me apud centumviros lacessisset. Aderam Arionillae, Timonis uxori, rogatu Aruleni Rustici. Regulus contra.*

4. Orationes de ultione Helvidii contra Publicium Certum.

Acta est causa a. 850 (97) Nerva imperante. Masson p. 68. Publicius Certus Helvidium Priscum filium, optimum virum, reum fecerat a. 847 (94), effecitque, ut a Domitiano occideretur. (Tacit. Agricola 45. Suet. Domit. 10.) Postquam Domitianus e vita decessisset a. 849 (96), Nervaque succederet: Plinius, ulciscendum Helvidium ratus, Publicium Certum accusavit. Argumentum totius causae ipse enarrat in Epist. l. 9, 13., orationumque in hac causa actarum his verbis meminit: *Postea actionem meam, utcumque potui, recollegi, addidi multa;* atque l. 7, 30, 4. *Et scribo aliquid et lego: sed cum lego, ex comparatione sentio, quam male scribam, licet tu mihi bonum animum facias, qui libellos meos de ultione Helvidii orationi Demosthenis κατὰ Μειδίου confers, quam sane, cum componerem illos, habui in manibus, non ut aemularer (improbum enim ac pene furiosum), sed tamen imitarer ac sequerer, quantum aut diversitas ingeniorum, maximi aut minimi, aut causae dissimilitudo pateretur,* porro l. 4, 21. *Helvidium, defunctum quoque, perseverantissime diligo, ut actione mea librisque testatum est.*

5. Oratio pro Afris contra Marium Priscum, proconsulem Africae.

Acta est causa repetundarum a. u. 853 (100) Traiano imperante. Masson p. 94 et 104. Argumentum Pli-

nius explicat in l. 2. epist. 11. atque Iuvenalis Sat. 1. 47 sqq. VIII, 120 (Conf. Weber). Tacitus in eadem causa contra reum dixit.

Plin. Ep. 6, 29. *Accusavi Marium Priscum, qui lege repetundarum damnatus utebatur clementia legis, cuius severitatem immanitate criminum excesserat: relegatus est.*

6. Oratio pro Baeticis contra Caecilium Classicum, proconsulem Baeticae.

Acta est causa repetundarum a. 853 (100). Masson p. 105. Argumentum exponit Plinius l. 3, epist. 3. et 9. *Caecilius Classicus, homo foedus et aperte malus, proconsulatum in provincia Baetica non minus violenter quam sordide gesserat, eodem anno quo in Africa Marius Priscus. Sed Marium una civitas publice, multique privati reum peregerunt, in Classicum tota provincia incubuit. Ille accusationem vel fortuita vel voluntaria morte praevertit.* ibid. 6, 29. *Adfui rursus iisdem* (Baeticis) *querentibus de Caecilio Classico. Quaesitum est, an provinciales ut socios ministrosque proconsulis plecti oporteret: poenas luerunt.*

7. Panegyricus ad M. Ulpium Traianum.

Eam orationem, quae sola extat, dixit Plinius, cum consulatum iniret Calendis Septembribus a. u. 853 (100). Eius meminit in epistolis l. 3. ep. 13 et 18. Conf. Westermann p. 289. G. H. Schaefer ad Plinium p. XL.

8. Oratio pro Iulio Basso, ex Bithynia repetundarum reo.

Acta est causa a. 854 (101). Masson p. 119. Argumentum causae enarrat Plinius l. 4, 9. Et in eadem epistola haec scribit: *habebis hanc interim epistolam ut πρόδρομον, exspectabis orationem plenam onustamque, et exspectabis diu. neque enim leviter et cursim ut de re tanta retractanda est.*

Plin. Epist. 6, 29, 10. *Tuitus sum Iulium Bassum,*

ut incustoditum nimis et incautum, ita minime malum: iudicibus acceptis in senatu remansit.

9. Oratio pro Rufo Vareno, proconsule Bithyniae.

Acta est causa a. 855 (102). Masson p. 125. Argumentum enarratur in Plinii Epist. l. 5. ep. 20. Deinde de oratione sua hoc adiicit: *Egi ego pro Vareno, non sine eventu: nam bene an male, liber indicabit.* porro: *Providendum est mihi, ne gratiam novitatis et florem, quae oratiunculam meam vel maxime commendat, epistolae loquacitate praecerpam.* ibid. 6, 29, 11. *Dixi proxime pro Vareno, postulante, ut sibi invicem evocare testes liceret: impetratum est.*

10. Oratio pro Corellia contra C. Caecilium, consulem designatum.

Acta est causa a. 855 (102). Corellia accusatur a Caecilio Classico, consule designato a. 855 (102), ut ex Fastis Baiteri apparet. Plinius eam defendit, causamque exposuit in Epist. l. 4, 17.

11. Oratio pro Vectio Prisco.

Annus incertus. Causa centumviralis. Plin. Epist. 6, 12. *Vectio Prisco, quantum plurimum potuero, praestabo, praesertim in arena mea, hoc est, apud centumviros.*

12. Oratio pro Firmanis.

Annus incertus. Plinius causam egit Firmanorum (*Firmum Picenum* nomen huius coloniae. Conf. Mannert Italia 1. p. 465. Madwig Opuscula p. 299.) Plin. Ep. 6, 18. *Rogas, ut agam Firmanorum publicam causam, quod ego, quamquam plurimis occupationibus distentus, adnitar.*

13. Oratio pro Accia Variola.

Causa centumviralis, quam Plinius in l. 6. ep. 33 enarravit. Oratio pulcherrima omnium esse ferebatur.

Plinius Epist. 6, 33. *Accipe orationem meam di-*

vinam. Num superbius potui? revera, ut inter meas, pulchram. nam mihi satis est certare mecum. Est haec pro Accia Variola et dignitate personae et exempli raritate et iudicii magnitudine insignis. — — Nam et copia rerum et arguta divisione et narratiunculis pluribus et eloquendi varietate renovatur. Sunt multa elata, multa pugnantia, multa subtilia. Dedimus vela indignationi, dedimus irae, dedimus dolori, et in amplissima causa quasi magno mari, pluribus ventis sumus vecti. In summa solent quidam existimare hanc orationem praecipuam, ut inter meas, ὡς ὑπὲρ Κτησιφῶντος esse.

Sidonius Apollinaris Epist. l. 8, 10. *C. Plinius pro Attia Viriola plus gloriae de centumvirali suggestu domum retulit, quam cum M. Ulpio, incomparabili principi, comparabilem panegyricum dixit.*

14. Oratio pro Clario.

Plin. Epist. l. 9, 28. *Tertia epistola continebat, esse tibi redditam orationem pro Clario, eamque visam uberiorem quam dicente me, audiente te fuerit. Est uberior: multa enim postea inserui.*

15. Oratio apud Novocomenses, cum bibliothecam dedicabat.

Plin. Epist. 1, 8. *Petiturus sum, ut rursus vaces sermoni, quem apud municipes meos habui, bibliothecam dedicaturus.*

16. Laudatio funebris Spurinnae.

Eius libelli Plinius meminit in Epist. l. 3, 10.

Westermannus p. 290. seq. adiicit *orationem pro Suetonio Tranquillo* ex Epist. 1. 18. et *pro libertis* ex epist. 7, 6. (dubito an vere).

CXL. *Cornelius Tacitus.*

Natus anno circiter 808 (55). Plinius in Epist. 7, 20 scribit, se propemodum aequalem eius esse. Praetor a. 841 (88). Tacit. Annal. XI., 11. Consul a. 850 (97). Plin. Epist. 2, 1. Zumpt. Annal. Conf. I. Lipsii

Vita Taciti. Bach Schulzeitung 1831. N. 105. Bähr Röm. Litt. p. 422. Walch ad Tacit. Agricol. p. 129.

Dubito an recte Tacitum libro meo de oratoribus inseruerim. Sed verisimile est, eum orationes reliquisse.

1. Laudatio funebris Virginii Rufi tertium consulis.

Ea dicta est a. u. 850 (97 p. Ch.), quo anno Virginius Rufus tertio consulatu defunctus est. Plinius Epist: 2, 1. *Laudatus est a consule Cornelio Tacito: iam hic supremus felicitati eius cumulus accessit, laudator eloquentissimus.*

2. Oratio pro Afris contra Marium Priscum.

Hanc causam una cum Plinio (v. p. 601.) egit. Plin. Epist. 2, 11. *Respondit Cornelius Tacitus eloquentissime et, quod eximium orationi eius inest, σεμνῶς.* idem l. 7, 20. *librum tuum legi et quam diligentissime potui, adnotavi, quae commutanda, quae eximenda arbitrarer. nunc a te librum meum cum adnotationibus tuis exspecto.*

CXLI. *Pompeius Saturninus.*

Eadem aetate, qua Plinius, sed minor natu.

Plinius Epist. 1, 16. *Amabam Pompeium Saturninum, laudabamque eius ingenium, etiam antequam scirem, quam varium, quam flexibile, quam multiplex esset, nunc vero totum me tenet, habet, possidet. Audivi causas agentem acriter et ardenter, nec minus polite et ornate, sive meditata sive subita proferret. adsunt aptae crebraeque sententiae, gravis et decora constructio, sonantia verba et antiqua. Omnia haec mire placent, cum impetu quodam et flumine praevehuntur; placent, si retractentur. Senties, quod ego, cum orationes eius in manus sumseris, quas facile cuilibet veterum, quorum est aemulus, comparabis.*

CXLII. *T. Flavius. Domitianus.*

Natus est a. u. 804 (51). Eckhel Doctr. Numor. t. 6. p. 367. Suet. Domit. 1. A. u. 834 (81) rerum potitus est. A. u. 849 (96) mortuus est.

Suet. Domit. 2. *Simulavit imprimis poeticae studium, tam insuetum antea sibi, quam postea spretum et abiectum, recitavitque etiam publice.* ibid. c. 20. *liberalia studia imperii initio neglexit, numquam tamen aut historiae carminibusve noscendis operam ullam aut stilo vel necessario dedit. Praeter commentarios et acta Tiberii Caesaris nihil lectitabat; epistolas orationesque et edicta alieno formabat ingenio, sermonis tamen nec inelegantis, dictorum interdum etiam notabilium.*

Quintilianus Prooem. l. 4. 3. *Domitianus Augustus, ut in omnibus, ita in eloquentia quoque eminentissimus.*

Orationes.

Suet. Domit. c. 11. *quosdam maiestatis reos in curiam induxerat, et cum praedixisset, experturum se illa die, quam carus senatui esset, facile perfecerat, ut etiam more maiorum puniendi condemnarentur, deinde atrocitate poenae conterritus, ad leniendam invidiam intercessit his verbis (neque enim ab re fuerit ipsa cognoscere): Permittite, patres conscripti, a pietate vestra impetrari, quod scio, me difficulter impetraturum, ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam et parcetis oculis vestris, et intelligent me omnes senatui interfuisse.*

Priscianus p. 693. ed. Putsch. *Prosper prosperi. Domitianus in senatu pro se: ut prosper dicendi successus ostenderet, auditorum benivolentia crescere dicentium facultatem.* Cicero tamen *prosperus* protulit.

Domitianus] sic legit Putschius, coniectura fretus, non auctoritate codicum, in quibus *Donatianus* legitur, ut Krehlius T. 1. p. 241 atque Duebnerus testantur. Nec Westermannus p. 279 coniecturam Putschii approbavit, praesertim cum nemo intelligat, quando Domitianus Caesar *in senatu pro se* oraverit, sed *Donatiano*, oratori alioqui ignoto, fragmentum tribuendum arbitratur. In Erlangensi 2, *Doritianus* legitur.

auditorum] *et* '*auditorum* Krehl. et ex ultima sillaba verbi *ostenderet* ortum; deest in cod. Turic., qui praeterea non *auditorum*, sed *adjutorium* exhibet.

CXLIII. *Donatianus* v. Domitianus.

CXLIV. *Aelius Hadrianus Augustus.*

Natus a. u. 829 (76). Spartianus in Hadriani vita c. 1. A. u. 870 (117) imperium accepit. A. u. 891 (138) mortuus est.

Spartianus vita Hadriani c. 3. *Quaesturam gessit Traiano quater et Articuleio coss., in qua cum orationem imperatoris in senatu agrestius pronuntians, risus esset, usque ad summam peritiam et facundiam latinis operam dedit.*

Articuleio] vulgo legitur *Arunculeio*. Sed conf. Fasti Baiteri a. u. 853 (101): *Traianus IV. et Sextus Articuleius Paetus.*

ibid. c. 16. *Amavit genus dicendi vetustum, controversias declamavit. Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Salustio Caelium praetulit.*

Aurel. Victor de Caesaribus c. 14. *Aelius Hadrianus eloquio togaeque studiis adcommodatior.*

Aurel. Victor Epit. Caesarum c. 14. *Aelius Hadrianus graecis litteris impensius eruditus, a plerisque Graeculus appellatus est, Atheniensium studia moresque hausit, potitus non sermone tantum, sed et ceteris disciplinis, canendi psallendi medendique scientia, musicus, geometra, pictor, fictorque ex aere vel marmore.*

Hadrianus et orationes et declamationes edidisse videtur: a Charisio certe liber duodecimus orationum Hadriani memoratur.

Charisius p. 132. Valdissime. *Divus Hadrianus Orationum XII.: A vobis, patres conscripti, peto, et impetratum valdissime cupio, ut proxime imaginem Augusti argenteum potius clupeum sicut Augusto ponatis.*

orationum XII.] ambigue dictum, aut enim volumen duodecim orationum aut (quod malo) duodecimus liber orationum intelligendus.

1. Orationes, quas Traiano imperatori scripsit.

Spartianus vita Hadriani c. 3. *Traiani ei familiaritas crevit causa praecipue orationum, quas pro imperatore dictaverat.*

2. Oratio de Italicensibus.

Agitur de Italica, oppido Hispaniae, ubi natus est Hadrianus (Dio Cass. l, 69, 10).

Gellius l. 16, 13. *Existimamus, meliore conditione esse colonias quam municipia. De cuius opinionis tam promiscae erroribus Divus Hadrianus in oratione, quam de Italicensibus, unde ipse ortus fuit, in senatu habuit, peritissime disseruit, mirarique se ostendit, quod et ipsi Italicenses et quaedam alia item municipia antiqua, in quibus Uticenses nominat, cum suis moribus legibusque uti possent, in ius coloniarum mutari gestiverint. Praenestinos autem refert maximopere a Tiberio imperatore petisse orasseque, ut ex colonia in municipii statum redigerentur, idque illis Tiberium pro referenda gratia tribuisse, quod in eorum finibus sub ipso oppido ex capitali morbo revaluisset.*

municipia] qui de coloniis atque municipiis meliora scire cupit, quam ex Gellii verbis hauriri possunt, adeat Niebuhrii H. R. t. 2. p. 70. Gibbon t. 1. p. 73. Kreuzer Röm. Ant. p. 341.

Declamationes.

Photii Codex 100. T. 1. p. 86. ed. Bekk. *Ἀνεγνώσθη Ἀδριανοῦ τοῦ βασιλέως μελέται διάφοροι, εἰς τὸ μέτριον τοῦ λόγου ἀνηγμέναι καὶ οὐκ ἀηδεῖς.*

CXLV. *Aelius Verus Caesar.*

Hadrianus a. u. 888 (135) Ceionium Commodum Verum, iuvenem, adoptavit, indeque Aelius Verus appellatus est. A. u. 889 (136) et 890 (137) consul. Mortuus est a. 891 (138).

Spartianus Aelio Vero c. 5. *Fuit hic vitae laetissimae, eruditus in literis, Adriano (ut malevoli loquuntur) acceptior forma quam moribus, oris venerandi, eloquentiae celsioris, versu facilis, in republica etiam non inutilis.*

ibid. c. 4. *Cum de provincia Aelius redisset, atque orationem pulcherrimam, quae hodieque legitur, sive per se sive per scriniorum aut dicendi magistros parasset, qua Kal. Ianuariis Adriano patri gratias ageret, accepta potione, qua se existimaret iuvari, Kalendis ipsis Ianuariis periit.*

Kal. Ianuariis] a. u. 891 (138).

CXLVI. T. Aelius Antoninus Pius.

Natus a. u. 839 (86). (Iulii Capitolini vita Antonini Pii c. 1.) Adoptatur ab Hadriano a. 891 (138) eodemque anno imperium accepit. Mortuus est a. u. 914 (161).

Capitolinus vita Antonini Pii c. 2. *Fuit ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu, et placidus ingenio, singularis eloquentiae, nitidae litteraturae.*

ibid. c. 11. *Orationes plerique alienas esse dixerunt, quae sub eius nomine feruntur, Marius Maximus eius proprias fuisse dicit.*

alienas esse] veri simile a Frontone oratore eas esse confectas.
Marius Maximus] historicus, cuius libri ab auctoribus historiae Augustae saepissime afferuntur.

1. Oratio ad senatum.

Eam dixit, cum L. Verum consulem fecisset. Conf. Maius p. 131.

Fronto ad M. Caesarem l. 5. ep. 38. *Utrum facti virtus ornaverit orationem, an oratio factum nobilissimum aequiparaverit, incertus sum.*

M. Caesar ad Frontonem l. 5. ep. 39. *Orationem patris mei parem materiae suae visam tibi, nihil mirum est.*

CXLVII. *M. Cornelius Fronto.*

Natus sub Domitiano, anno circiter 830 (77). Conf. Niebuhr in editione Frontonis p. XX. Ei ab Antonino Pio M. Aurelius filius adoptivus in disciplinam traditur a. u. 892 (139). Dio Cass. l. 71, 35. Zumpt in Annalibus. Capitolinus in Marco Anton. Philos. c. 2. idem in Vero c. 2. Eutropius l. 8, 6. A. u. 896 (143) consul. Fronto ad M. Caesarem l. 2, 1. p. 35 ed. Rom.

ibiq. Maius. Niebuhr p. XXII. Eum a. u. 917 (164) adhuc superstitem fuisse, testis est Hieronymus ad Eusebii Chron. Olymp. 235. 1. M. Aurelii Antonini 3. Christi 164 = a. u. 917: *Fronto insignis orator habetur, qui M. Antoninum Verum latinis litteris erudivit.* Cf. Ang. Maius in Praef. Ed. Romanae p. XVIIII. sqq. Falster Memoriae p. 56. Cannegieter in Dissertatione de aetate Aviani cap. XII. Groddeck in Seebode Archiv 1825. p. 518. Fr. Roth Bemerkungen über die Schriften des Fronto, Nürnberg 1817. Niebuhr kleine Schriften p. 326. Westermann p. 310.

Dio Cassius l. 69, 18. *Κορνήλιος Φρόντων, ὁ τὰ πρῶτα τῶν τότε Ῥωμαίων ἐν δίκαις φερόμενος.*

Macrobius Sat. 5, 1. *quattuor sunt genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur; breve, in quo Salustius regnat; siccum, quod Frontoni adscribitur; pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam et nunc nullo veterum minor Symmachus luxuriatur.*

Eumenius in Panegyrico Constantii c. 14. *Fronto, romanae eloquentiae non secundum sed alterum decus.*

Claudianus Mamertus epist. ad Sepaudum rhetorem (Balluzz. Miscell. ed. Paris. t. 6. p. 535): *Naevius et Plautus tibi ad elegantiam, Cato ad gravitatem, Varro ad peritiam, Gracchus ad acrimoniam, Chrysippus ad disciplinam, Fronto ad pompam, Cicero ad eloquentiam capessendam usui sint.*

Fronto ipse ad M. Caesarem l. 3. ep. 16. p. 82. *Nunc nuper coepisti legere ornatas et pompaticas orationes (meas): noli postulare, statim eas imitari posse. Verum, ut dixi, incumbamus, connitamur. me vade, me praede, me sponsore celeriter te in cacumine eloquentiae sistam.*

Sidonius Epist. 4, 3. *Aurium tuarum peritiae nec Frontonianae gravitatis aut ponderis Appuleiani fulmen aequiparem.*

fulmen] alii *flumen*. Vid. Bosscha ad Appuleium l. 3. p. 530.

Martianus Capella l. 5. de rhetorica p. 391. ed. Kopp. *Post hos in diversis agminibus oratores emeriti ac prae se ferentes insignium culmen meritaque linguarum: Aeschinem Isocratem Lysiamque conspiceres, tum in agminibus togatis Sosantios Gracchos Regulum Plinium Frontonemque.*

Sosantios] v. supra p. 599.

Hieronymus Epist. XII. ad Rusticum: *Ad mentem edomandam cuidam fratri me in disciplinam dedi, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatem Frontonis et lenitatem Plinii alphabetum discerem.*

1. Orationes apud Hadrianum imperatorem in senatu dictae.

Hae orationes panegyricae inter annos 870 (117) et 891 (138) diebus solennibus in senatu a Frontone principe oratorum habitae. Fronto ad M. Caesarem l. 2, 4. *Divum Hadrianum avum tuum laudavi in senatu saepenumero studio impenso et propenso et sunt orationes istae frequentes in omnium manibus. Hadrianum autem ego, quod bona venia pietatis tuae dictum sit, ut Martem gradivum, ut Ditem patrem propitium et placatum magis volui quam amavi.*

2. Orationes ad Antoninum Pium.

His orationibus, inter annos 891 (138) et 914 (161) dictis, vel suasit vel dissuasit, aut gratias egit aut gratulatus est orator festis ac sollemnibus diebus. Fronto Epist. ad Antoninum Pium ep. 2. n. 3. ad M. Caesarem l. 2, 4. Maius p. XXVIII.

3. Oratio de victoria Britannica.

Ea est habita a. 893 (140). Antoninus Pius tertio imperii anno tertioque item consulatu Britannos vicit (Capitolini vita Antonini Pii c. 5.), cuius rei testis extat nummus ANTONINVS AVG. PIVS P. P. COS. III.)(. BRITANNIA S. C. (Eckhel Doctr. Num. t. 7. p. 14.) Senatus enim iussit, Frontone (ut opinor) refe-

rente, ut in memoriam victoriae Britannicae numi cuderentur, inscriptione illa insignes.

Eumenius in Panegyrico Constantii c. 14. *Fronto, romanae eloquentiae non secundum, sed alterum decus, cum belli in Brittannia confecti laudem Antonino principi daret, quamvis ille in ipso urbis palatio residens gerendi eius mandasset auspicium, veluti longae navis gubernaculis praesidentem, totius velificationis et cursus gloriam meruisse testatus est.*

Niebuhrius autem p. XXIX. hanc orationem eandem esse putat, quam, cum consulatum iniret, habuit.

4. Gratiarum actio, cum consulatum iniret.

Hic Panegyricus ad Antoninum Pium Imp. dictus est a. 896 (143). Fronto consul ad M. Caesarem l. 2. 1. *Quae sint aures hominum hoc tempore, quanta in spectandis orationibus elegantia, ex Aufidio nostro scire poteris, quantos in oratione mea clamores concitarit, quantoque concentu laudantium sit exceptum - omnibus tunc imago patriciis pingebatur insignis. At ubi genus nobile ignobili comparans dixi: ut si quis ignem de rogo et ara accensum similem putet, quoniam aeque luceat — adhoc pauca admurmurati sunt.*

Fronto Μητρὶ Καίσαρος l. 2, 2. *λόγον συνήγαγόν τινα περὶ τοῦ μεγάλου βασιλέως.*

λόγον] orationem panegyricam ad Antoninum Pium de consulatu suo intelligit.

Fronto ad Antoninum Imp. l. 2, 2. *Nae ego post homines natos et locutos omnium facundissimus habear, cum tu, M. Aureli, mea scripta lectitas et probas, et lucrativa tua in tantis negotiis tempora meis quoque orationibus legendis occupare non inutile tibi arbitraris nec infructuosum. Quod vero patris tui laudes a me in senatu designato et inito consulatu meo dictas legisti libenter, minime miror.*

5. Gratiarum actio in senatu pro Carthaginiensibus.

Ea oratio a. u. 906 (153) habita videtur. Is annus

cum incendiis Narbone, Antiochiae Carthagine factis insignis esset (Capitolinus vita Antonini Pii c. 9. *Narbonensis civitas et Antiochense oppidum et Carthaginense forum arsit.)*: Antoninus Pius imperator tum alios, tum Carthaginienses, auxilium eius implorantes, sublevavit et pecunia adeo adiuvit, ut aedificia, igni consumta, restituere possent, ut Pausanias testatur l. 8, 43, 4. Cuius beneficii Frontonem Carthaginiensibus mandantibus gratias in senatu egisse suspicor.

Extat orationis fragmentum in editione Maii p. 332.

6. Oratio de hereditate Matidiae.

Causa hereditaria, M. Antonini Philosophi temporibus acta. Matidia, Antonini Pii matertera per adoptionem (Eckhel Doctr. Num. t. 6. p. 470. Maius p. 167.) cum diem obiisset, lis hereditaria inter M. Antoninum Philosophum et Faustinam uxorem et inter Matidiae legatarios exorta est. Fronto causam imperatoris lege Falcidia (v. Rein. Röm. Privatrecht p. 381.) defendendam suscepit, ut ex Epist. ad Anton. Imp. 2, 12 et epist. ad amicos l. 1, 17. patet. Conf. Niebuhr p. 101.

Antoninus Imp. ad Frontonem l. 2, 13 (p. 169): *Orationem, qua causam nostram defendisti, Faustinae confestim ostendam.*

Faustinae] uxori Marci Imperatoris.

7. Oratio pro Bithynis.

Fronto Epist. ad amicos l. 1, 18. *Orationem istam pro Bithynis ante annum fere in manus sumseram et corrigere institueram; tibi etiam Romae tunc agenti, nonnihil de ista oratione promiseram, et quidem, cum sermo inter nos de partitionibus orationum ortus esset, dixeram et prae me tuleram, satis me diligenter in ista oratione coniecturam, quae in crimine mandatae caedis verteretur, divisisse argumentis et refutasse.*

ibid. l. 1, 17. *In oratione Bithyna, cuius partem legisse te scribis, multa sunt nova addita, ut arbitror, non inornate, locus in primis de vita acta, quem tibi*

placiturum puto, si legeris, quid in simili re M. Tullius pro L. Sylla egregie scriptum reliquit.

8. Oratio adversus Herodem.

Fronto Ti. Claudium Atticum Herodem, quem in consulatu secutus est a. 896 (143), oratorem graecum, item magistrum M. Antonini adolescentis, gravibus criminibus accusavit, sed postea reconciliatos accepimus. Philostratus quoque Vit. Soph. 11. 1. p. 555. 559 a multis Herodem in suspicionem vocatum scribit. (v. Westermann Gesch. d. gr. Bereds. p. 202):

Fronto ad M. Caesarem l. 3. 2. et 3. *Quin nihil extra causam dicere debeam, quod Heroden laedat, non dubito: sed ea, quae in causa sunt, sunt atrocissima. Dicendum est de hominibus liberis, crudeliter verberatis et spoliatis, uno vero etiam occiso. dicendum est de filio impio et precum paternarum immemore, saevitia et avaritia exprobranda, carnifex quidam Herodes in hac causa est constituendus. Quod si in istis criminibus, quibus causa nititur, putes debere me ex summis opibus adversarium urgere et premere, fac me consilii tui certiorem. — Illud quidem, ut dixi, firmum et ratum habeto, nihil extra causam de moribus et cetera eius vita me dicturum. quod si tibi videbitur servire me causae debere, iam nunc admoneo ne me immoderate usurum quidem causae occasione: atrocia enim sunt crimina et atrociter dicenda. Illa ipsa de laesis et spoliatis hominibus ita a me dicentur, ut fel et bilem sapiant; sicubi graeculum et indoctum dixero, non erit internecivum.* ibid. l. 3. 4. et 5. Idem in Epist. ad Antoninum Imperat. l. 2. 8. *Est Herodes summus nunc meus, quamquam extet mea in eum oratio.* Idem in ep. ad Verum imperatorem ep. 9, ubi eadem verba repetivit.

9. Oratio pro Demonstrato Petiliano contra Asclepiodotum.

In Codice Frontonis legitur *Demonstrato*, sed *Demostrato* corrigendum opinatur Maius p. XXVIIII.

Demostrati enim huius meminisse dicit Philostratum in Vitis Sophistarum, in Herode Attico c. 8. 11. 13. (Westermann Gesch. d. griech. Beredsamk. p. 202.) Niebuhr autem in alia stat sententia p. XXX. „Fuit hic Demonstratus, inquit, homo haud dubie Romanus, erratque omnino Maius, qui sibi persuasit eundem esse cum Demostrato illo Atheniensi, cui gravissimae cum Herode inimicitiae intercesserant, parum tamen sibi constans, cum modo Atticum, modo Cirtensem fingit."

Fronto ad Autoninum Imperat. l. 2. 8. *Adiunxi ego orationem pro Demonstrato Petiliano, de qua illi scripsi. Adiunxi, inquam, orationem pro Demonstrato, quam cum primum fratri tuo obtuli, didici ex eo, Asclepiodotum, qui oratione ista compelletur, a te non improbari. Quod ubi primum comperi, curavi equidem abolere orationem, sed iam pervaserat in manus plurium quam ut aboleri posset. Quid igitur? quid inquam, nisi Asclepiodotum, cum a te probetur, mihi quoque fieri amicissimum, tam hercule quam est Herodes summus nunc meus, quamquam extet oratio?* Fronto ad Verum Imperat. ep. 9. eadem verba scripsit.

Quamquam extet oratio] quamquam extet mea adversus Herodem oratio, nihilominus interim conciliati sumus et amici. Maius p. XXVIIII. hunc locum falso interpretatur „hac oratione, inquit, se Herodem laesisse narrat ipse Fronto." — Sed Fronto Herodem accusatione, de qua supra diximus, laeserat, non oratione, quam pro Demonstrato habuit: ea enim potius Asclepiodotus offendebatur.

10. Orationes pro Senio Pompeiano.

Fronto ad M. Caesarem l. 5, 34. *Saenius Pompeianus in plurimis causis a me defensus, postquam publicum Africae redemit, plurimis causis rem familiarem nostram adiuvat.*

11. Oratio pro Ptolemaeensibus.

Ptolemais nomen multarum urbium: hoc loco urbs Cyrenaica intelligenda. v. Mannert Africa T. 2. p. 84. Charisius p. 79. *Fronto pro Ptolemaeensibus: Parentum tuorum.*

12. Oratio in Pelopem.

Hunc Pelopem medicum illum esse crediderim satis

celebrem, Aelio Aristidi et Galeno commemoratum. Niebuhr.

Sidonius Epist. l. 8. 10. *M. Tullius in actionibus ceteris ceteros, pro A. Cluentio ipse se vicit; M. Fronto, cum reliquis orationibus emineret, in Pelopem se sibi praetulit; C. Plinius pro Attia Viriola plus gloriae de centumvirali suggestu domum retulit, quam cum M. Ulpio, incomparabili principi, comparabilem penegyricum dixit.*

13. Oratio adversus Christianos.

Minucius Felix Octavio c. 9. *De convivio notum est, passim omnes loquuntur. Id etiam Cirtensis nostri testatur oratio: ad epulas solemni die coeunt, cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines et omnis aetatis. Illic post multas epulas, ubi convivium caluit et incestae libidinis ebrietate fervor exarsit, canis, qui candelabro nexus est, iactu offulae ultra spatium lineae, qua vinctus est, ad impetum et saltum provocatur; sic everso et extincto lumine conscio impudentibus tenebris nexus infandae cupiditatis involvunt per incertum sortis, et si non omnes opera, conscientia tamen pariter incesti, quoniam voto universorum adpetitur, quidquid accidere potest in actu singulorum.*

Cirtensis nostri] patria Frontonis Cirta fuit, urbs Numidiae. Frontonem huoc intelligendum esse, ex eodem Minucii libro c. 31. apparet. Conf. Niebuhr p. XIX atque *Commentatio mea de Minucio Felice Turici* 1824.

Isidorus Originum lib. 15. c. 2, 46. Carcer est, a quo prohibemur exire, et dictus carcer a coercendo. *Hinc Fronto: ut pergraecari potius amoenis locis quam coerceri carcere viderentur.*

Fronto] Maius p. 335. vere suspicatus est, haec verba *ex oratione adversus Christianos* esse sumta. Christianis enim tunc temporis maximi dolores et cruciatus plerumque magis grati et desiderati erant quam voluptas deliciaeque mundi atque carcerem amoenum habebant locum.

ut pergraecari] totus hic locus, cum deesset in aliquot codicibus, a F. V. Ottone, qui nuper Isidori Origines edidit, tamquam spurius eiectus est. Immerito! nec mirum, Isidorum ex Frontone exempla

repetivisse. Fronto enim Isidori temporibus magni habitus, et orationes eius in manibus hominum versatae; atque ceteri quoque grammatici saepenumero eius meminerunt.

14. Oratio pro Nucerinis

Maius p. XXVIII. scribit: „Scilicet ille Sitius, qui romanam coloniam Cirtae firmavit, eiusque urbis principatum tenuit, Nucerinus erat. Quam ob rem merito Fronto pro metropoli Nuceria causam oravit.“ Sed hanc orationem fictam arbitror. Fulgentius enim multa vocabula, libros scriptores pro lubitu confinxit, ut Orellius in Lectt. Petronianis p. 3. scribit. Quamquam aliter sentit Rothius, novissimus Fulgentii editor, p. XXX.

Fulgentii Expositio sermonum antiquorum p. 564. ed. Merceri: *Iustitium dicitur luctus publicus, unde Fronto oratione pro Nucerinis ait: Denique iustitium plebi indicitur.*

Incerta.

P. Consentii Ars p. 2031 ed. Putsch: *Fronto ait: Et illae vestrae Athenae, Dorocorthoro.* Apparet nominativo casu posuisse Dorocorthoro.

Fronto] in oratione quadam. Westermannus orationi adversus Herodem tribuit p. 313.

Dorocorthoro] Salmasius dicit ad Scriptt. Hist. Aug. T. 1. p. 589. „Fronto *Durocorthoro* posuit pro *Durocorthorum.*“ — Durocortorum est caput Remorum in Gallia Belgica (die Stadt Rheims). Strabo Geograph. l. 1. p. 257 ed. Coray. Ukert Gallien p. 535.

Declamationes,

1. *Laudes fumi et pulveris.* Extat haec declamatio p. 324. ed. Rom. v. Fronto *de Feriis Alsiensibus. p.* 211.

2. *Laudes negligentiae. ibid. p.* 328.

3. *Laus somni.* Fronto *de Feriis Alsiensibus* p. 211. ad M. Caesarem 1, 3. Niebuhr p. 141.

4. *Arion.* Extat p. 223.

CXLVIII. *Volumnius Quadratus.*

Amicus Frontonis, sed minor natu, ad quem epistolae tres Frontonis sunt libro 2. *ad Amicos.*

Fronto Ep. ad Amic. l. 2, 3. *Legam, fili, libenter orationem tuam, quam misisti mihi, et si quid videbitur corrigendum, corrigam.*

CXLIX. *M. Aurelius Antoninus Philosophus.*

Natus est a. u. 874 (121). Capitolini M. Anton. Philos. c. 1. Eckhel Doctr. Num. t. 7. p. 43. Adoptatus ab Antonino Pio a. u. 891 (138). Consul a. 893 (140) et 898 (145). Imperium iniit a. 914 (161). Mortuus est a. u. 933 (180).

Dio Cassius l. 71, 35. *Πάμπολλα μὲν γὰρ καὶ ὑπὸ παιδείας ὠφελήθη, ἔντε τοῖς ῥητορικοῖς ἔντε τοῖς ἐκ φιλοσοφίας λόγοις ἀσκηθείς· τῶν μὲν γὰρ τόν τε Φρόντωνα τὸν Κορνήλιον καὶ τὸν Ἡρώδην τὸν Κλαύδιον διδασκάλους εἶχεν.*

Herodianus Histor. l. 1. 2. *τῷ βασιλεύοντι Μάρκῳ ἀρετῆς μὲν πάσης ἔμελεν· λόγων τε ἀρχαιότητος ἦν ἐραστής, ὡς μηδενὸς μήτε Ῥωμαίων μήτε Ἑλλήνων ἀπολείπεσθαι· δηλοῖ δὲ ὅσα καὶ εἰς ἡμᾶς ἦλθεν ἢ λεχθέντα πρὸς αὐτοῦ ἢ γραφέντα.*

Aurel. Victor de Caesaribus c. 16. *M. Boionium, qui Aurelius Antoninus habetur, eodem oppido pari nobilitate, philosophandi vero eloquentiaeque studiis longe praestantem in familiam atque imperium adscivit Antoninus Pius.*

Fronto ad M. Caesarem l. 3. 1. *Idem tu, cum in senatu vel in contione populi dicendum fuit, nullo verbo remotiore usus es, nulla figura obscura aut insolenti, ut qui scias eloquentiam Caesaris tubae similem esse debere, non tibiarum, in quibus est minus soni.*

Marcus Antoninus orationes suas Frontoni mittere solebat, ut mutaret, corrigeret, iudicaret, quae probanda improbandave essent. Conf. Fronto ad M. Caesarem p. 63. 82. 83. 99. 117. 144. 145. 177. 181. 245. 248.

Extat etiam liber *Frontonis de orationibus* ad M. Antoninum Augustum. Conf. Niebuhr p. 113. Maius p. 239—251 ed. Rom.

1. Gratiarum actio ad Antoninum Pium.

Fronto ad M. Caesarem l. 3. ep. 8. p. 70. *Hac imagine multimodis uti potes, ubi patri tuo gratias*

ages, in qua oratione locupletissimum et copiosissimum te esse oportet. Nihil est enim, quod tu aut honestius aut verius aut libentius in omni tua vita dicas, quam quod ad ornandas patris tui laudes pertinebit.

2. Oratio Cyzicena.

„Sermo est de terrae motu, quo Cyzicus concussa est. Cyzici hanc cladem Xiphilinus et Zonaras (XII. 1.) ad Pii tempora retulerunt, contradicente cum aliis Reimaro ad Dionem 70, 4. Et sane Frontonis hic locus calamitatem Cyzicenam sub Marco contigisse docet: quod vero quidam ad praedictum Dionis locum Cyzicum cum Smyrna confusam sibi persuaserunt, ii nunc auctoritate Frontonis coarguuntur.“ — Maius p. 147.

Dio l. 70. 4. *Ἐπὶ τοῦ Ἀντωνίνου λέγεται καὶ φοβερώτατος περὶ τὰ μέρη τῆς Βιθυνίας καὶ τοῦ Ἑλλησπόντου σεισμὸς γενέσθαι, καὶ ἄλλας τε πόλεις καμεῖν ἰσχυρῶς καὶ πεσεῖν ὁλοσχερῶς καὶ ἐξαιρέτως τὴν Κύζικον καὶ τὸν ἐν αὐτῇ ναὸν μέγιστόν τε καὶ κάλλιστον ναῶν ἁπάντων καταρριφῆναι.*

Fronto ad Antoninum Imperat. lib. 1. ep. 2. p. 146. *An parum animadvertis, quanto studio quantoque favore et voluptate dicentem te audiat senatus populusque romanus? et spondeo, quanto saepius audierit, tanto flagrantius amabit. Ita multa et grata sunt ingenii et oris et vocis et facundiae tuae delenimenta. Nimirum quisquam superiorum imperatorum (imperatoribus enim te comparare malo, ne viventibus compararem) quisquam illorum his figurationibus uteretur, quae graeci schemata vocant? Ne longius repetam, vel proximo senatu, cum Cyzicenorum gravem causam commemorares, ita orationem tuam figurasti, quam figuram graeci παράλειψιν appellant, ut praetereundo tamen diceres et dicendo tamen praeterires. In quo multa simul laudanda sunt; primum hoc te perspexisse sociorum graves aerumnas non perpetua nec recta aut prolixa oratione exaggerandas, indicandas tamen esse impensius,*

ut digni senatus misericordia et auxilio viderentur. Deinde ita breviter rem omnem atque ita valide elocutus es, ut paucissimis verbis omnia, quae res posceret, continerentur, ut non ocius aut vehementius terra urbem illam quam animos audientium tua oratio moverit.— Sed mihi crede, amplissimum te iam in eloquentia tenere locum brevique summum eius cacumen aditurum. — In oratione tua Cyzicena, cum deos precareris et si fas est, obsecro addidisti: quod ego me non memini legisse: obsecrari enim et resecrari populus aut iudices solebant, sed me forsitan memoria fugerit: tu diligentius animadvertito.

3. Oratio de L. Vero fratre.

M. Aurelius orationem dixit a. 919 (166), cum L. frater Armeniam subegisset triumphumque ageret.

Fronto ad Verum Imperatorem. p. 181. *Alii quoque duces ante vos Armeniam subegerunt, sed una mehercules epistola tua, una tui fratris de te tuisque virtutibus oratio nobilior ad gloriam et ad posteros celebratior erit quam plerique principum triumphi.*

Supersunt in Corpore Iuris fragmenta orationum Marci Antonini, quae, cum orationes proprie non sint, sed edicta potius sive leges, in editione hac omittenda arbitrabar, pariter atque orationes, id est, edicta imperatorum Helvii Pertinacis, Septimii Severi et Caracallae praetermisi, quorum in edit. priore fecimus mentionem.

CL. *L. Aurelius Verus Imperator M. Antonini Philosophi frater adoptivus.*

Natus a. 883 (130), octo annis minor natu M. Aurelio. Vid. Eckhel Doctr. Numm. t. 7. p. 87. Adoptatus a Tito Antonino Pio a. u. 891 (138). Consul a. 907 (154). Particeps imperii fit a. 914 (161) eodemque anno cum M. Aurelio iterum consulatum tenet. Consul a. 920 (167). Mortuus est a. 922 (169).

Fronto ad Verum Imperatorem 1. p. 175. *Ex eloquentia tua, quam scriptis ad senatum literis decla-*

rasti, ego iam hic triumpho. Eloquentia tua, ausim dicere, meo ductu, Caesar, meoque auspicio nata est.

Extabant orationes L. Veri Imperatoris. Capitolini Verus Imperator 2. *Audivit Scaurum grammaticum latinum, Scauri filium, qui grammaticus Hadriani fuit; graecos Telephum, Hephaestionem, Harpocrationem; rhetores Apollonium, Celerem Caninium, Herodem Atticum; latinum Cornelium Frontonem; philosophos Apollonium et Sextum: hos omnes amavit unice atque ab his invicem dilectus est: nec tamen ingeniosus ad literas. amavit autem in pueritia versus facere, post orationes, et melior quidem orator fuisse dicitur quam poeta, imo, ut verius dicam, peior poeta quam rhetor. Nec desunt, qui dicant, eum fuisse adiutum ingenio amicorum, atque ab aliis ei illa ipsa, qualiacunque sunt, scripta, si quidem multos disertos et eruditos semper secum habuisse dicitur.*

1. Gratiarum actio ad Antoninum Pium.

L. Verus hanc gratiarum actionem dixit, cum ab Antonino Pio vel praetor factus esset vel consul. Maius p. 131.

Fronto ad M. Caesarem l. 5. 38. *Fratris tui oratio me delectavit; nam et ornata fuit et cordata, et certum habeo, eum minimum spatii habuisse ad meditandum.*

M. Caesar ad Frontonem l. 5. 39. *Fratris autem mihi gratiarum actio eo laudabilior est, quo minus ad meditandum, ut coniectas, habuit spatii.*

2. Orationes ad senatum.

Verus Imperator ad Frontonem ep. 3. p. 187. ed. Rom. *Quidvis enim subire paratus sum, dum a te res nostrae inlustrentur. Plane non contemseris et orationes ad senatum et allocutiones nostras ad exercitum.*

3. Allocutiones ad exercitum.

L. Verus ad bellum Parthicum profectus est a. 915 (162). Orationes, quas in illo bello ad exercitum habuit,

scriptas reliquisse videtur. Extant etiam numi L. Veri, hac inscriptione *ADLOCVTIO* insignes. Mionnet de la rareté et du prix des Médailles romaines T. 1. p. 240. 241.

Verus Imperator ad Frontonem ep. 3. p. 187. *Quidvis enim subire paratus sum, dum a te res nostrae illustrentur. Plane non contemseris et orationes ad senatum et allocutiones nostras ad exercitum.*

CLI. *Appuleius.*

Natus Madaurae urbe Africae in finibus Numidiae et Gaetuliae, Hadriano imperante anno circiter 879 (126). Conf. Hildebrand in Commentatione de vita et scriptis Appuleii. Halis 1835. p. 2. Cum Carthagine primum, deinde Athenis imbutus esset litteris, Romae juri operam dedit causasque agere coepit. Postea in patriam redux Carthagine vixit et eloquentiae floruit laude sub Antonino Pio et fratribus M. Antonino philosopho et Vero.

Augustinus ad Marcellinum Epist. V. *Appuleius honesto patriae suae loco natus, et liberaliter educatus, magnaque praeditus eloquentia.*

Sidonius Apollin. Epist. l. 4. ad Claudianum Ep. 3. *Tuarum aurium peritiae nec Frontonianae gravitatis aut ponderis Appuleiani fulmen aequiparem.*

Appuleius ipse in Floridis p. 37, ubi omnia sua scripta enumerat, orationes suas a disertis laudatas esse scribit.

1. Oratio pro se apud Claudium Maximum proconsulem Africae.

Extat haec oratio inter scripta Appuleii sub nomine *Apologia sive de Magia liber.* Appuleius accusatus est, quod Aemiliam Pudentillam, mulierem nobilem et ditissimam, magicis artibus allexisset, in matrimonium duxisset grandemque dotem contra fas extorsisset. Causa acta est Sabratae, urbe Africae (ubi conventus iuridicus fuisse videtur. Oudendorp ad. Apolog. p. 525.), quae urbs non longe ab Oea abest, ubi Appuleius Pudentillam duxerat uxorem. Quando causa fuerit acta, incertum esse

scribit Bosscha t. 3. edit. Oudend. p. 507, Hildenbrandius autem p. 2. intra annum 907 (154) et 911 (158) actam existimat, Claudio Maximo proconsule Africae, qui a. 897 (144) consul fuerat. De hac oratione scribit Augustinus ad Marcellinum Epist. 5. *Appuleius adversus quosdam, qui ei magicarum artium crimen intenderant, eloquentissime se defendit.*

2. Oratio pro statua Oeae sibi locanda.

Appuleius cum per tres annos Oeae habitaret, ibique laude floreret eloquentiae, statua publice in honorem eius decreta est. Vid. Bosscha t. 3. p. 508.

Augustinus ad Marcellinum Epist. 5. *Appuleius pro statua sibi apud Oeenses locanda, ex qua civitate habebat uxorem, adversus contradictionem quorundam civium litigavit. Quod posteros ne lateret, eiusdem litis orationem scriptam memoriae commendavit.*

3. Oratio pro statua Carthagine sibi posita.

Appuleius Florida p. 76. *Quin etiam tibi, nobilitas senatorum, claritudo civium, dignitas amicorum, mox ad dedicationem statuae meae libro etiam conscripto plenius gratias canam, itemque libro mandabo, uti per omnes provincias eat, totoque abhinc orbe totoque abhinc tempore laudes benefacti tui ubique gentium semper annorum repraesentet.*

Declamationes.

Extant multarum declamationum, partim Carthagine partim in aliis urbibus ostentationis causa habitarum, fragmenta. Floridorum enim, quae extant, libri quatuor nihil nisi excerpta declamationum, colores, loci oratorii, loci communes esse videntur. Conf. Bosscha t. 2. p. 1. Hildebrand p. 16. Atque superest adhuc inter reliqua Appuleii scripta declamatio integra, ut paulo post dicemus. Sed aliarum quoque, quae aetatem non tulere, habemus notitiam.

1. Oratio de maiestate Aesculapii

Hanc (quae non amplius extat) Oeae, Africae urbe, Appuleius publice declamavit. Argumentum orationis

mysteria sunt dei Aesculapii. Appuleius in Apologia p. 517. *Ego ut dixi, multiiuga sacra et plurimos ritus et varias cerimonias studio veri et officio erga deos didici, nec hoc ad tempus compono, sed abhinc fere triennium est, cum primis diebus, quibus Oeam veneram, publice disserens de Aesculapii maiestate, eadem ista prae me tuli, et quot sacra nossem percensui. Ea disputatio celeberrima est, vulgo legitur, in omnium manibus versatur, non tam facundia mea quam mentione Aesculapii religiosis Oeensibus commendata.*

Florida p. 91. ex declamatione Carthagine habita: *Nunc quoque igitur principium mihi apud vestras aures auspicatissimum ab Aesculapio deo capiam, qui arcem vestrae Carthaginis indubitabili numine propitius respicit. Sum enim non ignotus illi sacricola, nec recens cultor nec ingratus antistes, ac iam et prorsa et vorsa facundia veneratus sum.*

2. De deo Socratis.

Extat haec declamatio, et in codicibus una cum Floridis apte cohaeret.

Meminit Appuleius declamationis cuiusdam, non orationis forensis, ut mihi videtur, in Apologia p. 445. *De patria mea, quod eam sitam Numidiae et Getuliae in ipso confinio meis scriptis ostendisti, quibus memet professus sum, cum Lolliano Avito C. V. praesente publice dissererem, Seminumidam et Semigetulum, non video, quid mihi sit in ea re pudendum.* Atque p. 547. *Revalesco, dissero aliquid postulantibus amicis publice; omnes, qui aderant, ingenti celebritate basilicam (qui locus auditorii erat) complentes, inter alia pleraque congruentissima voce insigniter acclamant.*

CLII. *Iulius Granianus.*

Praeceptor Alexandri Severi. Lampridius vita Alexandri Severi c. 3. *Alexander Severus in prima*

pueritia literatores habuit Valerium Cordum et L. Veturium et Aurelium Philippum libertum patris; grammaticum in patria Graecum Nebonem, rhetorem Serapionem, philosophum Stilionem; Romae grammaticos Scaurinum, Scaurini filium, doctorem celeberrimum, rhetores Iulium Frontinum et Baebium Macrinum et Iulium Granianum, cuius hodieque orationes declamatae feruntur.

CLIII. *Alexander Severus.*

Natus a. u. 958 (205). Eckhel Doctr. Num. t. 7. p. 267. Imperium iniit a. 975 (222), 16 annum agens. Occiditur a. 988 (235), 29 annos natus.

Orationes.

Lampridius vita Alexandri Severi c. 3. *Sed in latinis litteris non multum profecit, ut ex eiusdem orationibus apparet, quas in senatu habuit vel in concionibus, quas apud milites vel apud populum, nec valde amavit latinam facundiam, sed amavit litteratos homines.*

CLIV. *P. Licinius Gallienus, Valeriani filius.*

Natus a. u. 971 (218). A patre Caesaris dignitatem obtinet a. 1006 (253). Imperio potitur a. 1013 (260). Mortuus est a. 1021 (268).

Orationes.

Trebellii Pollionis Gallieni duo c. 11. *Fuit Gallienus (quod negari non potest) oratione, poemate atque omnibus artibus clarus. Huius est illud epithalamium, quod inter centum poetas praecipuum fuit. Longum est, eius versus orationesque connectere, quibus suo tempore tam inter poetas quam inter rhetores emicuit. Sed aliud in imperatore quaeritur, aliud in oratore vel poeta flagitatur.*

CLV. *Postumus iunior.*

Eadem aetate, qua Gallienus, vixit.

Declamationes.

Eius declamationes tam fuere egregiae, ut pro Quintilianeis (v. p. 597) venderentur.

Trebellius Pollio Triginta Tyranni 3. Postumus Iunior. *De hoc prope nihil est quod dicatur, nisi quod a patre appellatus est Caesar, ac deinceps in eius honore Augustus cum patre dicitur interemtus, cum Lollianus in locum Postumi subrogatus, delatum sibi a Gallis sumsisset imperium. Fuit autem (quod solum memoratu dignum est) ita in declamationibus disertus, ut eius controversiae Quintiliano dicantur insertae, quem declamatorem romani generis acutissimum vel unius capitis lectio prima statim fronte demonstrat.*

CLVI. *M. Aurelius Numerianus, Cari filius.*

Natus anno circiter u. 1007 (254). A patre Caesar dicitur a. 1035 (282). Occisus est a. 1037 (284).

Flavii Vopisci Numerianus c. 1. T. 2. pag. 790. *Numerianus, Cari filius, moratus egregie et vere dignus imperio, eloquentia etiam praepollens, adeo ut publice declamaverit, feranturque illius scripta nobilia, declamationi tamen quam Tulliano accommodatiora stilo. Versu autem talis fuisse praedicatur, ut omnes poetas sui temporis vicerit. Nam et cum Olympio Nemesiano contendit, qui Halyeutica, Cynegetica et Nautica scripsit, et Aurelium Apollinarem, iamborum scriptorem, iisdem, quae recitaverat, editis veluti radio solis obtexit. Huius oratio fertur, ad senatum missa, tantum habuisse eloquentiae, ut illi statua non quasi Caesari, sed quasi rhetori decerneretur ponenda in bibliotheca Ulpia, cui subscriptum est Numeriano Caesari, oratori temporibus suis potentissimo.*

CLVII. *Antonius.*

Aequalis Q. Aurelii Symmachi, consul a. 1135 (382).

Falsterus de hoc oratore in Memoriis obscuris aliquid memoriae prodidit p. 15.

Symmachus Epist. l. I, 89. *Non incognito quidem nobis eloquii splendore nituisti, sed magnis rebus accommodata et maiestate scripti aptata gloriam, quam magisterio ante quaesisti, recens auxit oratio. Nam praeter loquendi phaleras, quibus te natura ditavit, simile quiddam planeque conveniens auribus Patrum, gravitate sensuum, verborum proprietate sonuisti. Denique etiam hi, quorum Minerva rancidior est, non negant facundiam tuam curiae magis quam caveae convenire. At illi, quos cothurnus altior vehit et structurarum pegmata delectant, neque tristem soliditatem nec lascivum leporem consona laude celebrarunt. Haec sunt enim condimenta oris et pectoris tui, quod nec gravitate horres nec venustate luxurias, sed ratione fixus ac stabilis germanos colores rebus obducis. Nolo igitur expectes iudicium meum, ne amore delinquam. Quid varia ingenia senserint, res intimavit. Fuit enim in illa oratione, quod unusquisque diligeret et pro ingenii sui qualitate laudaret. Quare sequere coepta felicia et te in omnibus aemulare. Nobis ad testimonium religionis satis est non siluisse sententiam ceterorum. Vale.*

quam caveae] i. e. theatro. Videtur Antonius antea comoedias vel tragoedias scripsisse.

CLVIII, *Q. Aurelius Symmachus.*

Extat de hoc viro inscriptio in Opere Orellii N. 1187: *Q. Aurelio Symmacho viro clarissimo, quaestori, praetori, pontifici maiori, correctori Lucaniae et Brittiorum, comiti ordinis tertii, proconsuli Africae, praefecto urbis, consuli ordinario, oratori disertissimo. Q. Fabius Memmius Symmachus vir clarissimus patri optimo.*

viro clarissimo] viri clarissimi sunt senatores. Casaubonus ad Flav. Vopisci Aurelianum c. 18. T. 2. p. 459.

quaestori] Symmachus Epist. l. 9, 119.

praetori] Symmach. Epist. 1. 8, 14.

pontifici] Ibid. l. 1, 47. Maior autem pontifex Symmachus dicitur, quia de classe patriciorum sacerdotum fuit. Maius p. XXX.

correctori] i. e. praetori. Symmachus corrector s. praetor Lucaniae et Bruttiorum erat a. 1118 (365), Maio teste p. XXX. ed, Rom. a. 1823. et Orellio.

comiti ord. tertii] Ex inscriptionibus novimus *comites ordinis primi, secundi, tertii.*

proconsuli Africae] a. u. 1126 (373).

praefecto urbis] a. u. 1137 (384).

consuli] a. u. 1144 (391).

Eum vitam produxisse usque ad annum circiter 1163 (410), scribit Maius in vita Symmachi, quam et edit. Mediolanensi a. 1816, et editioni Romanae a. 1823. adiecit. Conf. Heynii Censura ingenii et morum Symmachi in Opuscul. Academ. T. 6. p. 1—18.

Ausonius in Epistolis Symmachianis l. 1. ep. 32.: *Modo intelligo, quam mellea res sit oratio, quam delenifica et quam suada facundia. Ille suavissimus, ille floridus tui sermonis afflatus! Haud quisquam ita nitet, ut comparatus tibi non sordeat. Quis ita Aesopi venustatem, quis sophisticas Isocratis conclusiones, quis ad enthymemata Demosthenis, aut opulentiam Tullianam aut proprietatem nostri Maronis accedat?*

Macrobius in Saturnal. lib. 5, 1. *Quatuor sunt genera dicendi: copiosum, in quo dominatur Cicero, breve, in quo Salustius regnat; siccum, quod Frontoni adscribitur; pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam et nunc nullo veterum minor noster Symmachus luxuriatur.*

Cassiodorus in Historia tripartita lib. 9, 23. *Symmachus inter senatores praecipuus habebatur, eratque romani eloquii eruditione mirabilis, cuius multi quoque reperiuntur libri.*

Socrates Hist. Ecclesiast. lib. 5, 14. *Σύμμαχος πρῶτος μὲν ἦν τῆς ἐν Ῥώμῃ συγκλήτου. Ἐθαυμάζετο δὲ ἐπὶ παιδεύσει λόγων Ῥωμαϊκῶν, καὶ γὰρ αὐτῷ πολ-*

λοὶ λόγοι συγγεγραμμένοι τῇ Ῥωμαίων γλώσσῃ τυγχάνουσι.

Nicephorus Hist. Ecclesiast. l. 12, 21. *Σύμμαχος πρῶτος ὢν τῆς ἐν Ῥώμῃ συγκλήτου βουλῆς διὰ θαύματος ἦν τοῖς προσοῦσιν αὐτῷ ἀγαθοῖς, μάλιστα δ' ἐπῃνεῖτο ἐπὶ παιδεύσει λόγων ῥωμαικῶν· πολλοὺς γὰρ καὶ ἄγαν ἀρίστους λόγους τῇ σφετέρᾳ γλώσσῃ ἐξέδοτο.*

Symmachus orator magis laudatus quam laudandus esse videtur. nam nulla si superessent orationum fragmenta, multis eum arbitraremur praeditum virtutibus: aequales certe magni facundiam eius aestimabant, et fortasse inter oratores illorum temporum longe eminebat. Sed eae, quae extant, orationes ob alias potius causas (v. Niebuhr Praefat. p. XVI.) quam propter eloquentiae lumina cognitione sunt dignae.

Symmachus Ep. l. 4, 64. *Nec tantum epistolas poscis, oratiunculas quoque nostras, nondum tibi editas, deferri in manus tuas praecipis, quae res videtur ostendere, quid iudicii habeas de iis, quas ante sumsisti. Misi igitur ex recentioribus quinque numero, quarum mihi iam fiduciam fecit publicus favor.*

nondum tibi editas] cod. Paris. ap Duebner. Vulgo *non editas*. *quarum mihi*] cod. Paris. Vulgo *quarum uni*.

1. Laudes in Valentinianum seniorem Augustum priores.

Symmachus duos in Valentinianum seniorem panegyricos scripsit, priorem a. u. 1121 (368), quo quinquennalia Valentiniani celebrabantur, et imperator secundum obtinebat consulatum. Edidit Maius et Niebuhr.

2. Laudes in Valentinianum seniorem Augustum posteriores.

Hunc panegyricum dixit orator in Valentiniani consulatu tertio a. u. 1123 (370). Edidit M. et N.

3. Laudes in Gratianum Augustum.

Oratio a. u. 1120 (367) dicta, cum a Valentiniano patre Gratianus filius, etiam tum puer, Augustus declaratus est. Edidit M. et N.

4. Laudes in patres.

Extat fragmentum huius orationis, quae dicta est, cum nescio quis consulatum iniret; idque cognitione dignum, quia manifestum fit, quomodo tunc temporis crearentur consules. — Niebuhr p. XVI. scribit: „Merentur profecto Symmachi fragmenta, ut ab iis studiose evolvantur, quos imperii romani tempora novissima cognoscere iuvet. Mihi quidem inde primum innotuit, illa aetate postulatos fuisse a senatu, confirmatos a principibus consules, cum prius ab uno Augustorum arbitrio pendere eorum designatio videatur."

5. Oratio pro patre.

Egisse gratias senatui Symmachum pro patre suo, qui consul creatus fuerat, scribit Maius. Atque oratio dicta videtur vel a. u. 1129 (376) vel a. 1130 (377). Incertum enim, cum in Fastis Symmachi patris (de quo v. Orellii Inscriptt. n. 1186.) desit nomen. Edidit M. et N.

6. Oratio pro Trygetio.

Dicta est, ut Maius existimat, sub Gratiano. Trygetius idem, ad quem data est lex 4 Tit. 20. Cod. Theod. Honorio et Theodosio Impp. Orator pro restitutione Trygetii gratias agit, tum ad filium Trygetii transit, quem commendat, ut praeturam consequatur. — Edidit M. et N.

Symmachus Epist. l. 1. ep. 44. *Brevi intervallo cum familiaris mei Trygetii filio praetorio candidato actionis operam spopondissem, animum religio convenit, ut occasione destinati officii obirem munus adhuc a me patri debitum, sed, ut dixi, ab illo senatui iam solutum. Ergo ad quintum Idus Ianuarii verba feci in amplissimo ordine.*

ibid. l. 1, 52. *Orationem meam tibi esse complacitam, nihilo sequius gaudeo, quam quod eam secunda existimatione pars melior humani generis, senatus, audivit.*

7. Oratio pro Synesio.

Hac oratione dignitatem senatoriam impetrare contendit Symmachus Synesio, Iuliani filio. Senatores enim illa aetate, praeter eos, qui genere eam dignitatem adipiscerentur, suffragiis senatus, non censoria principum potestate legebantur. vid. Niebuhr p. XVI. Edidit M. et N. Huc refert Maius epistolam Symmachi l. 5, 43. *Oratiunculam, quam proxime in senatu habui, ad te misi, de qua Carterium tecum plene arbitror collocutum. Nam petitioni nostrae auditor interfuit. Et quamvis totius ordinis secunda suffragia cepisse videamur, in te uno tamen summam testimonii collocemus.* Eodem pertinere videtur Epistol. 1, 105. *Committo eruditioni tuae vigiliarum mearum testem libellum, quo nuper in senatu sustuli civium secunda suffragia.*

8. Oratio pro Flavio Severo.

Laudat Symmachus Severum, qui splendidis functus muneribus lectus erat in senatum. Edidit M. et N.

9. Laudes in Magnum Maximum tyrannum.

Cum Theodosius Magnus imperator creatus esset a. 1132 (379), et respublica in meliorem statum redigi coepisset, Magnus Clemens Maximus in Britannia imperator creatur, et, quamvis Theodosius ei terras, quas occupasset, concederet, clam et aperte insidias struit et per quinquennium bellum molitur. Sed a Theodosio victus, Aquileiae occisus est a. 1141 (338).

Symmachus Panegyricum in Maximum scripsit, propter quem vix aberat, ne maiestatis postularetur.

Cassiodorus Hist. Tripart. l. 9, 23. *Symmachus scripsit Maximi laudem eamque recitavit, unde postea reus esse maiestatis videbatur, quamobrem mortem metuens confugit in ecclesiam. Verum imperator Theodosius, cum esset perfectissimae Christianitatis, Symmachum absolvit a crimine; cumque veniam meruisset Symmachus, apologeticum, id est,*

satisfactionalem librum ad Theodosium conscripsit imperatorem.

Suidas s. v. *Καθοσίωσις*. T. 2. P. 1. pag. 26. ed. Hal. *ὅτι ἐπὶ Θεοδοσίου τοῦ βασιλέως Ῥωμαίων Σύμμαχος ἀπὸ ὑπάτων εἰς τὸν τύραννον Μάξιμον βασιλικὸν λόγον διεξῆλθε, καὶ δεδιὼς τὸ τῆς καθοσιώσεως ἔγκλημα, τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν σηκοῖς προσκαταφεύγει, ὃν ὁ Θεοδόσιος πάσης φιλανθρωπίας ἠξίωσε.* Idem tradidit Socrates Histor. Ecclesiast. 5, 14. Nicephorus Histor. Ecclesiast. l. 12, 21.

Symmachus Epist. l. 2, 31. *Scio te amicum iustitiae et amantem mei, et vereor, ne suscipias ullum pro absentis aestimatione certamen atque in te aliqua odia detorqueas. Peto igitur quiescas. Erit fortasse copia mihi asserendae quandoque veritatis apud aeternum principem, dominum nostrum Theodosium, cuius erga me favor fecit, ut aliquid interim moliretur invidia. Non puto bonis temporibus eam causae meae conditionem futuram, quae sub Tiranno fuit, cuius litteris ad Marcellini suggestionem datis homines meos scis esse multatos. Quod in Panegyrici defensione non tacui.*

Ibid. l. 8, 69. *Interea frequentibus epistolis desidiam meam stimula. Unum quippe hoc litterarum genus superest post amaros casus orationum mearum, quod me ad usum scribendi possit allicere.*

10. Defensio panegyrici in Maximum scripti.

Symmachus, cum accusatus esset maiestatis apud Theodosium imperatorem, propterea quod panegyricum in Maximum recitasset, defensionem scripsit orationis suae, et absolutus est ab imperatore. Symmachus Epist. l. 2, 31 quam supra exscripsimus. Socrates Hist. 5, 14.

11. Panegyricus ad Theodosium imperatorem.

Symmachus Epist. l. 2, 13. *Cum civiles et bellicas laudes domini nostri Theodosii stili honore percurrerem (magis enim contigisse me omnia, quam satisfecisse singulis fateor) etiam leges eius bonis pacis admiscui, quas, ut noveram priscis ademisse admi-*

rationem, ita reservasse novis parem gloriam non putabam.

Arusianus Messus Exempla Elocut. p. 217. ed. Lindemanni: In cod. Guelferbyt. legitur: arrisit illi. *Symmachus ad Theodosium imperatorem: Beatum, iam parvulum meum, cui pium . . .*

Symmachus] hic locus suspectus videtur Lindemanno, quod Arusianus e quatuor tantum scriptoribus Cicerone, Sallustio, Virgilio, Terentio exempla sua depromere soleat. Sed fortasse alius grammaticus hoc exemplum ex orationibus Symmachi addidit, nec fictum esse arbitror.

Arusianus Messus p. 244. In eodem Guelferb. cod. legitur: largior hanc rem. *Symmachus ad Theodosium imp.: Solere principes bona verba largiri.*

12. Oratio de censura repudianda.

Maius inscripsit de abroganda censura p. LVIIII. ed. Rom. Fuere aliquando, qui censorium munus iam dudum abolitum atque extinctum restituere et vel privato homini vel senatui deferre cuperent.

Trebellius Pollio narrat in vita Valeriani c. 1. T. 2. p. 178., senatum imperatore Decio censuisse, ut Valerianus censor fieret; sed eum id munus recusavisse, dicens Decio: *Haec sunt, propter quae Augustum nomen tenetis, apud vos censura desedit, non potest hoc implere privatus. Veniam igitur eius honoris peto, cui vita impar est confidentia, cui tempora sic repugnant, ut censuram hominum natura non quaerat.* Ea res accidit a. 1004 (253). Deinde Symmachi temporibus iterum censuram restituere conabantur. Symmachus ipse id consilium repudiavit, cum intelligeret, hunc magistratum nomine tantum, non re atque potestate restitui posse. Conf. Kreuzer Abriss d. röm. Ant. p. 147. Fuss antiquitates Romanae p. 184. Walter Gesch. d. röm. Rechts p. 291.

Symmachus Epist. l. 4, 45. *Misi ad eruditionem tuam duas oratiunculas nostras, quarum una ad Polybii filium pertinens ex recenti negotio nata est, altera dudum, cum res in curia agitaretur, a me*

parata, nunc opere largiore aucta processit. Huic argumentum est repudiata censura, quam tunc totius senatus fugavit auctoritas. Nolo mireris, gravissimum ordinem magisterium respuisse. In oratione nostra non leves causas evitatae huius potestatis invenies.

Symmachus Epist. l. 4, 29. *Commoneo, ne orationis titulo mutetur de me existimatio tua. Nam repudiata censura gravat nos principio sola argumenti inspectione. Sed ubi dicta legeris, cum sententia mea in gratiam reverteris. Hanc partem, quae tempestate reiecta est, totius ordinis nostri antetulit auctoritas, ne sub specioso nomine fores impudentiae ambire solitis panderentur. Plures utilitatis et honestatis assertiones in ipso corpore orationis invenies.*

reiecta est] *resecata est* cod. Paris. teste Duebnero.

Symmachus l. 5, 9. *Duas oratiunculas nuper editas a nobis misi. Earum una ad urbanos fasces resultantem tenuit candidatum, alteri argumentum dedit iam pridem decreto senatus improbata censura. Sed iudicium meum, cum res acta est, habitum propagavi opere largiore: nec mihi vitio vertas priscae severitatis repulsam: nam quaedam, solis speciosa nominibus, usu et experiundo plurimum nocent. Rationes sententiae meae lector invenies. Volo tamen ad inspectionem dictorum parti utrique aequus accedas. merebitur, ut spero, orationis assertio, ut tu etiam, vetustatis patronus, auctoritati ordinis manum porrigas.*

una] oratio pro filio Polybii.

13. Oratio pro Polybii filio.

Orator in hac oratione Polybium ad praeturam commendavit.

Symmachus Epist. l. 4, 45. *Misi ad eruditionem tuam duas oratiunculas nostras, quarum una ad Polybii filium pertinens ex recenti negotio nata est.*

Atque l. 5, 9. *Duas oratiunculas nuper editas a*

nobis misi. Earum una ad urbanos fasces resultantem tenuit candidatum.

resultantem] i. e. ambientem praeturam urbanam.

14. Gratiarum actio pro Decii urbana praefectura.

Maius scribit p. LVIII.: Gratiarum actio, ut videtur, Honorio pro Decii urbana praefectura, quam hic anno Chr. 402 administravit. Epist. lib. 7, 50. Fortasse tamen non oratio fuit, sed epistola, sicuti illa ad Rufinum pro Flaviani, qui Decium praecessit, praefectura. Ep. l. 2, 22. 3, 81.

15. Oratio contra Gildonem.

Accusavit maiestatis Gildonem Symmachus, comitem utriusque militiae, a. 1149 (396). Gildo enim cum in Africa tyrannidem arripuisset et Romam retenta annona fame pressisset: hostis a senatu iudicatus, et Honorius imperator bellum contra eum suscepit eumque vicit a. 1151 (398). Conf. Orosius l. 7, 36. Claudiani liber de bello Gildonico. Schlosser Univ. Uebers. der alten Welt III. 3. p. 173. seqq.

Symmachus Epist. lib. 4, 4. Stilichoni scribit: *Quid de Afrorum dolore et militarium virorum querelis consultus praecepto sacro amplissimus ordo censuerit, plene atque aperte gestorum curialium inspectione cogn sces. Sed quia me quoque familiariter indicem gestae rei esse iussisti, summatim, quae decreta sunt, non tacebo. Lectis domini nostri Honorii Augusti literis atque sententiis, decursisque omnibus paginis, quae Gildonis crimina continebant, par bonorum motus erupit: consulti igitur in senatu more maiorum (neque enim legitimo ordine iudicii auctoritas stare potuisset), ingenti causae devotis sententiis satisfecimus. Adiecta est post rei damnationem pro alimentis populi romani supplicatio: in metu enim sumus, ne obsit commeatibus annonariis medii temporis mora et perturbatio plebis oriatur. Veniet in manus tuas, quid pronunciaverim. Reperies et facti huius me asseruisse iustitiam, et apud do-*

minum nostrum Arcadium causam publicae egisse concordiae. Vale.

16. Oratio pro Valerio Fortunato, quaesturae candidato.

Agitur in huius orationis fragmento de homine nobili, matronae inopis filio, qui impensis magistratus ferendis laborabat. Sic Maius, qui primum in edit. Romana a. 1823. edidit. Idem Valerius intelligendus, ad quem Symmachus epistolam dedit l. 8, 57.

17. Oratio de ara Victoriae.

Ea oratio non apud imperatorem habita, verum ad eum missa est, atque extat inter Epistolas Symmachi l. 10 54. Symmachus Prefectus urbi veterem deorum cultum instaurare et aram Victoriae, quae in Iulia curia usque ad Gratiani tempora collocata, ab hoc imperatore, precibus indulgente Christianorum, remota fuerat, restituere conatus est, deque ea re consentiente senatus parte maiore ad Valentinianum iuniorem retulit a. 384 p. Chr. Ambrosius vero, episcopus Mediolanensis, contra Symmachi relationem s. orationem scripsit vicitque adversarium, ut ex duabus Ambrosii Epistolis (quae in edit. Iureti Epist. Symmachi adiectae sunt, tum in Ambrosii Opp. Vol. 2. c. 826 leguntur) videre licet. Prudentius quoque libros duos contra Symmachi orationem versibus hexametris scripsit. Conf, Schlosser Univ. Uebers. d. alten Welt III. 3. p. 321 seqq. Bunsen Beschreib. v. Rom. III. 2. Roms Foren p. 108.

INDEX AUCTORUM,

qui in commentariis vel explicantur vel emendantur.

INDEX RERUM.

CORRIGENDA.

P. 1. l. 15. pro *brevisse* l. *brevissime.*
- 30. l. 14. pro *caleatam* l. *coleatam.*
- 32. l. 13. a. f. pro *jactarticuli* l. *jactanticuli.*
- 34. l. 7. pro *miseri* l. *misere*; ib. l. 16. a f. pro *gratus* l. *gratiis*; l. 7 a f. pro *exta* l. *ex te.*
- 35. l. 13. a. f. pro *sic* l. *sit.*
- 39. l. 19. pro *propagerentur* l. *propagaretur*; ib. l. 20. pro *ut* l. *et.*
- 43. l. 16. pro *personas* l. *personae.*
- 45. l. 1. a. f. pro *frurilu 'st* l. *frunitu 'st.*
- 46. l. 5. a. f. pro *filiis* l. *filius.*
50. l. 15. a. f. pro *tremulam* l. *tinnulam.*
- 51. l. 13. a. f. pro *aetos* l. *aetas.*
- 59. l. 9. pro *trimetra* l. *metra.*
- 66. l. 12. pro *germanibus* l. *germanitus.*
- 69. l. 11. a. f. pro *Cretulo* l. *Cretula.*
- 73. l. 19. pro *celceamento* l. *calceamento.*
- 78. l. 1. a. f. pro *non* l. *nos.*
- 90. l. 11. a. f. pro 450 l. 550.
- 99. l. 13. a. f. pro *locutis* l. *dictis.*
- 104. l. 11. pro V l. X.
- 108. l. 2. a. f. pro *locutos* l. *locutas.*
- 110. l. 12. pro *angustas* l. *angustos*; ibid. l. 20. pro *videmus* l. *ridemus.*
- 113. l. 7. a. f. pro *pares. Nov.* l. *pares, Nov.*
- 128. l. 6. post *Atellanas* pone interpunctionem minorem; ibid. l. 18. pro *nam* l. *num.*
- 150. l. 6. pro *tutáret* l. *tutarét.*
- 170. l. 9. pro *pistillas* l. *pistillos.*
- 188. l. 1. a. f. pro *Orrem.* l. *Brem.*